
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
15 C
1





HINCMARI RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI, ANTE ANNOS L. SVPRA DCC. IN GALLIIS CELEBERRIMI EPISTOLAE.

EX MS. MEMBRANACEO COD. BIBLIOTHECÆ NOB. ET CAthedralis Ecclesiæ SPIRENSIS descriptæ, & nunc primum excusæ.

CVM

CONIECTVRIS, NOTISQVE BREVIBVS IOANNIS BVSAEI NOVIOMAGI SOCIET. IESV.

Accessere

HAEC COAETANEORVM SCRIPTA.

Theodulphi Aurelianensis Episcopi epistola ad Parochos.

Constitutiones CAROLI MAGNI à LOTHARIO *Nepote collecta cum notis Viti Amerpachij*

Vita S. VVIGBERCHTI *Fritzlar. Confessoris, authore* LVPO.

Vita S. ROBERTI *Confessoris, Bingensium* DVCIS, *auctore* S. HILDEGARDE.





Ex legato ... Rom. Cat. ...

Ill.mi ... Coním ...

MOGVNTIÆ, Typis IOANNIS ALBINI, anno
cIↃ IↃ DCIL.



REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. DOMINO D. EBERHARDO CATHEDRALIS ECCLESIAE SPIRENSIS EPISCOPO, ET WEISSENBVRGENSIS Præpoſito, S. Romani Imperij Principi, Cæſar. Maieſtatis Conſiliario, Cameræque Imperialis Iudici æquiſſimo, Domino ſuo clementiſſimo perpetuam fœlicitatem precatur

IOANNES BVSAEVS S. I. Presbyter.



T primum certis rumoribus ſermonibusq; didici ILLVST. PRINCEPS, HINCMARI Rhemenſis quondam Archiepiſcopi, æuo ſuo apud Gallias celeberrimi EPISTOLAS in Bibliotheca Nobilis Cathedralis Eccleſiæ tuæ SPIRENSIS hactenus delitеſcere, haud ſane neglexi per litteras Spirenſes noſtros Patres certiores reddere, ſi mihi aliquando earum exſcribendarum, cum bona Reuerendorum Nobiliumq; Dominorum Capitularium venia, copia fieret, me operam daturum, vt ſaluo integroque MS.autogra-

tographo, Epistolæ illæ à mendis repurgatæ, ac necessariis etiam notis ornatæ ac illustratæ tandem in lucem vindicarentur. Desiderij & conatus mei aleæ, in incertum, vt tunc opinio mea erat, iactæ, certus & fortunatus respondit euentus. Neque enim iam dicti Reuerendi & Nobilis Domini, qua sunt religione in DEVM, in litterariam R. P. studio & beneuolentia eximia in Societatem nostram, solum HINCMARI describendi potestatem mihi fecere, sed ipsum adeo MS. membranaceum Archetypum Moguntiacum ad me, nihil tale expectantem, vltro destinarunt. Pro qua singulari humanitate & beneficentia, non ego solum, sed omnes vna mecum antiquitatis studiosi, immortales habemus & agimus gratias. Huius sæculi Antiquarij tantum non thesauros cumulasse se credunt, si vetera aliquot numismata, ærea, argentea, aurea, ex ruderibus & parietinis fortuito effossa corraserint, at ego veros & solidos thesauros inquiri ab eis semper existimaui, qui ex peruetustis Bibliothecis priscos scriptores, maximè Ecclesiasticos, situ licet & squalore obsitos, in lucem Typographicam producunt, eo pretiosiores, quo sapientia vera, quæ illorum libris continetur, omnibus numis & opibus huius mundi præstabilior est. *Melior est*, inquit sapietissimus mortaliũ *Salomon sapiētia cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari.* Et rursum. *Beatus homo, qui inuenit sapientiam. melior est acquisitio eius negociatione auri & argenti, primi & purissimi fructus eius. Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari.* Quod autem ex veterum auctorum monumentis vera poscenda sit sapientia, ipsa diuina sapientia non conticuit. *In antiquis*, aiebat per sacrum os vetustissimi Iob, *est sapientia & multo tempore prudentia.* Et Moysis eius

Prou. 8. Ibi. c. 3. Iob, 12.

eius penè ſupparis. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas, interroga patrem tuum & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Et poſt eum prophetæ IEREMIÆ. *State*, inquit, *ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis quæ ſit via bona & ambulate in ea.* Etenim vnde firmius & luculentius conſtare nobis poteſt, vbi ſemitæ & viæ antiquæ indagandæ ſint, quam in ipſorum antiquorum commentariis, propria earum manu exaratis, ac priſcis hiſtoriis de eorum doctrina, ſanctiſſimaque vita poſteritati relictis? Delibet aliquando Reuerendiſſ. veſtra Paternitas, inter ſummas vtriuſque Reipub. quas ſuſtinet, curas, HINCMARI ſui epiſtolas, & deprehendet eas optimis ſaluberrimiſque documentis, non tam ad plebeios homines, quàm ad Principes viros, ſiue ad politicæ ſiue Eccleſiaſticæ Reipub. clauum ſedeant, informandos, refertas. HINCMARVS ſiquidem Archiepiſcopus, non iuuenis, ſed ætate iam annis graui & affecta, poſt collectam multorum annorum ex creberrimis conſiliis, quæ cum Francorum Regibus & Imperij Auguſtis habuit, ſapientiam, has conſcripſit epiſtolas, non ſuapte ſponte, ſed Principum, antiſtitumque ſummorum precibus impulſus. Ad quos verò? ad ſummum Pontificem, ad Imperatores, ad Francorum reges. De quo argumento? De recta & pia Chriſtianorum Regum inſtitutione. De Epiſcoporum, omniumque clericorum doctrina ſana, ſanctiſque moribus. De ſartis tectis conſeruandis eorundem priuilegiis. De ratione inquirendi & animaduertendi in improbos clericos, De veteribus ſummorum Pontificum, ſacrarum Synodorum, aliorumque priſcorum Patrum ſanctionibus & dogmatibus non antiquandis. Quibus, licet paucis capitibus, veræ ſapientiæ ſumma, quanta

Deu. 32.
Ier. 6.

in Regibus & Episcopis postulari potest, vt functione sua rectè fungantur, ita eruditè & copiosè ab HINCMARO explicata est, nihil vt amplius desiderari possit. Cur autem ego, licet absens & forte ignotus, Reuerendiss. & Illustriss. CELS. V. delegerim, sub cuius tutela & patrocinio hoc Archiepiscopi Rhemensis opusculum, aliaque eiusdem æui scripta accessoria in corollarij vicem adiecta, in publicum exirent, causæ obscuræ non sunt, sed in vulgus notæ & exploratæ. Nimirum munus á corpore tuo, hoc est, à tua Ecclesia Cathedrali mihi benignè subministratum, debebat eius præsidi & capiti cumprimis dedicari. Deinde congruens erat, vt Epistolæ ab Episcopo ad Episcopos & Reges datæ, non nisi Episcopo commendarentur, & illi Episcopo, qui pro virtute prudentiaque sua excellenti in politicorum quoque negotiorum tractatione summi Magistratus personam sustinere meruisset. Illi, inquam, Episcopo, qui veri Pontificis officium, quod in diuinis literis descriptum, Ecclesiasticis canonibus commendatum, & ab ipso HINCMARO his epistolis conformatum, doctrina exemploque vitæ exhiberet. Quis enim nescit, quanto studio Reuerendiss. Paternitas V. & cupiditate, vti verus Pastor, ardeat oues per detestandos huius sæculi errores miserè perditas ad ouile CHRISTI reducendi? Paræcias tuæ ditionis omnes iampridem Euangelicis munisti canibus, qui sana doctrina, & inculpatis moribus vndique irruentes arceant lupos. Discurrunt per opida & villas alij fidi vineæ Domini operarij, qui opportunè importunè gregem tuum ad vitam Christiano homine dignam gerendam, puerili institutione, concionibus ad populum habendis, & exomologesi peccatorum excipienda, nullis parcant laboribus. Sparguntur

vndique

vndique catechetici, aliiq; pij libelli, magno tuo sumptu crebrius coempti, & manibus passim omnium subditorum fructuosè teruntur; denique tot præsidia spiritalia corporaliaque ad misellas animas CHRISTO lucrifaciendas à Cels. T. hactenus subministrantur, vt ignara minimè videatur fuisse quod ad Bonifacium Comitem alicubi scripsit B. AVGVSTINVS, & non semel hic repetit HINÇMARVS, *magna experimenta morborum cogere ad multas inueniendas medicinas*. Deniq;, quod minimè reticendum est, Illustriss. C. V. à tempore quo infula Pontificia Spiræ donari meruit, tanto amore complexa est Societatem nostram, tot, tamq; crebris & prolixis Collegium Societatis quod apud Nemetes tuos est, officiis & meritis cum summa perpetuæ voluntatis, fauoris & munificentiæ significatione coniunctis, tibi deuinxisti, vt nostri Patres palam testentur, se rependendæ tantæ beneuolentiæ impares. Nuper veteris Oratorij angustiis coacti iidem Patres isthic laxiorem à fundamentis Ecclesiam excitare cæpere, & diuino fauente numine tandem ad fastigium perduxêre. Quod opus, sane, vt nunc tempora sunt, arduum & difficile, nisi Illustriss. Cels. V. auspiciis, auctoritate, liberalitate & præsidio singulari inchoatum, continuatum, & perfectum fuisset, merito reformidare potuissemus vulgatum illum Euangelij cachinnum. *Hic homo cæpit ædificare, & non potuit consummare.* Luc. 14. Vt taceam, quàm præclaris & illustribus monumentis hanc Domũ DEI intrinsecus hactenus instruxerit ornaritq;, ac etiamnum in perpetuã sui nominis memoriam exornare pergat. Hæc, inquam, omnia me impulerunt, vt meo, Patrumq; Spirensiũ nomine, ausus fuerim hoc qualecunq; opusculũ, non compensandæ beneficentiæ tuę, sed amoliẽdę ingrati animi notæ causa Reuerendiss.

Paterni-

Paternitati tuæ dedicare & consecrare. Neq; iã aliud superesse video, quam vt deinceps DEVM O. M. supplices in orationibus nostris deprecemur, quo Illustris. Cels. V. Ecclesiæ suæ, Imperio, diœcesi, & nobis, quàm diutissimè, exemplo nostri HINCMARI, qui thronum Archiepiscopalem in quinquagesimum vsque annum insedit, saluum & incolumen conseruare velit. MOGVNTIÆ, anno à DEIPARÆ partu M. DCII. ipsis Annunciatæ Virginis beatissimæ feriis.



PRÆFA-



PRÆFATIO AD CANDIDVM LECTOREM.



ABES in hoc Opusculo, CANDIDE LECTOR HINCMARI RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI *Epistolas, nunquam, vt arbitror, à te conspectas, nunquam ab vllo auctore citatas, nusquam procusas. Pauca quidem sunt, vtpote nouenario numero comprehensa, nec stylo satis limato & polito conscripta, sed vtrumq; egregiè compensat earum prolixitas, & sententiarum grauitas. Prolixitas sane facit, vt quadam potius Tractatus vel Opusculi nomenclaturam deposcere videantur, quàm & Auctor alicubi non reticuit; sed malui M S. Codicis vetustissimi Epigraphen retinere. Neque me fugit plures eiusdem Auctoris, tum Epistolas, tum Opuscula reperiri posse. Exstat enim apud* L. SVRIVM *Vita S. Remigij duobus libris ab Hincmaro explicata. Rob. quoque Bellarminus tomo primo controuersiarum citat caput vicesimum libri ab eo contra Hincmarũ Laudunensem Episcopum scripti. Plures produnt Trithemius, & Centuriatores Magdeburgici. Nicolaus Sanderus in libro de visibili Monarchiã allegat verba quadam ex epist. Hincmari ad Hadrianum Papam II. data. Papyrius Massonius in libro de rebus gestis Romanorum Episcoporum nonnullas alias citat epistolas, eoq; plures in annalibus Ecclesiasticis Ampliss. Cardinalis Baronius. Verum meum institutum non aliud fuit, quàm beneficium à nobili Canonicorum Nemetensium Collegio acceptum primo quoque tempore diuulgare, & fidem meam, Cod. M S. redhibito, liberare. Dolenter si-*

De Epistolis Hincmari.

De aliis eius opusculis.

ter siquidem memini, quanta cum rei litterariæ iactura, non semel doctissimorum hominum sudores, dum partus suos, alienosue, in nonum, vt ita loquar, premunt annum, telam vitæ exorsam præter opinionem præcidente DEO, *in nihilum reciderint. Sed de hac re satis.*

VENIO *ad sæculum* HINCMARI. *Video enim in disceptationem vocari posse, quo tempore in Ecclesia* DEI *floruerit, propter Ioan. Trithemium, qui, vt annotatum est in huius Præfatio vestibulo, existimauit eum claruisse anno à natiuitate Domini 800. imperante* CAROLO MAGNO, *Verum apertè cum hallucinari perspicuis euinci potest argumentis.* SIGEBERTVS *Gemblacensis in Chronico suo asserit eum floruisse sub annum Domini 854. è vita autem excessisse 885. Anastasius Bibliothecarius Hincmari synchronus in historia de Romanorum Pontificum vitis, typis primum Moguntiæ hoc anno expressa, eius prolixè meminit in vita Nicolai Papæ I. qui Pontificatum iniit ad annum Domini 858. Et in tomis Pontificiarum epistolarum ab Xisto V. editis exstat epistola Nicolai I. ad Hincmarum data. Nicolaus Sanderus, loco ante citato, ait ab eodem Hincmaro epistolam scriptam ad Adrianum Papam II. Nicolao annis 9. posteriorem. Aimoinus in Francorum historia, lib. 5. c. 36. commemorat* LODOVICVM *regem, Caroli Calui filium ab Hincmaro sollemni ritu coronatum, quod accidit anno 877. & ibidem cap. 41. Nortmannis Rhemos tendentibus fuga elapsum, quod contigit 882. Ac, vt hæc testimonia desint, habemus ipsum* HINCMARVM *in his epistolis suiipsius teste omni exceptione maiorem. Postrema namq; epistola nomine* CAROLI *Calui Imperatoris ad Ioannem Papam VIII. ab ipso conscripta est, qui Pontifex factus est anno 872. Prima verò data est ad Ludouicum Balbum sub annum Domini 878. cum inauguratus est Francorum regno. Secunda ad* CAROLVM *Crassum Imperatorem sub annum 879. Tertia denique ad quosdam Episcopos sub annum 884. hoc est vno*

De tempore quo claruit.

anno

anno ante obitum. nam Sigebertus, vt supra diximus, annotauit eum insequenti anno in viuis esse desiisse.

RESTAT *vt indicemus, quid in huius Opusculi editione à nobis præstitum sit. Primum omnia quæ in Spirensi MS. Codice erant, ordine parum admodum mutato, descripsimus, exceptis binis, ternisue fragmentis, vel potius epistolarum assumentis, in quibus iisdem ferè verbis & sententiis exponi deprehendi, quæ iam in aliis epistolis exposita erant. Eadem de causa à septima epistola, quæ mutila est & manca, ac potius appendix superioris epistolæ videtur, nonnulla resecui.* EPIGRAPHAS *vel inscriptiones singulis Epistolis nouas præfiximus; veteres, vti parum idoneas migrare iussimus. Eas, si quis auet cognoscere, quales fuerint, inueniet eas in Notis ad finem Epistolarum adiectis.* ARGVMENTA *addidimus, quæ in Archetypo penè nulla erant, vt statim in oculos lectoris incurrerent omnia quæ quaque epistola continerentur: multos enim solet tractationis prolixitas, si styli accedat ruditas, à lectione mox absterrere.* ORAS *item omnes Scripturarum Patrumque testimoniis non paruo labore conquisitis, & breuissimis summariis ad leuandam lectoris curam, ornauimus. verbaque Patrum, quia librarij incuria crebrò erant deprauata, ita vbique descripsimus, vti nunc in emendatissimis inueniuntur codicibus, & non, vt in exemplari Hincmariano erant. Quod si tamen probabilis aliqua varietas in eo occurrebat, eam cum asterisco ad marginem expressimus. In* ORTHOGRAPHIA *eiusdem MS. exemplaris, nihil mutauimus, neq; loco mouimus, nisi exploratas mendas & lapsus. Scripturam vocum quarundam illo æuo vsitatam reliquimus, vt* KAROLVS *&* KAROLOMANNVS *pro Carolo & Carolomanno,* HLOTHARIVS *&* HLVDOWICVS, *pro Lothario & Ludouico.* PIPPINVS *pro Pipino.* Parrochus, *p parochus.* intellego *pro intelligo.* cottidie, *p quotidie.*

Quid editioni epistol. accesserit nocui.

De inscriptione Epistolarũ.

De argumentis.

De marginal. annotation.

De orthographia.

tidie. isdem *pro idem.* idem *pro iidem.* inreligiosus, *pro irreligiosus*, infra *pro intra.* beniuolentia, *pro beneuolentia.* inlicita *pro illicita.* adicere, *pro adiicere, &c. Quam scripturam alicubi seruatam non esse dolemus, vt primis statim paginis in dictis Regiis nominibus; sed eius vitio id factum, cui nulla religio fuit, in re tantilla, fide archetypi posthabita, præuaricari. In extremum denique post Epistolas locum reiecimus nostras Coniecturas & NOTAS, paucuIas quidem illas, nec admodum necessarias, sed tamen, quæ lucem aliquam locis nonnullis obscurioribus afferre possint. CVM quibus terminare quidem harum epistolarum editionem constitueramus: verum, quoniam Typographus optabat spissius prodire Opus, operæ pretium nos facturos putauimus, si quaterna alia scripta HINCMARO nostro coætanea adiungeremus: nempe auream Aurelianensis Episcopi THEODVLPHI epistolam ad suæ diœcesis Parochos compresbyteros datam. Constitutionum CAROLI MAGNI Epitomen à LOTHARIO eius nepote euulgatam. Vitam S. VVIGBERTI FRITZLAR. Confessoris auctore LVPO SERVATO, & S. ROBERTI Bingionum Ducis, autore S. HILDEGARDE conscriptam. E quibus duo priora quidem aliàs typis excusa sunt, alterum quidem nuper à CÆS. BARONIO in tomo Annalium nono, alterum verò ante quinquaginta, eoque amplius, annos à VITO Amerpachio Ingolstadij, sed quia doctrinam continent admodum piam & salutarem, atque omnino consentaneam iis quæ ab HINCMARO traduntur in Epistolis, imò quæ magnam lucem multis Hincmarianis dictis conciliare possint, prorsus recudenda existimaui. Reliqua duo nunquam, quod sciam, prælum Typographicum subierunt. Vita S. VVIGBERTI, D. Bonifacij Archiepiscopi Moguntinensis & Martyris olim collegæ, vt liquet ex ipsa vita, auctorem præfert LVPVM, & quoniam in præfatione ad Bunonem Abbatem asseuerat se vitam illam exarasse anno Dominicæ incarnationis tricesimo sexto supra octingen-*

De notis.

De adiectis Hincmaro opusculis.

De auctore vitæ S. Vigberti.

octingentesimum, non dubium est, & aequalem fuisse nostri HINCMARI, & esse LVPVM Seruatum, cuius elogium praeclarum exstat apud TRITHEMIVM in Chronico Hirsaugiensi & scriptorum Ecclesiasticorum Elencho. Hunc enim LVPVM Seruatum, ait Synodo Moguntinae sub Rabano Archiepiscopo Moguntino ad annum Domini 847. celebratae interfuisse, & 851. hanc vitam cum meliore commutasse. Cum quo belle consentit quod Lambertus Schafnaburgensis in historia sua annotat, Abbatẽ Hirsfeldensem Bunonem, ad quem LVPVS hanc vitam misit, sub ann. Domini 831. vna cum Rabano, tunc adhuc Fuldensi Abbate fundamentum Ecclesiae huius S. VVIGBERTI posuisse, & anno 846. obiisse. S. ROBERTI Vita, etiamsi scriptorem non habeat eiusdem cum HINCMARO aui, ipse tamen eodem cum Hincmaro aeuo vixisse videtur. Scribit enim Vitae auctor Patrem beatae BERTHAE, quae S. Roberti fuit mater, CAROLI Magni floruisse temporibus. Quae vita hoc studiosius legi debet à Moguntinae diaecesis hominibus quo nomen sancti adolescentis hactenus, ob montem, qui apud vicinos Bingenses, S. Ruperti appellatur, notius fuit, quam rarissimae eius virtutes à S. HILDEGARDE diuinae reuelationis beneficio tandem toti mundo patefactae. Certè S. BERNARDVS cum aliquando Bingium venisset visendae S. Hildegardis, tunc in monte S. Roberti Abbatissae, causa, tanti huius Sancti, ob crebra miracula, quae ad eius sepulchrũ DEVS operabatur, reliquias fecit, vt non dubitarit partem aliquam reliquiarum eius à S. Hildegarde petere, quam & impetrauit, vt testatur TRITHEMIVS in Sponheimensi Chronico nuper edito ad annum Domini 1148. & 50.

De S. Roberti Vita.

S. Bern. petit reliquias S. Ruperti.

NEQVE iam plura, CANDIDE LECTOR, occurrunt, de quibus te commonefaciendum arbitror. Conatum studiumque nostrum hoc spero calculo tuo probabis procliuius, quo his libellis vberior absolutiorque cuiusque Christiani hominis institutio, velut summario quodam vel Breuiario, continetur.

HINCMARVS siquidem totus est in Regibus & Episcopis, hoc est, vtroq; magistratu, Ecclesiastico & Politico optimis documentis informando, THEODVLPHVS, ipse Episcopus, Parochos, omnesque clericos & laicos pulcherrimis monitis impellit ad officium sacro Christianoque homine dignum præstandum. CAROLVS Magnus cum nepote LOTHARIO cum suis CONSTITVTIONIBVS haud aliud propositum habent, quam disciplinam Christianam Ecclesiasticamque miserè superioris sæculi vitio inter arma apud omnes, æquè summos ac infimos, labefactatam, & penè collapsam, reuocatis cuique hominum sorti in memoriam priscis Conciliorum, Pontificum, Patrumque sanctorum decretis & præceptis, in integrum restituere. S. VVIGBERTVS, & B. ROBERTVS, monachus alter, alter sæcularis, vita & factis doctrinam à prioribus tribus traditam & diuulgatam expresserunt. Neque enim satis est multorum saluberrimorum dogmatum & legum notitiam animo comprehendisse, nisi piis, sanctisque moribus illa demonstrentur. Beati, *inquit CHRISTVS,*

Luc. 11. qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. *Et S. IACO-*

Iac. 1. *BVS Apostolus.* Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos, *&c.*

VALE, & VIVE.



IOANNES TRITHEMIVS IN SCRIptorum Ecclesiasticorum Catalogo.

HINCMARVS ARCHIEPISCOPVS RHEMENSIS, ex Monacho S. DIONYSII Parisiensis, vir in diuinis Scripturis singulariter doctus, & in secularibus litteris nulli suo tempore secundus, sapientia & morum honestate conspicuus, atque eloquentissimus, scripsit non contemnendæ auctoritatis plura Opuscula, de quibus ego tantum reperi subiecta.

Ad Ecclesiam Rauennatensem, lib. 1.
Vitam S. Remigij Episcopi lib. 2.
Ad Walonem Episcopum Metensem lib. 1.
Epistolarum multarum. lib. 1.

De cæteris nihil vidi.

Claruit sub CAROLO MAGNO, & Ludouico eius filio, Imperatoribus. Anno natiuitatis Dominicæ 800. Et multa dogmata scripsit.



SCHE-

SCHEMA
REGVM FRANCIÆ, ET
IMPERATORVM, QVORVM HINC-
MARVS in Epistolis meminit.

REGES FRANCIÆ.

1. CHLODOVÆVS *regnum iniit anno Christi 484. Baptizatur Regni 12. pag. 26. 72. 188.*
2. CAROLVS *Martellus. ann. 632. Filij eius Carolomannus & Pipinus. p. 4. 112.*
3. CAROLOMANNVS, *&* PIPINVS. *ann. 741. p. 2. 6.*
4. PIPINVS *solus. ann. 746. quo Carolomannus Monachus factus. Filij eius Carolus & Carolomannus. p. 2. 5. 6. 26.*
5. CAROLVS *Magnus & Carolomannus. an. 768. p. 2. 5.*
6. CAROLVS *Magnus solus. ann. 771. quo obiit Carolomannus frater. p. 2. 26.*

IMPERATORES.

1. CAROLVS MAGNVS *Imperator factus ann. 800. Filios habuit Carolum, qui obiit an. 811. & Pipinum, qui obiit an. 810. & Ludouicum. p. 2. 5. 26. 164.*
2. LVDOVICVS. *ann. 814. Filij eius Lotharius, Pipinus, Ludouicus, & Carolus Caluus. p. 3. 4. 189.*
3. LOTHARIVS. *an. 840. Filii, Ludouicus, Lotharius, & Carolus. p. 3. 165.*
   LVDOVICVS *filius Ludou. I. Imp. dictus Germanicus habuit 3. filios Carolomannum, Ludouicum, & Carolum Crassum. p. 3. 4. 57. 59.*
4. LVDOVICVS II. *Lotharii filius, ann. 855. p. 3. 165.*
5. CAROLVS CALVVS *ann. 875. Filius eius Ludouicus Balbus. p. 3. 4. 57. 59. 164.*
6. LVDOVICVS III. *Balbus. ann. 877. Filii eius Ludouicus, Carolomãnus, & Carolus simplex posthumus. p. 2. 11. 188. 191. 192. 196.*
7. CAROLVS *Crassus, filius Ludou. regis Germaniæ. ann. 879. p. 10. 190. 191.*

HINC-

HINCMARI RHEMORVM ARCHIEPISCOPI EPISTOLÆ.

EPISTOLA I.
AD LVDOVICVM BALBVM REGEM.

ARGVMENTVM.

Hincmarus iam senex à nouo Rege LVDOVICO *rogatus, vt consilium suum de adeunda pacifica Regni administratione suppeditaret, respondet, & allatis recentibus maiorum eius exemplis probat, id ex concordibus bonorum Consiliariorum pendere sententiis. Itaq; eum hortatur, vt Conuentum generalem Primorum regni indici curet, qui remota omni ambitione & auaritia de necessitatibus commodisq; Regni decernant: deinde sex capita præscribit, de quibus in illo conuentu tractari possit, atq; etiam media Regi suggerit, quibus executioni decreta mandari queant: nempe si ipse per preces diuinum auxilium imploret, si contritione, confessione, & operum satisfactione Deum iratum sibi conciliet, si proximum, id est, clerum populumq; iustitiæ & caritatis exemplis sibi deuinciat, si contra carnem suam, Deiq; & Ecclesiæ hostes bellum suscipiat.*

DOMINO HLODOVVICO REGI GLORIOSO, sit semper salus & vita.

CAPVT I.

DOMINATIO vestra mihi mandauit, vt ad vos festinarem venire, quia mecũ de vestris, & sanctæ Ecclesiæ, ac Regni vtilitatibus tractare velletis: vnde vobis humili, ac

certa responsione satisfactionem exhibeo. SANCTVS Apostolus dicit. *Quæcumq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Legimus in antiquis historijs, quia sæpe, quando reges constituti sunt, inter regni primores discordia orta est, quoniam aliqui sine aliorum consilio eius constitutionem vindicare sibi voluerunt. Quæ discordia non sine impedimento fuit pacificata. Legimus, quia boni reges constituti bonos sibi consiliarios adhibuerunt, & per bonos reges, & bonos consiliarios regnorum populi multa bona habuerunt, & per malos reges & malos consiliarios regnorum populi multa mala sustinuerunt.

Rom. 15.

Regibus necessarii boni consiliarii.

CAPVT II.

VT de recentioribus historijs vobis proponam exempla: Quando PIPPINVS abauus vester ægrotauit, in infirmitate, de qua & mortuus est, apud monasterium S. DIONYSII regni sui primores conuocauit, & eorum consilio disposuit, qualiter post eum filij sui Carlomannus & Carolus, qui cùm eo erant, regnum eius pacificè gubernarent. Mortuo autem illo, & cum magna deuotione sepulto, CARLOMANNVS ad Suessiones, & CAROLVS ad Nouiomum venerunt, & decimoquinto die post illius obitum consilio & auxilio regni primorum in Reges leuati sunt, & vnusquisq; de regni primoribus sine vlla contentione ad Regem suum conuenit. Post tres circiter annos mortuo CARLOMANNO in Salmontiaco, venit CAROLVS ad Corbennacum, & regni primores, qui cum CARLOMANNO fuerũt, illuc ad eum conuenerunt, exceptis paucis, de quibus non est modò necessarium dicere.

Aimoni lib. 4. de gest. Francor. c. 67. ad ann. 768. Regin. lib. 2. Chron. an. 768.

Regino & Aimoinus, *Carbonacum.*

CAPVT III.

MORTVO autem CAROLO Imperatore, & sepulto in Aquis

Rhegin. lib. 2. Chro. ad an. 813.

in Aquis palatio, regni primores, qui cum eo erant, miserunt ad HLVDOVVICVM auum vestrum, qui erat in Teutuado: qui trigesimo die post mortem patris sui venit Aquis, & cum regni primorũ consilio pacificè regnum disposuit, donec causa emergente, quam non oportet nunc dicere, inter illum & filios eius est orta discordia, pro qua magna pars de regni primoribus cum HLOTHARIO perrexit, in Langobardiam.

Aimoin. l. 4. c. 100. vocat *Theoduadum* Aquitaniæ villam.

Aimoi. l. 5. c. 4.

CAPVT IV.

MORTVO HLVDOWICO Imperatore auo vestro, quidam de istius regni primoribus euocauerunt HLOTHARIVM, & primores, qui cum illo erant de Langobardia in istud regnum. Et quidam de regni primoribus fuerunt cum CAROLO patre vestro, & quidam cum HLVDOWICO patruo vestro. Interea cœperunt regni primores, qui cum tribus fratribus erant singillatim certare de honoribus, quiq; illorum, vnde maiores & plures possent obtinere: & parui pendentes Sacramenta de diuisione regni facta, & plus certantes de illorum cupiditate, quàm de seniorum suorum, & de sua salute, & de sanctæ Ecclesiæ, ac populi pace; qui cum HLOTHARIO erant, immiserunt illum in hoc, vt fratres suos exhæredaret, & regni primores, qui cum illis erãt, adnullaret, quoniam ipse primogenitus, & in nomine Imperatoris erat. Illi autem, qui erant cum CAROLO & HLVDOWICO, dicebant, quia seniores illorũ HLVTARII fratres erant, & per Sacramenta regnum inter eos diuisum fuerat: & illi nec genere, nec potestate inferiores erant, quàm illi, qui cum HLOTHARIO erant, & ideò non se contra illos concrederent. Vnde mala multa & maxima increuerunt in terra, vsq; dum inter carne propinquos & Christianos tantũ malum, & tam grande periculum in Fontanido

Rhegino lib. 2. Chron. ad ann. 184.
Fontaniacum.
Aim. l. 4. c. 51.

tanido deuenit, quantum inter Christianos non accidit ex eo tempore, quo primum CAROLVS cum Raganfredo in Vinciaco pugnauit, sed non pro illa occisione, quæ facta fuit in Fontanido pax in regno prouenit, sed tamdiu illa miseria inter Christianum populum, & carne propinquos mansit, donec, vellent nollent, & seniores, & regni primores in tres partes regnum diuiserunt, & per Sacramenta ipsam diuisionem stabilem esse debere confirmauerunt.

Reg ann. 842.
Aimon. loc. cit.

CAPVT V.

Rheg. in ad an. 855. ait Lotharium filiis diuisisse an. mortē. Filius Loth. obiit teste Regh. anno 869. Diuisio inter Carolum Caluum, & Lodouicus fratrem facta est an. 870. teit. Rheg.

MORTVO HLOTHARIO, filij eius regnum illius inter se diuiserunt. Vnde adhuc illis viuentibus facta est firmitas per Sacramentum inter patrem vestrum & patruum vestrum HLVDOVVICVM. Mortuo autem HLOTHARIO filio HLOTHARII post multas controuersias facta est diuisio inter patrem vestrum, & patruū vestrum HLVDOVVICVM de parte regni HLOTHARII. Mortuo autem HLVDOVVICO fratre HLOTHARII in Langobardia, requisita est patri vestro à fratre suo & à filijs eius pars de regno illius, vnde adhuc viuente HLVDOVVICO, sed & anno præterito tales deuenerunt miseriæ, sicut vobis sunt notæ: & hoc anno talis prouenit lugenda infælicitas, quæ per vniuersum pænè mundum, & per futura tempora meritò erit in obprobrium.

CAPVT VI.

PROPTEREA videtur exiguitati meæ vestrum esse consilium, vt de antiquis Historijs, quantum potestis, attendatis, ne in exordio regni vestri inter primores regni de vestro regimine oriatur discordia, quæ non sine impedimento possit esse sedata: & regni primores, qui vobiscum sunt, sic seipsos & suas voluntates contemperēt, ne alios istius regni primores ad scandalum per suam cupiditatem, aut negligentiam prouocent. Præsertim, cum

eum non habeatis fratrem, ad quem populus debeat se diuidere, sicut nec diuisus est CAROLO Imperatore mortuo, sed se vniuit cum HLVDOVVICO illius vnico filio. Nam si illi boni Barones post mortem Pippini cum duobus fratribus sic sano consilio egerunt, vt pax inter fratres reges & inter regni primores ac populum esset, multò facilius, nisi se inuidia & cupiditas intermiserint, vobiscum DEO adiuuante se ad DEI voluntatem, & suam salutem vnire valebunt: attendentes, quanta miseria accidit de discordia, quæ facta est inter tres fratres post mortem HLVDOVVICI Imperatoris.

Aim. l. 4. c. 67. Carolum & Carolomannum.

Rhegin. lib. 2. Chron. ad ann. 841.

CAPVT VII.

Vos scitis, quia pater vester prius Remis de constitutione vestra post illum in regimine regni cum primoribus regni sui disposuit: vbi, quantum recordor, maximè omnes regni primores fuerunt, excepto venerabili Abbate Hugone, & Bernardo Comite Aruernense: & omnes secundum dispositionem patris vestri in vestra regia constitutione consenserunt. Et quando proximè in Carisiaco inde disposuit, & nomina vobis descripta dedit, quorum consilio & auxilio regni negotia disponere deberetis, (inter quos & Boso adscriptus est) omnes præsentes adfuerunt, excepto ipso Bosone, & Hugone Abbate, & Bernardo Comite Aruernico: & omnes, qui adfuerunt, in regia vestra constitutione consenserunt; sed & illi, qui cum patre vestro perrexerunt: Propterea sub celeritate mittite ad Hugonem & Gozlenũ Abbates, & ad Bosonem, & Conradum, & Bernardum, itemq; Bernardũ, Comites: & petite, vt talem locum, sicut eis commodius visum fuerit vobis & eis, qui in istis partibus sunt, sed & ipsis, qui in illis partibus sunt, conuenire, prouideant, & vobis mandent, vt illuc veniatis

Carolus Caluus quid de successore suo Lodouico filio ordinauerit.

Bernardus Aruernus & Bernardus Gothiæ marchio Aimo l. c. 35.

Hortatur vt conuentum Principum indicat.

cum primoribus, qui in istis partibus sunt. Et taliter quiq; conueniant, vt regnum non deprædetur, nec deuastetur, vt communi consilio de communi necessitate & vtilitate tractetis, qualiter illa capitula, quæ pater vester proximè in Carisiaco adnuntiauit, ad effectum peruenire possint; quæ interim relegite & vos, & illi, qui vobiscum sunt, & mente recondite.

CAPVT VIII.

CREDO etiam, quia pater vester, postquam sciuit se de sua infirmitate non posse conualescere, non dimisit, vt vobis de regni dispositione, quæ ad Dei voluntatem & sanctæ Ecclesiæ statum, & vestrum honorem ac primorum regni, & populi necessitatem, & vtilitatem sciuit, quædam specialiter non mandauerit. Propterea necesse est, & bonum videtur, vt illi etiam intersint, qui cum illo fuerunt: & omnes communiter de communi necessitate & vtilitate tractent. Ego etiam, licet minimus illorum, & debilis ac infirmus, in DEI & vestrum seruitium, & illorum obsequium Domino annuente libenter conueniam, &, si aliquid vtilitatis valuero conferre, voluntariè faciam, quia necesse est, vt cum Dei & vestris fidelibus tractetis & disponatis.

In conuentu regni quid tractandum.

PRIMO, qualiter nos in regimine regni cum honore & saluamento, ac supplemento de his, quæ necessaria
1. sunt, cum regno ac domo vestra possitis consistere. Se-
2. cundo, vt præfatum capitulum à patre vestro nuper in Carisiaco denuntiatum de honore sanctę Ecclesiæ, & sacerdotum ac seruorum DEI debito priuilegio ad effectũ perduci possit: & vt Ecclesiæ in isto regno per occasionabiles circadas & per indebitas consuetudinarias exactiones, quæ tempore PIPPINI, CAROLI, & HLVDOVVICI non fuerunt, ante annos viginti impositas, non affligantur.

Exactionibus liberandum Regnum.

tur. Tertio, qualiter regni primores cum debita securitate ac honore erga vos consistere possint, & cæteri nobiles homines in regno securitatem habeant, ne per diuersa ingenia à suis opibus, quas habere potuerint, despolientur: quia postquam radix omnium malorum cupiditas in regno isto exarsit, vt nullus, aut penè nullus honorem, aut aliquod bonum sine precio posset adquirere, aut tenere, aut securitatem habere; pax & consilium, & iustitia, atq; iudicium, sicut necesse fuerat, locũ in isto regno non habuerunt. Quarto, vt inueniatis cum DEI & vestris fidelibus, qualiter istæ rapinæ & deprædationes in isto regno cessent, & miser iste populus, qui iã per plures annos per deprædationes diuersas & cõtinuas, & per exactiones *ad Nortmannos repellendos* affligitur, aliquod remediũ habeat, & iustitia & iudicium, quæ quasi emortua apud nos sunt, reuiuiscant, vt virtutem nobis Deus reddat contra paganos; quia vsq; modo iam ante plures annos locum in isto regno defensio non habuit, sed redemptio & tributum, & non solum pauperes homines, sed & Ecclesias quondã diuites iam euacuatas habent. Quinto, vt concordiam, quæ secundum Deum est, qua nuper in Carisiaco pater vester mentionem habuit, inter fideles Dei & vestros haberi & vigere, quantum potueritis, satagatis, & vos talem erga eos præparetis, vt verum consilium vobis dare possint & audeant. Quia, sicut per multos audiui, multum deperijt de vtilitate in isto regno, pro eo, quia consiliarij, quod sciebant bonum & vtile, dicere non audebant, nec, vt dicerent, locum habebant. Nullus enim homo est sic sapiens, vt alterius non indigeat consilio, sicut scriptum est. *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit, & qui confidit cogitationibus suis impiè aget.* Sexto, vt inueniatis

3. | Cupiditas fons omnis discordiæ in regno. | 4. | Deprædationes crebræ in Francia. | 5. | Consiliarii in sententia dicenda debent esse liberi. | Prou. 1. & 12. | 6.

niatis

niatis cum DEI & vestris fidelibus, qualiter pacem & amicitiam secundum Deum cum vestris sobrinis patrui vestri filijs habeatis, & mutuum adiutorium vobis ad DEI voluntatem, & sanctæ Ecclesiæ, ac vestrum honorem, atq; communium fidelium vestrorum saluationem exhibeatis.

CAPVT IX.

Oratio ad Deũ necessaria pro felici exitu conuentus.

CÆTERVM, qualiter hæc ad effectum perueniant, & cætera necessaria inueniantur & assequantur, Deus est exorandus, qui vnicuiq; deuoto promittit; *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, & dabitur illi.* Et item dicit. *Indicabo tibi homo, quid sit bonum, & quid Deus requirat à te. id est, facere iudicium & iustitiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Facienda est iustitia, non pro vllo terreno lucro, sed pro eo ipso, quia iustitia est. Sicut scriptum est. *Iustè quod iustum est, exequeris.* Faciendum est iudicium pro iniquorum correctione, & pro iniuriam sustinentium directione, non pro maleuolentiæ vltione: nec pro iustam causam habentium oppressione. Nam qui iniustè iudicant, non iudicant iudicium, id est, iure ac legaliter dictum, sed præiudicium. Vnde, sicut Dominus dicit, *qui iniustè iudicant, iustè iudicati condemnabuntur.* Sollicitè vnicuiq; ambulandum est cum Deo suo, & regi præcipuè, qui sub tantis erit in pœnis in futuro sæculo, si malus fuerit, super quantos fuit in isto sæculo, in quo se à malitia non correxit, & non fecit iudicium & iustitiam, & non ambulauit sollicitè cum Deo suo. Sicut enim homo subiectus vadit sollicitè cum seniore suo, vt ea faciat, quæ illi placeant secundum Deum ad salutem, & secundum sæculum ad honorem & profectum, & si in aliquo fecerit, quod seniori suo displiceat, hoc statim emendare festinat, vt ad gratiam illius reueniat; sic vobis necesse est

Iac. 1.

Mich. 6.

Iustitia regi facienda.

Deut. 16.

Deut. 25.

Sollicitè Regi ambulandum cum Deo.

Rex impius in inferno torerit subiectus, quot præpositus fuit in seculo.

se est, vt sollicitè ambuletis cum seniore vestro Rege Regum, vt de præteritis, quæ contra illius voluntatem fecistis illi per confessionem & cordis contritionem, & per opera bona satisfaciatis, & ab illius mandatis de cætero non declinetis: & si per fragilitatem in aliquo lapsi fueritis, sicut ille, qui lubricat de vno pede, de altero pede vel manu sibi subuenit, vt restituatur: sic iterum per deuotionem & bonam operationem certate, vt ad gratiam senioris vestri Domini Dei reueniatis: quia peccantes, & non pœnitentes, Dominus diu, vt conuertantur, tolerat; sed non conuersos durius damnat. Sicut etiam in vestra ætate audire & videre potestis, & de vobis, ne similia vobis eueniant, timere & cauere debetis. Et talem vos erga cultum diuinum, & sanctam Ecclesiam, ac Sacerdotes & seruos Dei, cæterosq; fideles vestros in omni statu manentes, & erga populum vobis à Deo commissum exhibete, vt vos diligant, & eos delectet tam in spirituali seruitio, quam in temporali adiutorio, vbicumq; vobis necesse fuerit, debitum obsequium exhibere: & plus vos delectet Christiana religio, & cordis humilitas, quã vanæ pompæ & voluptates carnis: quoniam quantislibet molibus argenti & auri circumdetur, quibuslibet preciosis vestibus induatur, caro, quid est aliud quam caro? id est, putredo, & filius hominis vermis, & puluis, ac cinis? Non vos tantum delectet per venationes insequi bestias siluestres, quantũ pugnare contra carnis voluptates, & Dei ac sanctæ ipsius Ecclesiæ inimicos tam corporales quam spirituales: quia sicut dicit Dominus per Apostolum. *Caro concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem.* Et. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spiritales nequitias.* Non vos delectent tantũ diuitiæ possessionum auri & argenti

Confessione, contritione & operibus bonis satisfaciendum Deo post lapsum.

Deus non pœnitentes diu tolerat, sed durius damnat.

Rex vt se habere debeat erga clerum & subditos.

Regi religio & humilitas commendatur.

Et pugna contra carnem.

Gal. 5.

Ephes. 6.

atq; gemmarum, vt inter eos computemini, qui idola adorant, quoniam sicut dicit Apostolus, *auaritia idolorum seruitus est*, quantum fides, spes & charitas, justitia, veritas, & iustum iudicium, quæ perducunt hominem in eis perseuerantem ad æternum regnum, & angelorum consortium. Colos. 3.

CAPVT X.

QVÆ nunc verbis Dominationi vestræ dicerem, si corpore præsens adessem, hæc literis suggero: quia de generalibus Ecclesiæ ac Regni negotijs sine generali primorum regni consilio & consensu, speciale dare consilium nescio, & consensum deliberare non valeo, nec præsumo. Propterea mihi jam & ætate & infirmitate ac debilitate attrito, non necesse est à Dominatione vestra imponi, vt sine causa laborem, antequam ad placitum vestrum Dei & vestri fideles conueniant: & ego, qualitercunq; potuero, fauente Domino, sicut prædixi, in Dei & vestrum seruitium, & illorum obsequium veniam. Si autem, quod Deus auertat, interim alicuius perturbationis causa euenerit, & mihi notum facere Dominationi vestrę placuerit, pro scire & posse, & consilio & auxilio in vestro obsequio fideliter laborabo.

EPISTOLA II.

AD CAROLVM III. CRASSVM Imperatorem.

ARGVMENTVM.

COMmendat CAROLO *Imperatori, vt Ecclesiam Gallicanam pæne collapsam restituat, Regni dissidia tollat, Ludouici Balbi liberis è Regni Primoribus idoneos institutores & consiliarios attribuat, qui eos doceant Ecclesiæ sanctæ priuilegia tueri, eiusq; sacerdotes venerari, iustitia*

stitiæ leges apud primores æquè ac subditos sartas tectas conseruare, diuinum auxilium per preces crebro implorare, impios & sceleratos coercere, orphanorum & pupillorum patrocinium suscipere, humilitatem, caritatem, mansuetudinem erga omnes sectari, improborumq; societatem & familiaritatem defugere.

DOMINO CAROLO, IMPERATORI GLOrioso Hincmarus Episcopus ac plebis Dei famulus, præsentem & futuram optat prosperitatem & gloriam.



AVDIENS laudabilis fidei vestræ benignitatem erga filios sobrini vestri HLVDOVVICI, quondam senioris nostri, gratias Deo retuli, petens, vt, qui dedit vobis velle, donet, quæ cæpistis perficere pro bona voluntate, & hoc tam per me, quam per familiares & subiectos mihi Domini misericordiam oro, vt vestra potestas atq; prosperitas in sua voluntate corroboretur, & vt in fide recta & operibus bonis perseuerantem de temporali regno quandoq; ad æternum perducat.

CAPVT I.

PRECAMVR, Domine carissime, vt respectu Dei adiutoris & protectoris vestri regiminis, Regni huius Ecclesiam, quam Christus acquisiuit sanguine suo, sicut & per vniuersam orbem diffusam, apud nos in multis conlapsam vestro sapienti consilio & potestatis auxilio releuetis, & regni diuisionem consolidetis, ac primores ipsius compaginetis: & quæ in hoc regno propter dissensiones perperam aguntur, euelli faciatis, & istos iuuenes, Reges nostros, propinquos vestros & pupillos sine patre, loco filiorum teneatis, & eis regnum ab antecessoribus illorum successione dimissum per suggestionem

Petit Ecclesiam reformari, Regni dissidia tolli, pupillis Regibus idoneos consiliarios attribui.

Primorum regni huius disponatis, &, qui de primoribus cuiq; illorum conuenient, ordinetis. Et si forte fuerint ex nostratibus, qui potius quæ suæ voluntatis sunt, quam quæ ad honorem & defensionem sanctæ Ecclesiæ, ac ministrorum eius, & ad Regum ac regni pacem & tranquillitatem pertineant, facere velint, sapientia & potestate vestra eos reuocate; vel, si fuerit necesse, comprimite, atque exteros aduersantes istis vestris filiis, & nobis omnibus vestræ Dominationi fidelibus defensionem solatij exhibete, quatenus & apud DEVM debitam inde remunerationem, & apud sæculum nomen celebre habeatis.

CAPVT II.

Quintil. l. 1. c. 1. ET quia legimus de Alexandro Magno, cuius pædagogus Leonides nomine fuit, quod citatos mores, & inhonestum incessum habens, in pueritia, idem Alexander ex præfato pędagogo suo eadē accepit vitia, quę adultus in seipso corrigere voluit, &, cū omnia regna vicerit, Horat. 1. epist. 2. seipsum in hoc vincere non potuit: quoniam, vt quidam 3. Reg. 12. sapiens scripsit. *Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu.* Et de filio Salomonis Regis legimus, quia relicto senum, & iuuenum vsus consilio, magnam partem regni Pædagogi quales attribuendi Regum filiis. perdidit, & nō suo, sed aui sui Dauid merito paruā partē regni ei Dominus reseruauit: istis iuuenibus fidelibus filijs vestris, Regibus nostris, maturos ac prudentes, atq; sobrios baiulos singulis constituite, qui oderint auaritiam, Sap. 1. Psalm. 10. & eos verbo & exemplo iustitiā diligere doceant secundū scripturam dicentē. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* quoniam, *qui diligit iniquitatem, odit animam sua m.*

CAPVT III.

Reges honorēt sacerdotes. DOCEANT eos verbo & exemplo sanctam Ecclesiam & ministros eius honorare, dicente Scriptura. *Presbyteris*

byteris humilia animam tuam & magnatis inclina caput tuum. Luc. 10.
Quibus Dominus dicit. *Qui vos audit, me audit, & qui vos* 1. Reg. 2.
spernit, me spernit. Et, *Honorantes me honorificabo, & qui contemnunt me erunt ignobiles.* Doceant eos verbo & exemplo Ecclesiæ sanctæ Rectoribus atq; ministris debita priuilegia Spiritu DEI condita, & totius mundi reuerentia consecrata seruare, Scriptura docente. *Lex Domini ir-* Psal. 18.
reprehensibilis, conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Et in Euangelio Dominus. *Qui diligit me, mandata mea custodit.* Et. *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Et Apostolus. *Qui dicit, quia diligo Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Et item Dominus in Euangelio contemptoribus mandatorũ suorum. *Qui est*, inquit, *ex Deo, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

Tueantur eorum priuilegia. Ioan. 14. 1. Ioan. 4. Ioan. 8.

CAPVT IV.

DOCEANT eos verbo & exemplo regni primoribus, & cęteris regni fidelibus, atq; sanctę Ecclesię defensoribus, vnicuiq; in suo ordine, competentem legem & iustitiam conseruare, dicente Scriptura. *Iustitia Regis exaltabit solium eius, & veritate solidantur gubernacula populorũ.* Custodiant, & doceant eos castè ac sobriè & piè viuere, quia, sicut dicit Scriptura. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & non habitabit in corpore subdito peccatis.*

Iustitiam omnibus præstent. Prou. 1. & 16. Sap. 1.

CAPVT. V.

PROPONANT eis frequenter verba S. Cypriani, qui regis ministeriũ in nono gradu abusionum apertè ostēdit. *Regem*, inquiens, *non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet. Vnde in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomē enim regis intellectualiter hoc retinet, vt subiectis omnibus Rectoris officium procuret. Sed qualiter alios cor-*

Cypr. de 12. abus. sæculi c. 9.

Regis officia quæ.

rigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui sint, non corrigit? Iustitia verò Regis est, neminem iniustè per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter virum & proximum suum iudicare, aduenis & pupillis & viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & periurantes viuere non sinere, Ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, iustos super Regni negotia constituere, senes, & sapientes, & sobrios consiliarios habere, Magorum & ariolorũ, pythonissarumq; superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & iustè contra aduersarios defendere, per omnia in Deo viuere, prosperitatibus animum non eleuare, cuncta aduersa patienter ferre, fidem Catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impiè agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas cibum non gustare. Væ enim terræ, cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt. Hæc regni prosperitatem in præsenti faciunt, & regem ad regna cælestia meliora perducunt. Qui verò secundum hanc legem regnum non dispensat, multas nimirum aduersitates Imperij tolerabit. Et si rex his, quæ præscripta sunt, contraria senserit, vel egerit, & in his contrarijs perseuerauerit, sicut in throno hominum primus constitutus est, sic omnes quoscunq; peccatores sub se in præsenti habuit supra se modo implacabili in illa futura pœna habebit. Et non solum regi, sed & omni, qui in dominationis est potestate, tria necessariò habere oportet: *terrorem, scilicet, ordinationem & amorem. Nisi enim ametur Dominus, & metuatur, ordinatio illius constare minimè poterit. Per beneficia ergò, & affabilitatem procuret, vt diligatur, & per iustam vindictam, non propriæ iniuriæ, sed legis Dei studeat, vt metuatur.* Et in his, & alijs omnibus princeps semper Deum cogitet, & illi adhæreat: quia, nisi conditori suo pertinaciter adhæserit, & ipse, & omnes, qui ei consentiunt, citò deperient. *Omnis igitur qui præest, hoc*

Regum est certis horis vacare orationi.

Eccles. 10.

Reges impii in inferno grauiores pœnas subditis peccatoribus sustinebũt.

Cypr. 16. c. 6.

Tria cuiq; principi necessaria.

Cypr. 16.

est, hoc primitus tota animi intentione procuret, vt per omnia de Dei adiutorio omnino non dubitet. Si namque cœperit in actibus suis auxiliatorem habere Dominum, nullus hominum contemptui habere poterit eius dominatum. Non est enim potestas, nisi à Deo. Rom. 13. *Ipse eleuat de stercore egenum, & sedere facit cum principibus populi sui. Deponit potentes de sede, & exaltat humiles.* Psalm. 112.

CAPVT VI.

IPSI autem baiuli magnopere prouidere debent, ne super socios suos se extollant, sed iuxta Scripturam dicentem: *quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Eccles. 3. Et, sicut de Ioiada legimus, quia Ioas Regem puerum eleuauit, & vnxit in regẽ, imponens ei diadema, & dans legem in manu eius, vt secundum illam viueret, & populum regeret: & docuit ipsum iuuenem Regem vsque ad ætatem adultam. De quo scriptum est, quia bene regnauit ipse Ioas, *quamdiu docuit eum Ioiadas.* Humilitas decet Reges. 4. Reg. 12. 2. Par. 23. & 24. Et S. GREGORIVS admonet nutritores filiorum Imperatoris Græcorum, vt ea illis loquantur, quæ eorũ mentes in charitate circa se inuicem, & erga subiectos in mansuetudine coniungant: ne, si quid odij inter se pueri conceperint, in aperto postea erumpat. *Verba,* inquiens, *nutrientium, aut * lac erunt si bona sunt, aut * venenũ, si mala. Talia ergò* in pueritia *eis suggerant, quæ postmodum ostendant, quàm bona fuerint, quæ à nutritorum suorum ore suxerunt.* Greg. lib. 6. Epist. 23. Item charitas & mansuetudo. * lactea. * venenosa.

CAPVT VII.

DEBENT etiam prouidere, ne tales illis in familiaritate iungantur, per quorum suggestiones ad iniqua opera, vel ad discordias inter se & illorum subiectos corda illorum pertrahantur, quia scriptum est. *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Et societas bonorum. 1. Cor. 15. Debent autem illis baiuli eorũ persuadere, vt non sint inuicem inuidentes, inuicem prouocantes, sed mutua dilectione coniuncti, & ad inuicem Gal. 5.

uicem

Prou. 18. Eccles. 25. uicem se adiuuare parati. quia, vt scriptum est, *frater fratrem adiuuet, & ambo consolantur.* Si enim Domine mi Rex, huius Regni Ecclesia, & ministri eius, ac populus hæc per vos obtinuerint, quantam mercedem & remunerationem inde apud Deum, & bonum nomen apud sæculum habebitis, ex verbis Apostoli pensare potestis, Iacob. 5. qui dicit, *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum suorum.* Si ergo Apostolus spiritu Dei plenus de vno peccatore conuerso tantam remunerationem præmittit, colligat sapientia vestra, quantam de tantorum salute ac profectu remunerationem apud Deum habebitis?

EPISTOLA III.

AD EPISCOPOS QVOSDAM FRANCIÆ.

ARGVMENTVM.

PRO recta noui & iuuenis Regis institutione rogatu quorundam Episcoporum Hincmarus iam ætate prouectus hanc epistolam, vel, vt ipse cap. 11. vocat, opusculum scripsit. in quo primo docet Mundum à duplici potestate regi, Pontificia & Regali. Episcoporũ, Regumq; & omnium qui aliis præsunt munus esse canones & leges non ignorare, Deum timere, iustitiam colere, eos iudices constituere, qui iustitiam diligant & auaritiam oderint. Deinde ex Adalhardi Abbatis Corbeiensis, Caroli Magni propinqui, libello accuratè & copiosè exponit, quis ordo & modus non in Palatio solum Regio, sed toto etiam regno pacificè administrando olim fuerit vsurpatus. Itaq; principiò omnes Palatii ministros eorumq; officia describit: tum subiicit, quibus mediis pax Regnorum conseruata fuerit, nempe crebris placitis, id est, annuis comitiis binis, Consiliariorumq; eorum delectu, qui nihil Deo, saluti suæ Regis & Regni anteponerent. Ac demum addit, qua praxi & ordine conuentus illi instituti fuerint.

HINCMA-

HINCMARVS EPISCOPVS, AC plbeis Dei famulus.

CAPVT I.



RO ætatis & sacri Ordinis antiquitate, posteriores tempore, boni & sapientes viri, rogatis exiguitatẽ meam, vt qui negotijs Ecclesiasticis & Palatinis, quando in amplitudine, & vnitate regni prosperè agebantur, interfui, & consilia, doctrinamq; illorum, qui sanctam Ecclesiam in sanctitate & iustitia rexerunt, sed & eorum, qui soliditatem regni tempore superiore prosperius disposuerunt, audiui: quorum magisterio traditionem maiorum suorum didici: post obitum etiam Domini HLVDOVVICI Imperatoris in eorum obsequio, qui pro filiorum eius tunc temporis Regum nostrorum concordia sategerũt, pro modulo meo frequentibus itineribus, verbis, & scriptis laboraui, ad institutionem istius iuuenis & moderni Regis nostri, & ad reerectionem honoris & pacis Ecclesiæ, ac regni ordinem ecclesiasticum, & dispositionem domus regiæ in sacro palatio, sicut audiui & vidi demonstrem, quatenus in nouitate sua ea doctrina imbuatur, vt in regimine regni Deo placere, & in hoc sæculo fælici ter regnare, & de presenti regno ad æternum valeat peruenire. Experimento quippe cognoscimus, quia vas nouum, quo prius sapore & odore imbutum fuerit, illud in posterum diu retinebit, sicut & quidam sapiens dicit. *Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu,* Et legimus, quomodo Alexander in pueritia sua habuit baiulum nomine Leonidem citatis moribus, & incomposito incessu notabilem, quæ puer, quasi lac adulterinum sugens, ab eo sumpsit. Vnde in adulta ætate sapiens & rex

Hincmarus à consiliis fuit Regibus Franciæ.

Puerilis institutio magni facienda.

Horat. lib. 1. epist. 2.
Quintil. l. 1. c. 1.

fortis se ipsum reprehendebat, & vitare volebat: sed, vt legitur, cum omnia regna vicerit, in hoc seipsum vincere non potuit.

CAPVT II.

Regum est timere Deum & colere.

INTELLEGAT igitur Dominus Rex, ad quod officium est prouectus, & obaudiat commonitionem atq; comminationem Regis Regum dicentis ei cum alijs regibus. *Et nunc reges*, inquit, *intellegite, erudimini, qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta:* sicut multos hanc commonitionem & comminationem neglegentes perisse legimus, audiuimus, & etiam nostro tempore scimus. Obaudiat etiam sanctam scripturam sibi præcipientem. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum, quia in maliuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

Psalm. 2.

Sap. 1.

CAPVT III.

EGO autem, & pro imposito ministerio, & pro bona & rationabili vestra iussione aggrediar exequi quod rogatis: non meo sensu, neq; verbis meis, sed, vt præmisit, maiorum traditione, attendens dicentem Dominum ad prophetam. *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me. Ex me*, inquit, & non ex te. quia, sicut ipse dicit. *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.* Sancta scriptura in omni ordine & professione vnicuiq; administratori præcipit, vt intellegat cuncta, quæ ait. Quoniam si intellegit, administratio, quam gerit, vnde exordium cæpit, sollicitius satagit, vt de administrationis talento sibi credito rationem redditurus. *Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, vt referat vnus, quisq; quæ per corpus gessit, siue bonum,*

Ezech. 3.
Ioan. 7.

Rex reddet rationem officii in die iudicii.

Rom. 14.

bonum, siue malum. Non audiat à iusto iudice, quod Dominus in Euangelio seruo malo & pigro responsurum se fatetur, sed audire mereatur: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.* Matth. 25.

CAPVT IV.

LEGIMVS in sancta Scriptura veteris testamenti, quia Dauid rex simul & propheta præfigurans Dominum nostrum IESVM Christum, qui solus rex simul & sacerdos fieri potuit, duos in sacerdotibus Ordines constituit: in summis, videlicet, Pontificibus, & in minoris ordinis sacerdotibus, qui nunc presbyteratus fungũtur officio. ea videlicet prouisione, vt dum quilibet Pontificum vita decederet, quicunq; sacerdotum optimus putaretur ei in Pontificatum succederet. Et in nouo testamento Dominus noster IESVS Christus de multitudine discipulorum suorum, sicut in Euangelio legimus, duodecim elegit, quos & Apostolos nominauit. Horum in Ecclesia locum tenent Episcopi, sicut sacra Scriptura, & Catholici Doctores ostendunt. Designauit etiam & alios LXXII. qui sub duodecim Apostolis figuram presbyterorum, id est, secundi ordinis sacerdotum præmonstrauerunt, vt decedentibus Episcopis, de his secundi & inferioris ordinis sacerdotibus secundũ sacros canones spiritu DEI conditos, & totius mundi reuerentia consecratos ad summi sacerdotij apicem loco decessorum Episcoporum prouehantur, sicut sacra Scriptura Actuum Apostolorum patenter ostendit, dicente Petro ad confratres suos, quando Iudas, qui connumeratus fuerat in ordine Apostolorum, & sortitus sortem ministerij Apostolatus, abijt in locum suum, *Oportet*, inquiens, *ex his viris, qui nobiscum congregati sunt in omni tempore, quo intrauit*

1. Paralip. 24. In veteri lege duo ordines sacerdotum. Luc. 6. Anaclet. epist. 2. Cypr. ep. 42. 65. & 69. Aug. in Psalm. 44. Luc. 10. Apostolorum locum tenent Episcopi & 70. discip. Presbyteri. Actor. 1.

& exiuit inter nos Dominus IESVS *testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.* Et venit electio diuina super Mathiam, qui annumeratus est cum vndecim Apostolis.

CAPVT V.

2. Par. 23. Corona in caput, Lex in manus Regis datur.

ET in sacra Regum historia legimus, quia Principes sacerdotum quando sacra vnctione reges in regnum sacrabant, coronam significantem victoriam ponentes super capita eorum, legem in manum eius dabant, vt scirent, qualiter seipsos regere, & prauos corrigere, & bonos in viam rectam deberent dirigere. Vnde sicut B. Papa Gelasius ad Anastasium Imperatorem ex sacris Scripturis demonstrat: & in his, quæ nuper apud martyrium sanctæ Macræ in Synodo gesta sunt, continetur: duo sunt, quibus principaliter, vna cũ specialiter cuiusq; curæ subiectis, mundus hic regitur: auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas: in quibus personis, sicut ordinum sunt diuisa vocabula, ita sunt & diuisa in vnoquoque ordine ac professione ordinationum officia. Diligenter igitur quisq; debet in ordine & professione sua, quo nomine censetur, attendere, & magnopere prouidere, ne à nomine discordet officio. *Primum namq;*, vt B. Cyprianus dicit, *ab Episcopo, quid sui nominis dignitas teneat, inquiratur: quoniam Episcopus, cum græcum nomen sit, speculator interpretatur. Quare verò speculator ponitur, & quid à speculatore requiratur, Dominus ipse denudat, cum sub Ezechielis prophetæ persona Episcopo officij sui ratione denunciat, ita inquiens. Speculatorem dedi te domui Israhel.* Speculatoris officium est, vt commisso sibi populo, exemplo & verbo, qualiter viuere debeat, incessanter annuntiet: sicut de Christo, qui sequi se, id est, imitari præcipit, scriptum est. *Quæ cœpit* IESVS *facere & docere:* & sic vitam ac mores sibi

Gelas. 1. tom. 2. Concil.

Mundus regitur à duplici potestate.

Cypr. de 12. abus. c. 10. Episcop. officium quod sit.

Ezech. 3.

Matth. 16.

Actor. 1.

res sibi commissorum speculetur, attendere: & postquã attenderit, sermone, si poterit, & actu corrigere: & si non poterit, iuxta Euangelicam regulam scelerum operarios debet declinare.

CAPVT VI.

ET Rex in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, vt subiectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui sint, non corrigit? quoniam iustitia Regis exaltatur solium, & veritate solidantur gubernacula populorum. Quæ verò sit iustitia regis, idem B. Cyprianus in nono abusionis gradu sufficientissime monstrat.

Regis nomen officium eius declarat.

Prou. 1. & 16.

Cypr. de abus. c. 9.

CAPVT VII.


HABET quippe Ordo sacerdotalis leges diuinitus promulgatas, qualiter quisq; ad culmen regiminis, videlicet, Episcopatus venire debeat, atq; ad hoc rectè perueniens, qualiter viuat; & bene viuens, qualiter doceat, & rectè docens infirmitatẽ suam quotidie quanta consideratione cognoscat: qualiter etiam ministros sibi subpositos regere debeat; quam pura etiam intentione sacros Ecclesiasticos ordines dispensare: & qua discretione ligare vel soluere subditos debeat. De quibus legibus in eisdem scriptum est ita. *Nulli sacerdoti suos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare. Quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in ipsius Domini iniuriam prosilitur.* Quod tale est, quia, vt sacra monstrat auctoritas, cognata sunt Schisma & hęresis. ac si alijs verbis dicatur. Non minus Schismaticus delinquit, cum pręuaricatione sanctarum regularum per contemptum se ab vnitate sanctæ Ecclesiæ, quæ

Episcoporum leges.

Nulli sacerdoti licet ignorare canones.

Cœlest. 1. ep. 3. Grat. d. 38. c. nulli.

Aug. l. 2. contra Crescon. c. 7. Hieron. in 3. c. ad Titum.



siæ, quæ corpus Christi est, diuidit, quam hæreticus, qui de Deo, capite videlicet ipsius Ecclesiæ, malè sentit.

CAPUT VIII.

Grat. dist. 10. c. vides. c. quis autem. c. certum est.
Nulli Regi vel principi licet ignorare leges.

Et sicut dictum est de legibus Echlesiasticis, quod nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare: ita legibus sacris decretum est, vt leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta, contemnere. Cum enim dicitur, nulli liceat leges nescire, vel quæ sunt statuta, contemnere, nulla persona in quocunq; ordine mundano excipitur, quæ hac sententia non constringatur. Habent enim Reges & Reipublicæ ministri leges, quibus in quacumq; prouincia degentes regere debent. Habent capitula Christianorum Regum ac progenitorum suorum, quæ generali consensu fideliũ suorum tenere legaliter promulgauerunt. De quibus B. Augustinus dicit, quia *licet homines de his iudicent, cum eas instituunt, tamen cum fuerint instituta atq; firmata, non licebit iudicibus de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.*

Aug. lib. de vera relig. c. 31.
Grat. d. 4. c. in istis.

CAPUT IX.

Nulli licet agere contra diuinas leges.

Multo minus autem Regi vel cuilibet in quocunq; ordine contra leges diuinas licet agere per contemptum. Vnde Principi terræ magnopere prouidendum atq; cauendum est, ne in his Deus offendatur, per quos religio Christiana consistere debet, & cæteri ab offensione saluari. Et ideò, quia res Ecclesiasticas diuino iudicio tuendas & defensandas suscepit consensu eius electione Cleri ac plebis, & approbatione Episcoporum prouinciæ, quisq; ad Ecclesiasticum regimen absq; vlla venalitate prouehi debet: quia, sicut Dominus in Euangelio dicit: *qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed*

Ioan. 10.

ascendit

ascendit aliunde, ille fur est & latro. Ecclesiasticis regulis sine difficultate omnimodis debet fauere, si non vult Regem regum offendere. Et sicut Episcopi ac Rex prouidere debent, vt nullius rei intuitu eligatur Episcopus, nisi Dei solius, id est, non pro aliquo munere dationis, nec pro aliquo obsequio humano, vel propinquitate consanguinitatis, seu amicitia, vel seruitio temporali, aut aliqua occasione, quæ contraria esse possit veritati, aut diuinæ auctoritati: ita Rex custodire debet, sicut S. Augustinus demonstrat, ne muneribus, vel blanditijs cuiusquam scelerati pelliciatur, & adulationibus decipiatur: nec quibuscunq; propinquitatis necessitudinibus coniunctis contra Deum, sanctamq; Ecclesiam atq; Rempublicam peruersè agentibus affectu carnali parcat, dicente Dei spiritu per Dauid prophetam. *Nonne eos, qui oderunt te Deus oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Inimicos enim Dei perfecto odio odisse est, *ad quod facti sunt diligere, & quod faciunt increpare, mores prauorum premere, vitæ prodesse.*

Episcopus eligendus solius Dei intuitu.

Aug. l. 5. de ciuit. c. 24.

Psalm. 138.

Greg. 3. p. past. admon. 23.

Capvt X.

Tales etiam Comites, & sub se iudices constituere debet, qui auaritiam oderint, & iustitiam diligant: & sub hac cõditione suam administrationem peragant, & sub se huiusmodi ministeriales substituant. Et quicunq; in omni ordine & professione in dominatione constituuntur, & Domini appellantur, sicut S. Cyprianus in sexto abusionis gradu demonstrat, *dominationis virtutem auctore & cooperatore Domino teneant: quia nihil proficit dominandi habere potestatem, si Dominus ipse non habeat & virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor non tam exteriori fortitudine, qua in ipsa sæcularibus Dominis necessaria est, indiget,*

Cypr. de abus. c. 6.

Quales esse debeant qui aliis præsunt.

quam

*quam animi interiori fortitudine, bonis moribus exerceri debet: sæpe enim dominandi per animi neglegentiam perditur fortitudo: Tria ergo necessaria hos qui dominantur habere oportet: terrorem scilicet, & ordinationem, & amorem. Nisi enim ametur Dominus pariter & metuatur, ordinatio minimè constare illius potest. Per beneficia ergò & affabilitatem procuret vt diligatur, & per iustas vindictas, non propria iniuria, sed legis Dei, studeat vt metuatur. Propterea quoq;, dum multi * pendent in eo, ipse Deo adhærere debet, qui illum in ducatum constituit, qui ad portanda multorum onera ipsum veluti fortiorem solidauit. Paxillus enim nisi bene forte firmetur, & alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet cito labitur, & ipse solutus à rigore suæ firmitatis cum oneribus ad terram delabitur. Sic & Princeps nisi suo conditori pertinaciter adhæserit, & ipse, & omne quod continet, cito deperit. Et sciat, quod sicut in principatu hominum primus constitutus est, ita quoscunq; peccatores sub se in præsenti habuit, nisi se & illos correxerit, supra se modo * implacabili in illa futura pœna habebit.*

* multi sub illo sunt eo ipso Deo.

Cypr. id. c. 9.

* plagali.

CAPVT XI.

Synodus apud S. Macram, quibus de rebus tractarit.

IN memoratis namq; gestis apud Martyrium S. Macræ, & de his, quæ ad sanctæ Ecclesiæ, ac rectorum ipsius honorem & vigorem, & de his quæ ad Regis & Regni soliditatem atq; curam pertinent; nec non & de domus regiæ dispositione ex Catholicorum, secundũ sanctarum scripturarum tramitem, promulgationibus, atq; ex Christianorum Regum constitutionibus per capitula breuiter ac salubriter, si teneantur & exequantur, collecta continentur. Veruntamen quia Samaritanus, verus videlicet custos humani generis stabulario, id est, Pontificali ordini, cuius curæ vulneratum quemq; commiserat, ad sanandum dans duos denarios, vetus scilicet ac nouum testamentum, dixit, *Quod super erogaueris, ego cum*

Luc. 10.

cum rediero reddam tibi. eisdem gestis velut ex supererogatione, quæ præmissa sunt in hoc opusculo, & quæ sequentur adicere studeo.

CAPVT XII.

ADALHARDVM senem & sapientem Domni CAROLI Magni Imperatoris propinquum, & monasterij Corbeiæ abbatem inter primos Consiliarios primum in adolescentia mea vidi. Cuius libellum de ordine Palatij legi, & scripsi, in quo inter cætera continetur: duabus principaliter diuisionibus totius regni statum constare, anteposito semper & vbiq; omnipotentis Dei iudicio. PRIMAM videlicet diuisionem esse dicens, qua assiduè & indeficienter Regis Palatium regebatur & ordinabatur. Alteram verò, qua totius regni status secundum suam qualitatem studiosissimè prouidendo seruabatur.

Adalhardus Corbeiæ Abbas

Regni Francorum status duas habuit diuisiones.

CAPVT XIII.

IN prima igitur dispositione, Regis palatium in ornamento totius palatij ita ordinatum erat. Anteposito ergo Rege & Regina cum nobilissima prole sua, tàm in spiritalibus, quam & in secularibus, atq; corporalibus rebus per hos ministros omni tempore gubernabatur. videlicet per Apocrisiarium, id est, responsalem negotiorum Ecclesiasticorum; cuius ministerium ex eo tempore sumpsit exordium, quando CONSTANTINVS Magnus Imperator Christianus effectus propter amorem & honorem sanctorum Apostolorũ Petri & Pauli, quorum doctrina ac ministerio ad Christi gratiam baptismatis Sacramenti peruenit, locum & sedem suam, vrbẽ, scilicet, Romanam Papæ Siluestro edicto priuilegij tradidit, & sedem suam in ciuitate sua, quæ antea Byzantium voca-

Prima diuisio.

Apocrisiarius præcipuus minister in aula regia.

Constantinus Romam Syluestro tradidit.

um vocabatur, nominis sui ciuitatem ampliando ædificauit: & sic responsales tam Romanæ sedis, quam & aliarum præcipuarum sedium in palatio pro Ecclesiasticis negotijs excubabant.

CAPVT XIV.

Ioan. diac. lib. 1. vitæ c. 26 Greg. lib. 11. ep. 43.

ALIQVANDO per Episcopos, aliquando verò per Diaconos Apostolica sedes hoc officio fungebatur. Quo officio B. Gregorius in Diaconi Ordine functus fuit, & ex alijs præcipuis sedibus per Diaconos id officium exequebatur, sicut sacri canones iubent. Et in his cisalpinis regionibus, postquam HLVDOWICVS prædicatione B. Remigij ad Christum conuersus, & ab ipso cum tribus millibus Francorum in vigilia sancti Paschæ baptizatus extitit, per successiones Regum sancti Episcopi ex suis sedibus, & tempore competenti palatium visitantes vicissim hanc administrationem disposuerunt. A tempore verò PIPPINI & CAROLI interdum per presbyteros, interdum per Episcopos regia voluntate, atq; Episcopali consensu per Diaconos, vel Presbyteros magis, quam per Episcopos hoc officium executum extitit: quia Episcopi continuas vigilias supra gregem suum debent assiduè exemplo & verbo vigilare, & non diutius secundum sacros canones à suis abesse parrochijs.

CLODOVAEVS. Hincmarus in vita S. Remig.

Apocrisarii Diaconi vel Presbyteri.

Episcopi non absint à diocæsi sua.

CAPVT XV.

NEQVE iuxta decreta ex sacris canonibus promulgata B. Gregorij prætoria, quæ nunc regia, & vsitatius palatia nominantur, debent inutiliter obseruare, ne incurrant iudicium, vt contra placita canonum sibi in ordinatione sua tradita facientes ipsi sibi honore priuent ecclesiastico. Et, vt de licitis exempla ponamus, & de inclitè vsurpatis non taceamus: tempore PIPPINI &

CAROLI

CAROLI hoc ministerium consensu Episcoporum per Fulradum presbyterum: tempore etiam CAROLI per Engelramnum & Hildiboldum Episcopos: tempore deniq; HLVDOWICI per Hilduinum presbyterum, & post eum per Fulconem item presbyterum, deinde per Diogonem Episcopum extitit hoc ministerium executum.

Apocrisaii aliquando Episcopi.

CAPVT XVI.

APOCRISIARIVS autem, quem nostrates Capellanum, vel Palatij Custodem appellant, omnem clerum Palatij sub cura & dispositione sua regebat. Cui sociabatur summus Cancellarius, qui à secretis olim appellabatur, erantq; illi subiecti prudentes, & intelligentes ac fideles viri, qui præcepta regia absq; immoderata cupiditatis venalitate scriberent, & secreta illis fideliter custodirent. Post eos verò sacrum Palatium per hos ministros disponebatur: per Camerarium videlicet, & Comitem Palatij, Seneschalcum, Buticularium, Comitem stabuli, Mansionarium, Venatores principales quatuor, Falconarium vnum.

Cancellarius.

Camerarius. Comes Palatii Seneschalcus. Buticularius Comes Stabuli Venatores Mansionarius. Falconarius

CAPVT XVII.

ET quamuis sub ipsis, aut ex latere eorum alij ministeriales fuissent, & ostiarius, saccellarius, dispensator scapoardus, & quorumcunq; ex eis iuniores, aut Decani fuissent, vel etiã alij ex latere, sicut bersarij, veltrarij, beuerarij, vel si qui adhuc supererant: veruntamen, quamuis & ipsi singuli iuxta suam qualitatem ad hoc intenti essent, non tamen ad eos, sicut ad cæteròs principaliter, vt subter insertum est, totius regni confæderatio in maioribus vel minoribus, singulis quibusq; quotidianis necessitatibus occurrẽtibus, cum Palatio conglutinabãtur:

Saccellarius.

sed nec ipsi superiores omnes æqualiter propter ministeriorum diuersitatem, qualitatem, vel conuenientiam prodesse poterāt: cum tamen nullus se propter fidei seruandam veritatem Regis & Regni, vt prædictum est, subtrahere potuisset, vel etiam voluisset. De quorum personis vel ministerijs, quanquam plura sint quæ dicantur, hæc tamen præcipuè habebantur.

CAPVT XVIII.

IMPRIMIS, vt iuxta cuiuscunq; ministerij qualitatem vel quantitatem minister, nobili corde & corpore constans, rationabilis, discretus, & sobrius eligeretur: sed nec illa sollicitudo deerat, vt, si fieri potuisset, sicut hoc regnum, Deo auctore, ex pluribus regionibus constat, ex diuersis etiam eisdem regionibus, aut in primo, aut in secundo, aut etiam in quolibet loco idem ministri eligerentur, qualiter familiarius quæq; regiones Palatium adire possent, dum suæ genealogiæ vel regionis consortes in Palatio locum tenere cognoscerent.

Ministri quales eligerentur.

CAPVT XIX.

HIS ita breuiter de eligendis & constituendis ministris prædictis: nunc ad eorundem ministrorum & ministrationum ordinem qualiter currebant, veniendum est. Nam quamuis præfati ministri, vnusquisq; de suo ministerio, non sub alio, vel per alium, nisi per seipsum, solum Regem, vel quantum ad Reginam, vel gloriosam prolem Regis respiciebant, caput ponerent: non tamen omnes æqualiter de cæteris rebus, vel cæterorum necessitatibus Regem adibant, sed mensura sua quisq; contentus erat, & vbi, vel vbi ratio poscebat, solatium alterius requirebat. E quibus præcipuè duo, id est, Apocrisiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatij

Apocrisarii & Comitis Palatii officia dissimilia.

custos,

custos,de omnibus negotijs Ecclesiasticis, vel ministris Ecclesiæ; & comes Palatij de omnibus sæcularibus causis,vel iudicijs suscipiendi curam instanter habebant: vt nec Ecclesiastici,nec sæculares prius Domnum Regem, absq; eorum consultu inquietare necesse haberēt, quousq; illi præuiderent, si necessitas esset, vt causa ante Regem meritò venire deberet. Si verò secreta esset causa, quam prius congrueret Regi,quam cuiquam alteri dicere, eundē dicendi locum eidem ipsi præpararent introducto prius Rege, vt hoc iuxta modum personæ, vel honorabiliter,vel patienter,vel etiam misericorditer susciperet.

CAPVT XX.

Apocrisarii officium.

APOCRISIARIVS quidem de omni Ecclesiasticæ religione vel ordine, nec non etiam de Canonicæ vel Monasticæ altercatione,seu quęcunq; Palatium adibant pro Ecclesiasticis necessitatibus sollicitudinem haberet: & ea tandummodo de externis Regem adirent,quæ sine illo plenius definiri non potuissent. Cæterum,vt non solum de his,quæ ad eos specialiter de omni ornamento vel officio Ecclesiastico infra palatium agenda pertinebant, verum quoq; & omnem consolationē spiritalem, siue consilium totius Palatij quicunq; quæreret, apud eum, vt necesse erat,fideliter inueniret: & qui non quæreret, & tamen ipse apud aliquem necessarium esse sentiret; iuxta personæ qualitatem, & à peruerso sensu vel opere retrahere, & ad viam salutis conuertere studeret: Et cætera spiritualia, quæcunq; Palatio, tam ab assiduè conuersantibus,quamq; & à superuenientibus, siue secundum Deum,siue secundum seculum, vt prouiderentur, & præuiderentur,erant necessaria, quæ enumerare longum est,ad eius specialiter curam pertinebant. Non

ita, vt aliter vllus, siue Palatinus, siue externus superueniens sapientia & vera deuotione per Dei gratiam illuminatus tale aliquid minimè ageret: sed maximè consuetudo erat, vt aut cum eodem Apocrisiario pariter, aut certè per eius consilium quod erat agendum ageret, ne fortè quid minus vtile aut indignũ Regi subriperet.

CAPVT XXI.

Comitis Palatii officium.

COMITIS autem Palatij, inter cætera pænè innumerabilia, in hoc maximè sollicitudo erat, vt omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ propter æquitatis iudicium Palatium aggrediebantur, iustè ac rationabiliter determinaret; seu peruersè iudicata ad æquitatis tramitem reduceret, vt & coram Deo propter iustitiam, & coram hominibus propter legum obseruationem cunctis placeret. Si quid verò tale esset, quod leges mundanę hoc in suis diffinitionibus statutum non haberent, aut secundum gentilium consuetudinem crudelius sancitum esset, quam Christianitatis rectitudo, vel sancta auctoritas meritò non consentiret, hoc ad Regis moderationem perduceretur, vt ipse cum his, qui vtramq; legem nossent, & Dei magis, quam humanarum legum statuta metuerent, ita decerneret, ita statueret, vt vbi vtrumq; seruari posset, vtrumq; seruaretur: sin autem lex sæculi meritò comprimeretur, iustitia DEI conseruaretur.

CAPVT XXII.

Camerarii officium.

DE honestate verò Palatij, seu specialiter ornaměto regali, nec non & de donis annuis militum, absq; cibo & potu, vel equis, ad Reginam præcipuè, & sub ipsa ad Camerarium pertinebat: & secundum cuiusq; rei qualitatem ipsorum sollicitudo erat, vt tempore congruo

semper

ſemper futura proſpicerent, ne quid, dum opus eſſet, vllatenus opportuno tempore defuiſſet: De donis verò diuerſarum Legationum ad Camerarium aſpiciebat; niſi fortè iubente Rege tale aliquid eſſet, quod Reginæ ad tractandum cum ipſo congrueret. Hæc autem omnia, & his ſimilia eo intendebant, vt ab omni ſollicitudine domeſtica vel Palatina, in quantum rationabiliter & honeſtè eſſe poterat, Domnus Rex omnipotenti DEO ſpem ſuam indeſinenter committens ad totius regni ſtatum ordinandum, vel conſeruandum animum ſemper ſuum promptum haberet.

CAPVT XXIII.

AD tres autem miniſteriales, Seneſcalcum, Buticularium & comitem Stabuli ſecundum vniuſcuiuſq; miniſterij qualitatem vel quantitatem pertinebat, vt cum communi conſenſu de ſuo quiſq; miniſterio admonendi non eſſent ſegnes, vt, quanto eius eſſe potuiſſet, omnes actores Regis pręſcirent, vbi vel vbi Rex illo vel illo tempore, tanto vel tanto ſpacio manere debuiſſet, propter adductionem, vel præparationem: ne fortè tardè ſcientes, dum inopportuno tempore, vel cum nimia feſtinatione exigeretur, familia regalis per neglegentiam ſine neceſſitate opprimeretur. Quæ videlicet cura, quanquam ad Buticularium, vel ad Comitem ſtabuli pertineret, maxima tamen cura ad Seneſcalcum reſpiciebat, eo quod omnia cætera, præter potus vel victus caballorum ad eundem Seneſcalcum reſpiceret. Inter quos etiam & Manſionarius intererat, ſuper cuius miniſteriū incumbebat, ſicut & nomen eius indicat, vt in hoc maximè ſollicitudo eius intenta eſſet, vt tam ſupradicti Actores, quamque & ſuſceptores, quo tempore ad eos illo vel illo in loco Rex venturus eſſet propter manſionum præparatio-

Seneſcalci officium.

Buticularii & Comitis Stabuli.

forte, exiretur

Manſionarii officium.

paratione m, vt oportuno tempore præscire potuissent: ne aut inde, tardè scientes, propter afflictionem familiæ importuno tempore peccatű, aut hi propter non condignam susceptioné, ac si bene noluissent, cum certè non volendo, sed non valendo offensionem incurrerent.

malim *aut isti tardè*

CAPVT XXIV.

Venatorum & Falconarii officium.

SIMILITER quoq; quatuor Venatores, & quintus Falconarius cum eadem vnanimitate secundum temporis qualitatem admonere studebant, qualiter ea, quæ ad singulorum ministeriorum curam pertinebant, vt opportuno tempore, & non tardè consideraretur, quando tanti vel quando tanti; quando toti, & quando nulli, aut in palatio retinerentur, aut more solito foris nutriendi vsq; ad tempus mitterentur, aut tempore congruo per denominata loca venandi causa pariter & nutriendi disponerentur. Sed & hoc & illud, id est, & intra & extra palatium ita semper cum mensura & ratione ordinaretur, vt quantum prodesset, esset, & quantum non prodesset, non esset; quia in ipsis ministerijs non sic facilè certus numerus, aut hominum, aut canum, aut auium diffiniri potest: ideò in ipsorum arbitrio manebat, quanti & quales essent. Sensus autem in his omnibus talis erat, vt nunquam Palatio tales vel tanti deessent ministri, propter has præcipuè inter cæteras necessitates, vel honestates,

CAPVT XXV.

Causæ varietatis ministrorum.

PRIMO, vt, siue generaliter maioribus, siue specialiter vel singulariter quibusq; minoribus recedentibus omni tempore & multitudine congrua, sine qua rationabiliter & honestè esse non posset, semper esset ornatum palatium, & consiliarijs condignis nunquam destitutum fuisset.

fuiſſet. Et, vt qualiſcunq; Legatio ſiue, ſpeculandi, ſiue etiam ſubdendi gratia veniret, qualiter omnes quidem honeſtè ſuſcipi potuiſſent. Deinde primus conſilij rectitudinem, ſecundus miſericordiæ & benignitatis conſolationem, tertius verò verſutiæ ſeu temeritatis ſermo referret medicinam. Et vt ex quacumq; parte totius Regni, quicumq; deſolatus, orbatus, alieno ære oppreſſus, iniuſtè calumnia cuiuſq; ſuffocatus, ſeu cætera his ſimilia, quæ nunc enumerare perlongum eſt; maximè tamen de viduis, & orphanis, tam ſeniorum quamq; & mediocrium, vniuſcuiuſq; ſecundum ſuam indigentiam, vel qualitatem, Dominorum verò miſericordiam & pietatem ſemper ad manum haberet, per quem ſinguli ad pias aures Principis perferre potuiſſent.

CAPVT XXVI.

SIMILITER, qui propter diutinum ſeruitium digni erant, vt remunerari debuiſſent, & locus talis occurrebat, vbi ex prædictis indigentibus nemo ſine menſura deſtitueretur, ſimiliter ſecundum eorum qualitatem ad memoriam Principum reuocarentur; non tam ipſis vrgentibus, quam eorum, de quibus ſupra dictum eſt fidem & debitum exigentibus, vt in eis id fieret. Primò propter quod cum iuſtitia & miſericordia DEO placeret. Deinde in militia remanentibus certiſſimam fideliter ſeruandi fidem & conſtantiam miniſtrarent. Deinde vt etiam longè poſitis per totius Regni ambitum lætitiam & gaudium demonſtrarent. Et ſi aliquis ex miniſterialibus vel conſiliarijs decedebat, loco eius congruus & vtilis reſtituebatur. *Clarius, ſeruiendi.*

CAPVT XXVII.

ET vt illa multitudo, quæ in palatio ſemper eſſe debet, *Triplici ordine multitudo palatinorū diſtincta.*

debet, indeficienter persistere posset, his tribus ordinibus fouebatur. Vno videlicet, vt absq; ministerijs expediti milites anteposita Dominorum benignitate, & sollicitudine, qua nunc victu, nunc vestitu, nunc auro, nunc argento, modò equis, vel cæteris ornamentis, interdum specialiter, aliquando prout tempus, ratio, & ordo condignam potestatem administrabat, sæpius porrectis: in eo tamen indeficientem consolationem, nec non ad regale obsequium inflammatum animum ardentius semper habebant: quod illos præfati Capitanei ministeriales certatim de die in diem, nunc istos, nunc illos, ad mansiones suas vocabant, & non tam gulæ voracitate, quam veræ familiaritatis, seu dilectionis amore, prout cuiq; possibile erat, impendere studebant: sicq; fiebat, vt rarus quisq; infra hebdomadam remaneret, qui non ab aliquo pro huiusmodi studio conuocaretur.

Primus militũ.

CAPVT XXVIII.

ALTER Ordo per singula ministeria discipulis congruebat, qui Magistro suo singuli adhærentes, & honorificabant & honorificabãtur, locisq; singuli suis, prout opportunitas occurrebat, vt à Domino videndo vel alloquendo consolarentur. Tertius ordo item erat, tam maiorum, quam minorum in pueris, vel vasallis, quos vnusquisque prout gubernare & sustentare absq; peccato, rapina videlicet vel furto poterat, studiosè habere procurabant. In quibus, scilicet, denominatis ordinibus, absq; his, qui semper eundo & redeundo palatium frequentabant, erat delectabile, quod interdum & necessitati, si repente ingrueret, semper sufficerent: & tamen semper, vt dictum est, maior pars illius propter superius commemoratas benignitates, cum iucunditate & hilaritate prompta, & alacri mente persisterent.

Secundus Ordo discipulorum.

Tertius puerorum & vasallorum.

CAPVT

CAPVT XXIX.

SECVNDA Diuisio est, qua totius Regni status, antepofito, sicuti semper & vbicumq; omnipotentis Dei iudicio, quantum ad humanam rationem pertinebat, conseruari videbatur, hæc est. Consuetudo autem tunc temporis talis erat, vt non sæpius, sed bis in anno placita duo tenerentur. Vnum, quando ordinabatur status totius Regni ad anni vertentis spacium, quod ordinatum nullus euentus rerum, nisi summa necessitas, quæ similiter toto Regno incumbebat, mutabatur. In quo placito generalitas vniuersorum maiorum tam clericorum, quam laicorum conueniebat. Seniores, propter consilium ordinandum: minores, propter idem consilium suscipiendum, & interdum pariter tractandum, & non ex potestate, sed ex proprio mentis intellectu vel sententia confirmandum.

II. Diuisio Status Regni.

Placita duo quotannis.

Primum.

CAPVT XXX.

CÆTERVM autem propter dona generaliter danda, aliud placitum cum senioribus tantum & præcipuis Consiliariis habebatur: in quo iam futuri anni status tractari incipiebatur, si forte talia aliqua se præmonstrabant, pro quibus necesse erat præmeditando ordinare, si quid mox transacto anno priore incumberet, pro quo anticipando aliquid statuere aut prouidere necessitas esset, verbi gratia, si inter Marchisos in qualibet regni parte ad aliud tempus dextræ datæ fuissent, quid mox post dextras exactas agendum esset, vtrum renouandæ, an finiendæ essent. Iuxta, cæterarum partium imminentibus rixa & pace, vt secundum id, quod tunc temporis ratio poscebat, (si ex vna parte hinc aut inde vel facienda vel tolerãda inquietudo necessariò

Secundum.

incumbebat) ex alijs partibus tranquillitas ordinaretur. Et cum ita per eorundem seniorum consilium, quid futuri temporis actio vel ordo agendi posceret, à longè considerarent: & cum inuentum esset, sub silentio idem inuentum consilium, ita funditus ab omnibus alienis incognitum vsq; ad aliud iterum secundum generale placitum, ac si inuentum vel à nullo tractatum esset, maneret, vt si forte tale aliquid, aut infra, aut extra regnum ordinandum esset, quod præscientia quorundam, aut destruere, aut certè inutile reddere, aut per aliquam diuersam astutiam laboriosius faciendum conuertere voluisset, hoc nullatenus facere potuisset. In ipso autem placito, si quid ita exigeret, vel propter satisfactionem cæterorum seniorum, vel propter non solum mitigandum, verum etiam accendendum animum populorum, ac si ita prius exinde præcogitatum nihil fuisset, ita nunc à nouo, consilio, & consensu illorum & inueniretur, & cum magnanimis ordo Domino duce perficeretur. Ita autem anno priore terminato, præfato modo ordinaretur & de secundo.

CAPVT XXXI.

Consiliarii quales eligerentur.

CONSILIARII autem, quantum possibile erat, tam clerici quam laici, tales eligebantur, qui primo secundũ suam quisque qualitatem, vel ministerium Deum timerent, deinde talem fidem haberent, vt excepta vita æterna nihil Regi & Regno præponerent: non amicos, non inimicos, non parentes, non munera dantes, non blandientes, non exasperantes, non Sophisticè vel versutè, aut secundum sapientiam solummodò huius sæculi, quæ inimica est Deo, sapientes, sed illam sapientiam & intellegentiam scientes, qua illos, qui in supradicta humana astutia

astutia fiduciam suam habuissent, pleniter per iustam & rectam sapientiam non solum reprimere, sed funditus opprimere potuissent. Electi autem consiliarij vna cum Rege hoc inter sed principaliter constitutum habebant, vt quicquid inter se familiariter locuti fuissent, tam de statu Regni, quamque & de speciali cuiuslibet persona, nullus sine consensu ipsorum cuilibet domestico suo, vel cuicunq; alteri prodere debuisset, secundum hoc, quod res eadem siue die, siue duobus siue amplius, seu annum, vel etiam in perpetuo cælari, vel sub silentio manere necesse fuisset: quia sæpe in tali tractatu de qualibet persona, talis interdum propter communem vtilitatem agendam vel cauendam sermo procedit, qui ab eo cognitus, aut valdè turbat, aut quod magis est in desperationem trahit, vel, quod grauissimum est, in infidelitatem conuertit, & ab omni profectu, quem fortasse multipliciter exercere potuit, inutilem reddit, cum tamen nihil ei obesset, si eundem sermonem minimè sciret. Quale de homine vno, tale de duobus, tale de centum, tale de maiori numero, vel etiam de progenie vna, vel tota qualibet simul prouincia, si magna cautela non fuerit, fieri poterit.

Rege, alia manu adscriptum.

Secretum consiliariorum quantum.

CAPVT XXXII.

APOCRISIARIVS autem, id est, Capellanus, vel Palatij Custos, & Camerarius semper intererant: & idcircò cum summo studio tales eligebantur, aut electi instruebantur, qui meritò interesse potuissent: sed & de cæteris ministerialibus, qui talem se ostendebat, vt ad hoc vel præsens, vel futurus, nunc discendo, postmodum verò consiliando loco eorundem honorificè substitui potuisset, cum summa intentione mentis, intendendo singulis quæ agebantur interesse iubebatur, saluans cre-

Apocrisarius & Camerarius consilio interant.

dita, discens incognita, retinens ordinata & cõstituta, vt si fortè tale aliquid extra aut infra regnum oriretur, aut inperatũ, & ideò non præmeditatũ nunciaretur, (rarius tamen necesse esset, vt consilium altius tractaretur; & tamen tempus aptum non esset, in quo præfati Cõsiliarij conuocarentur,) ipsi Palatini per misericordiam DEI ex eorum assidua familiaritate, tam in publicis consilijs quamq; ex domestica in hac parte allocutione, responsione, & consultatione, studium haberent, prout tunc rei vel temporis qualitas exigebat, aut consilium pleniter dare, quid fieret, aut certè quomodo ad præfinita tempora cum consilio, & absq; vllo detrimento res eadem expectari vel sustentari potuisset. Hæc de maioribus.

CAPVT XXXIII.

De inferiorib' Palatii ministris.

DE minoribus verò, vel propriè Palatinis, ita vt diximus, non generaliter ad Regnum pertinentibus, sed specialiter ad personas quasq; respicientibus, quæ specialiter Palatio imminebant, cum eis dominus rerum ita inconfusè ordinare potuisset, vt exinde non solum detrimentum vllum oriretur, verum etiam ortum, aut imminens vtiliter aut mitigari, aut funditus extingui, aut etiam euelli potuisset. Si verò talis esset causa, vt velocitati immineret, & tamen aliquatenus vsq; ad generale placitum quoquo pacto sustentari, vel sine peccato, aut sine contumelia potuisset, ipsi modum eiusdem sustentationis ex prædicto maiori vsu consilium dandi scirent, & sapientiam priorum imitari placitè DEO, & vtiliter Regno interim dare potuissent. Præfatorum autem Consiliariorum intentio, quando ad palatium conuocabantur in hoc pręcipuè vigebat, vt non speciales, vel singulares quascunq; vel quorumcumq; causas, sed nec etiam illo-

am illorum, qui pro contentionibus rerum aut legum veniebant, ordinarent quousq; illa, quæ generaliter ad salutem, vel statum Regis & Regni pertinebant Domino miserante ordinata habuissent. Et tunc demum, si forte tale aliquid Domno rege præcipiente reseruandum erat, quod sine eorum certa consideratione determinari à Comite Palatij, vel à cæteris, quibus congruebant, non potuisset.

Quis ordo rerū tractandarum in Consiliis fuerit.

CAPVT XXXIV.

PROCERES verò prædicti, siue in hoc, siue in illo præfato placito, quin & primi Senatores Regni, ne quasi sine causa conuocari viderentur, mox autoritate regia per denominata & ordinata capitula, quæ vel ab ipso per inspirationem DEI inuenta, vel vndique sibi nuntiata post eorum abscessum præcipuè fuerant, eis ad conferendum, vel ad considerandum patefacta sunt. Quibus susceptis interdum die vno, interdum biduo, interdum etiam triduo, vel amplius, prout rerum pondus expetebat accepto ex prædictis domesticis palatij missis intercurrentibus, quæque sibi videbantur interrogantes, responsumque recipientes tam diu ita nullo extraneo appropinquante, donec res singulæ ad effectum perductæ gloriosi Principis auditui in sacris eius obtutibus exponerentur, & quicquid data à Deo sapientia eius eligeret, omnes sequerentur. Ecce sicut de vno, ita de duobus, vel quotquot essent capitulis agebatur, quousque omnia DEO miserante illius temporis necessaria expolirentur.

Qua ratione consilia communicata externis Regni primoribus.

forte. *interim nullo.*

CAPVT XXXV.

INTERIM verò, quo hæc in Regis absentia agebantur,

bantur, ipse Princeps reliquæ multitudini in suscipiendis muneribus, salutandis proceribus, confabulando rarius visis, compatiendo senioribus, congaudendo iunioribus, & cætera his similia tam in spiritalibus, quamq; & in secularibus occupatus erat: ita tamen, vt quotienscunq; segregatorum voluntas esset, ad eos veniret, similiter quoq;, quanto spatio voluissent cum eis consisteret, & cum omni familiaritate, qualiter singula reperta habuissent, referebant, quantaque mutua hinc & inde altercatione vel disputatione, seu amica contentione decertassent, apertius recitabant. Sed nec illud prætermittendum, quomodo si tempus serenum erat, extra, sin autem, intra diuersa loca distincta erant, vbi & hi abundanter segregati semotim, & cætera multitudo separatim residere potuissent, prius tamen ceteræ inferiores personæ interesse minime potuissent. Quæ vtraque tamen Seniorum susceptacula sic in duobus diuisa erant, vt primo omnes Episcopi, Abbates, vel huiusmodi honorificentiores clerici absq; vlla laicorum commixtione congregarentur. Similiter Comites, vel huiusmodi Principes sibimet honorificabiliter â cætera multitudine primo mane segregarentur, quousq; tẽpus siue præsente siue absente Rege occurrerent: & tunc prædicti Seniores more solito, Clerici ad suam, Laici verò ad suam constitutam curiam, subsellijs similiter honorificabiliter præparatis, conuocarentur. Qui cum separati à cæteris essent, in eorum manebat potestate, quando simul, vel quando separati residerent, prout eos tractandæ causæ qualitas docebat, siue de spiritalibus, siue de sæcularibus, seu etiam commixtis. Similiter, si propter quamlibet uescendi vel inuestigandi causam quemcunq; conuocare voluissent, & re comperta discederet, in eorum

Quid Rex seruarit in suscipiendis regni proceribus

Quis ordo procerum in sessione.

in eorum voluntate manebat. Hæc interim de his, quæ eis à Rege ad tractandum proponebantur.

CAPVT XXXVI.

SECVNDA autem ratio Regis erat, interrogatio, quid vnusquisque ex illa parte Regni, qua veniebat, digna relatu, vel retractatu secum afferret; quia & hoc eis non solum permissum, verum etiam arctius commissum erat. vt hoc vnusquisq; studiosissimè, vsque dum reuerteretur, tam infra, quâm extra regnum perquireret, si quid tale non solum à proprijs vel extraneis, verum etiam sicut ab amicis, ita & ab inimicis inuestigaret, intermissa interim, nec magnopere, vnde sciret, inuestigata persona. Si populus in qualibet Regni parte, regione, seu angulo turbatus, quæ causa turbationis esset, si murmur populi obstreperet, vel tale aliquid inæquale resonaret, vnde generale consilium tractare aliquid necessarium esset, & cætera his similia. Extra verò, si aliqua gens subdita rebellare, vel rebellata subdere, si necdum tacta insidias Regni moliri, vel tale aliquid oriri voluisset. In his verò omnibus, quæcumq; cuilibet periculo imminerent, illud præcipue quærebatur, cuius rei occasione talia vel talia orirentur.

Rex proceres examinet de statu partium regni.

CAPVT XXXVII.

POST illa, quæ in Synodo apud Martyrium S. Macræ de maiorum constitutionibus collecta & regi HLVDOWICO nuper defuncto fuere directa, hæc de ordine Palatij & dispositione Regni vobis ad institutionem istius Regis nostri ac ministrorum eius Regni, quæ prouisorum, sicut scriptis & verbis Seniorum didici, & ipse adhuc in adolescentia mea vidi, deuotè iussioni vestræ obe-

diens obtuli. Personas autem hominum & mores, acqualitates illorum, per quos si aliqua sunt collapsa restituantur vestra sollertia prouidebit, quoniam de his, quos tempore Domni HLVDOWICI Imperatoris vidi, Palatij procuratores & Regni Præfectos, neminem scio esse superstitem: scio tamen de illorum nobilitate natos pro patribus filios, licet illorum mores ac qualitates ignorem. Ipsi verò procurent, vt non sint moribus ac virtute, atq; pro ætatis quantitate, vel temporis qualitate, sapientia & studijs bonis degeneres, quatenus merito Patrum loca & officia suppleant, & se in ipsa suppletione cautè custodiant: ne, vt S. Gregorius dicit, in culmine honoris positi vsu gloriæ permutentur, sicut Saul, qui prius in electione honoris extitit humilis, postea reprobari meruit propter elationem tumoris.

Grego. lib. 6. in 1. Reg. c. 15.

EPISTOLA IIII.

AD EPISCOPOS FRANCIÆ.

ARGVMENTVM.

DOCet mundum regi duplici potestate, Pontificia & Regia, hanc tamen illa esse inferiorem. In veteri æquè ac nouo testamento duos ordines Sacerdotum constitutos. Sacerdotum ac imprimis Episcoporum munus esse canones non ignorare, sacrosq; ordines sine vlla Simoniæ nota suscipere & dispensare. Tum prolixè ex Cypriano Regum, omniumq; qui aliis præsunt officium describit, monetq; quos asciscere sibi debeant Consiliarios, quales Duces, Comites & Iudices, quod sceleratorum amicitias defugere, nullis improbis ne sanguine quidem iunctis parcere, faciles aures etiam egentibus præbere, non exactionibus quenquam opprimi permittere, deniq; iustitiæ & pietatis simul laude excellere debeant.

CAPVT

CAPVT I.

DOCTRINA est Christiana secundum sanctarum Scripturarum tramitem, prædicationemq; maiorum, qua Deo ac Domino nostro IESV Christo conditore & redemptore nostro, qui simul solus Rex & sacerdos fieri potuit, in cuius *nomine omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum*, disponente, sicut B. Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem dicit,& in gestis, quæ nuper apud Martyriū S. Macræ in Synodo gesta sunt partim continetur, *duo sunt, quibus principaliter* vna cum specialiter cuiuscunq; curæ subiectis *mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas:* in quibus personis, sicut ordine sunt diuisa vocabula,ita sunt & diuisa in vnoquoq; ordine ac professione ordinationum officia. *Quamuis enim membra veri Regis atq; Pontificis secundum participationem naturæ magnificè vtrumq; in sacra generositate sumpsisse dicantur,vt simul Regale genus & Sacerdotale subsistant: memor tamen* CHRISTVS *fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, sic actionibus propriis, dignitatibusq; distinctis officia potestatis vtriusq; discreuit,suos volens medicinali humilitate saluari, non humana superbia rursus, (vt ante aduentum eius in carnem pagani Imperatores, qui idem & maximi Pontifices dicebantur) intercipi; vt & Christiani Reges pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus vterentur quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideò militans Deo minimè se negotiis sæcularibus implicaret,ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotijs sæcularibus implicatus, vt & modestia vtriusq; ordinis curaretur, ne extolleretur vtroq; suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.*

Philip. 2.

Grat. dist. 96 c. duo.

Mundus regitur duplici potestate.

Gelas. tom. de anathem. vinculo.

1. Pet. 2.

2. Tim. 2.

CAPVT II.

SED tantò grauius pondus est Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in diuino reddituri sunt examine rationem. & tanta est dignitas Pontificum, maior quam Regum, quia Reges in culmen Regium sacrantur à Pontificibus, Pontifices autem à Regibus consecrari non possunt. Et tanto in humanis rebus Regum cura est propensior, quam Sacerdotum, quanto pro honore & defensione & quiete sanctæ Ecclesiæ, ac Rectorum & ministrorum ipsius, & leges promulgando, ac militando à Rege regimen eis curæ onus impositum.

Pontificum dignitas maior quam Regum.

CAPVT III.

DILIGENTER igitur quisq; debet in ordine & professione sua, quo nomine censetur attendere, & maiorem in modum prouidere, ne à nomine discordet officio. Quia, sicut legimus in sacra historia, Ozias Rex præsumens incensum ponere, quod non Regij, & sacerdotalis erat ministerij, lepra est à Deo percussus, & de templo à sacerdotibus eiectus, & in domo sua est vsq; ad mortem reclusus. Et S. Cyprianus in decimo gradu abusionum, per quem seculi rota, si in illo fuerit, decipitur, & ad tartari tenebras nullo impediente iustitiæ suffragio per iustum Dei iudicium rotatur, de neglegente Episcopo dicit. *Si fuerit Episcopus neglegens, qui gradus sui honorem inter homines requirit, sed ministerii sui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur, non custodit. Primum namq; ab Episcopo, quid sui nominis dignitas tenet inquiratur, quoniam cum Episcopus græcum nomen sit, speculator interpretatur. Quare verò speculator ponitur, & quid à Speculatore requiratur, Dominus ipse denudat, cum sub Ezechielis prophetæ persona Episcopo officii sui ratione denunciat, ita inquiens. Speculatorem dedi*

4. Reg. 15. 2. Para. 26.

Cypr. de 12. abus. c. 10.

De Episcopi nomine.

Ezech. 3.

dedi te domui Israhel. Et reliqua, quæ non perfunctoriò neq; raro legere & meditari debemus, qui vocamur hoc nomine.

CAPVT IV.

IN veteri testamento Dauid Rex simul & propheta præfigurans Dominum nostrum IESVM Christum, qui, vt præmisimus, solus rex simul & sacerdos fieri potuit, duos in Sacerdotibus ordines constituit: in summis videlicet Pontificibus, & in minoris Ordinis sacerdotibus, qui nunc presbyteratus funguntur officio: ea videlicet prouisione, vt dum quilibet Pontificum vita decederet, quicumq; Sacerdotum optimus putaretur, ei in Pontificatum succederet. Et in nouo testamento Dominus noster IESVS Christus de multitudine discipulorum suorum, sicut in Euangelio legimus, duodecim elegit, quos & Apostolos nominauit. Horum in Ecclesia locum tenent Episcopi, sicut S. Gregorius, & cæteri Catholici Doctores ostendunt. Designauit etiam & alios septuaginta duos, quia, vt duodecim Apostolos formam Episcoporum exhibere simul & præmonstrare nemo est qui dubitet, sic & hos septuaginta duos figuram Presbyterorum, id est, secundi ordinis Sacerdotum gessisse sciendum est: tametsi primis Ecclesiæ temporibus, vt Apostolica scriptura testis est, vtriq; presbyteri, vtriq; vocabantur Episcopi; quorum vni sapientiæ maturitatem, alteri industriam curæ pastoralis significant, quorum licet in quibusdam sint discreta officia dignitatum, vno nomine sacræ regulæ comprehendunt. *Nulli*, inquiunt, *Sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare, quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in ipsius Domini iniuriam prosilitur.* Id est, non minus Schismatici in

1. Paralip. 24. Dauid duos ordines Sacerdotum constituit.

Luc. 6. & 10.

Dam. ep. 3. de Chorep. Anaclet. ep. 2. Aug. in ps. 44. Hiero. ep. ad Marcellam. Leo ep. 88. Beda in c. 10. Luc.

Philip. 1. Tit. 1. 1 Tim. 3. Actor. 20.

Cælest. 1. ep. 3. D. st. 38. c. nulli. Nulli Sacerdoti licet canones ignorare.

ſanctarum traditionum ſanctiones delinquentes, quam hæretici, à recta fide diſcedentes, donec conuertantur, & vnitati ſanctæ Eccleſiæ incorporentur, ab eadem Eccleſia ſunt ſeparandi. *In Epiſcopis* enim, vt Beatus dicit Ambroſius, *omnes ordines ſunt*, quia primus ſacerdos eſt, hoc eſt, princeps ſacerdotum, & propheta, & euangeliſta, & cæterorum miniſtrorum in ſe officia continens ad implenda ea in miniſterio fidelium.

Amb. in c. 4. ep. ad Eph.

CAPVT V.

Principi curandum ne Epiſcopus Simoniacè eligatur.

QVALITER autem conſenſu Principis terræ, qui res Eccleſiaſticas diuino iudicio ad tuendas & defenſandas ſuſcepit electione cleri ac plebis quiſq; ad Eccleſiaſticum regimen abſq; vlla venalitate prouehi debeat, & Dominus in Euangelio, & ſacri canones apertè demonſtrant, dicente Domino. *Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.* Quales autem ad Epiſcopatum debeant promoueri, Apoſtolica & canonica decernit auctoritas. Vnde Principi terræ magnopere prouidendum atq; cauendum eſt, ne in his Deus offendatur, per quos religio Chriſtiana conſiſtere debet, & cæteri ab offenſione ſaluari. Nullius enim rei intuitu eligendus eſt Epiſcopus, niſi Dei ſolius, id eſt, non pro aliquo munere præſentis vel futuræ ſub ſpe retributionis, nec pro aliquo obſequio humano, vel propinquitate conſanguinitatis, ſeu amicitia, vel ſeruitio temporali, aut aliqua occaſione, quæ contraria eſſe poſſit veritati, aut diuinæ auctoritati: ſicut & de preſbyteris, ſicut ſacra demonſtrat auctoritas.

Ioan. 10.

1. Tim. 3.

Ioan. 2.
Act. 8.
Grat. 1. q. 3. & ſeq.

CAPVT VI.

QVALITER autem ordinati miniſtros ſibi ſuppo-

ſitos

ſitos regere debeant, ſacri canones & decreta ſedis Romanæ Pontificum, ſed & ſextus decimus liber Legum, quibus vna cum ſacris canonibus ſancta moderatur Eccleſia, patenter oſtendunt, quam pura etiam intentione ſacros Eccleſiaſticos ordines debeant diſpenſare, B. Gregorius in homilia Euangelij. *Miſit* IESVS *duodecim diſcipulos ſuos præcipiens eis & dicens. In viam gentium ne abieritis.* Et in homilia Euangelij. *Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos.* Et in homilia Euangelij. *Vidit* IESVS *ciuitatem, & fleuit ſuper illam*, apertè oſtendit. Qua verò diſcretione ligare vel ſoluere debeant ſubditos, in homilia Euangelij. *Cum ſero factum eſſet vna ſabbathorum*, luculenter demonſtrat. Qualiter autem quiſq; ad culmen regiminis videlicet Epiſcopatus veniat, atque ad hoc rectè perueniens, qualiter viuat, & benè viuens, qualiter doceat, & rectè docens infirmitatem ſuam quotidie quanta conſideratione cognoſcat, B. Gregorius in Paſtorali regula ſufficienter & eloquentiſſimè docet.

Cod. lib. 1. tit. 3. ep. 20. Nouell. conſtit. 6.

Greg. hom. 4.

Hom. 17.

Hom. 39.

Hom. 26.

CAPVT VII.

QVALIS deniq; Rex debeat eſſe, B. Cyprianus in nono abuſionis gradu demonſtrat docens. *Etenim Regem non iniquum, ſed correctorem iniquorum eſſe oportet. Inde in ſemetipſo nominis ſui dignitatem cuſtodire debet. Nomen enim Regis intellectualiter hoc retinet, vt ſubiectis omnibus Rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui ſint, non corrigit? Quoniam in iuſtitia Regis exaltatur ſolium, & in veritate regis ſolidantur gubernacula populorum. Iuſtitia verò regis eſt, neminem iniuſtè per potentiam opprimere, ſine perſonarum acceptione inter virum & proximũ ſuum iuſte iudicare: aduenis, & pupillis, & viduis defenſorem eſſe, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare,* *impudicos*

Cypr. de 12. abuſ. cap. 9.

Regis officium deſcribitur.

impudicos & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & periurantes viuere non sinere, Ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, iustos super regni negotia constituere, senes & sapientes, & sobrios consiliarios habere, magorum & ariolorum pythonissarumq; superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & iustè contra aduersarios defendere, per omnia in Deo confidere, prosperitatibus animum non eleuare, cuncta aduersa patienter tolerare, fidem Catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impiè agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas cibum non gustare. Væ enim terræ, cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt. Hæc regni prosperitatem in præsenti faciunt, & Regem ad cælestia regna meliora perducunt. Qui verò regnum non secundum hanc legem dispensat, multas nimirum aduersitates imperii tolerabit. Idcirco enim pax sæpe populorum rumpitur, & offendicula etiam de regno suscitantur, terrarum quoq; fructus diminuuntur, & seruitia populorum præpediuntur, multi & varij dolores prosperitatem regni inficiunt, carorum & liberorum mortes tristitiam conferunt, hostium incursus prouincias vndiq; vastant, bestiæ armentorum & pecorum greges dilacerant, tempestas aeris & hyemis turbata rerum fæcunditate maris ministeria prohibent, & aliquando fulminum ictus, segetes & arborum flores & pampinos quoq; exurunt. Super omnia verò Regis iniustitia non solum præsentis imperij faciem offuscat, sed etiam filios suos & nepotes, ne post se regni hæreditatem teneant, obscurat. Propter piaculum enim Salomonis regnum domus Israhel Dominus de manibus filiorum eius dispersit, & propter iustitiam Dauid Regis lucernam de semine eius semper in Hierusalem reliquit. Ecce quantum iustitia Regis sæculo valet, intuentibus perspicuè patet. Est enim pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fæcunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, & sibi-

Eccles. 10.

3. Reg. 11.

*& sibimetipsi spes futuræ beatitudinis. Attamen sciat Rex, quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic & in pœnis, si iustitiam non fecerit, primatum habiturus est. Omnes namq; quoscunq; peccatores sub se in præsenti habuit, supra se modo * implacabils in illa pæna futura habebit.* * plagali. Hucusq; Cypr.

CAPVT VIII.

ET sextus abusionis gradus est, qui non solum Regi, sed & omnibus, qui Dominorum censentur nomine, conuenit. *Dominus sine virtute: quia nihil proficit dominandi habere potestatem, si Dominus ipse non habeat virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor, non tam exteriori fortitudine, quæ & ipsa sæcularibus Dominis necessaria est, indiget, quam animi interiori fortitudine, bonis moribus exerceri debet: sæpe enim dominandi per animi neglegentiam perditur fortitudo, sicut in Heli sacerdote factum fuisse comprobatur. Qui dum seueritate iudicij peccantes filios non coercuit, in eorum vindictam Dominus, velut consentienti, ferociter non pepercit. Tria ergò necessaria hos qui dominantur habere oportet, terrorem scilicet, & ordinationē & amorem. Nisi enim ametur Dominus pariter & metuatur, ordinatio minimè constare illius potest. Per beneficia ergò & affabilitatem procuret, vt diligatur, & per iustas vindictas non propria iniuriæ, sed legis Dei, studeat vt metuatur. Propterea quoq;, dum multi pendent in eo, ipse Deo adhærere debet, qui illum in ducatum constituit: qui ad portanda multorum onera, ipsum veluti fortiorem solidauit. Paxillus enim, nisi bene forte * firmetur, & alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet, cito labitur, & ipse solutus à rigore suæ firmitatis cum oneribus ad terram delabitur. Sic & Princeps nisi suo conditori pertinaciter adhæserit, & ipse, & omne quod continet, cito deperit. Quidam namq; per dominandi officium plus Deo appropinquant: quidam imposito sibi dignitatis honore deteriores fiunt. Moyses namq; accepto*

Omnibus Principibus fortitudo animi necessaria.

1. Reg. 2.

Tria necessaria omnibus Dominis.

* fixus firmiter alicui fortiori hæreat.

Princeps Deo debet esse coniunctus.

Exod. 33.

populi Ducatu familiarius Dei locutionibus vtebatur. Saul verò filius Cis, postquam sceptra Regni suscepit, per inobedientiæ superbiam Deum offendit.
1. Reg. 15. *Rex Salomon postquam patris sui Dauid sedem obtinuit,*
3. Reg. 3. *Deus illum vltra omnes mortales velut ad numerosi populi gubernationem sapientiæ munere ditauit. Econtrariò verò Hieroboam seruus Salomonis, postquam regni domus Dauid occupauit partem, ad idolorum culturam decem tribus Israhel, quæ erant in parte Samariæ attraxit.*
3. Reg. 12. *Per quæ exempla euidenter ostenditur, quosdam in sublimiori statu ad maiorem perfectionem crescere, quosdam verò per supercilium dominationis ad deteriora defluere. Per quod vtrumque intelligitur, eos qui ad meliora condescendunt, per virtutem animi, & Dei auxilium posse id facere, & eos qui ad deteriora deuertuntur, per mentis imbecillitatem pariter & neglegentiam errare. Vnde & Dominum absque virtute fieri non decet, qui virtutem sine Dei auxilio nullatenus habet. Qui etenim multa tuetur, si non habet fortitudinem animi, non valet id agere, quoniam magna magnis infestationibus, vel aduersitatibus solent laborare. Omnis ergo qui præest hoc primitus animi tota intentione procuret, vt per omnia de Dei adiutorio omninò non dubitet. Si namque cœperit in actibus suis auxiliatorem habere Dominum dominorum, nullus hominum contemptui poterit habere eius dominatum: non enim est potestas nisi à Deo. Ipse enim eleuat de stercore egenum, & sedere facit cum Principibus populi sui: & deponit potẽtes de sede, & exaltat humiles, vt subditus fiat omnis mundus Deo & egeat omnis gloria Dei.*

Rom. 13. Psalm. 112. Luc. 1. 1. Cor. 2.

CAPVT IX.

QVALES sibi adhibere debeat Rex consiliarios, sed & illi qui in principatu positi, Domini appellantur, Ambrosius in libro Officiorum ostendit. *Talis*, inquiens, *debet esse qui consilium alteri dat, vt seipsum formam alijs præbeat ad exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate: vt sit eius sermo salubris atque irreprehensibilis,*

Amb. lib. 2. offic. c. 17. Consiliarii Principum qui.

consilium

consilium vtile, vita honesta, sententia decora. Talis igitur debet esse consiliarius, qui nihil nebulosum habeat, nihil fallax, nihil fabulosum, nihil simulatum, quod vitam eius ac mores refellat, nihil improbum ac maleuolum, quod auertat consulentes. Alia sunt enim quæ fugiuntur, alia quæ contemnuntur. Fugimus ea quæ possunt nocere, quæ malitiosè possunt in noxam serpere: vt si is, qui consulitur, dubia sit fide, & pecuniæ auidus, vt possit precio mutari: si iniuriosus, hic fugitur ac declinatur. Qui verò voluptarius, intemperans, etsi alienus à fraude, tamen auarus & cupidior lucri turpis, hic contemnitur. Quis enim in cæno fontem requirat? quis è turbida aqua potum petat? Itaq; vbi luxuria est, vbi intemperantia, vbi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? Quis non despiciat morum colluuionem? quis vtilem causæ alienæ iudicet, quem videt inutilem vitæ suæ? Quis iterum improbum, maleuolum, contumeliosum non fugiat, & ad nocendum paratum? quis non eum omni studio declinet? Quis verò quamuis instructum ad consilii opem, difficilem tamen accessu ambiat, in quo sit illud, tanquam si quis aquæ fontem præcludat? Quid enim prodest habere sapientiam, si consilium neges? Si consulendi intercludas copiam, clausisti fontem, vt nec aliis influat, nec tibi prosit. Admirandus mihi & suspiciendus consiliarius, quem propitius Dominus patribus dedit, offensus abstulit. Promptius tamen nos iusto viro, quam prudenti committimus. Pulchrum est igitur bene velle, & eo largiri consilio, vt prosis, non vt noceas. Ibidem c. 12.

CAPVT X.

A QVIBVS vna cum cæteris prauitatibus se Rex debeat custodire, & quales Comites ac Iudices debeat constituere, S. Augustinus demonstrat, dicens. Caueat Princeps, ne muneribus vel blanditijs cuiusquam scelerati pelliciatur, vel adulationibus decipiatur, quia est munus à dato, munus à fauore, munus ab obsequio.

Iudices quales constitui debeant ab illis

Greg. hom. 4. in Euang. I. q. 3. c. saluator.

ſequio. Et ideò debet omnis iudex cauere ne iuſtum iudicium vendat, aut teſtis verum teſtimonium, aut aduocatus iuſtum patrocinium, & iuriſperitus verum conſi-
1. q. 3. c. non licet. lium vendat, ne Iudæ, qui Chriſtum, qui eſt veritas & iuſtitia, vendidit, ſocius fiat. Et ne quiſquam in principatu quocunq; poſitus, adulationibus decipiatur, diligenter attendat, quod in Regum hiſtoria legitur. Be-
3. Reg. 20. nadab fugiens ingreſſus eſt ciuitatē in cubiculum, quod erat intra cubiculum, dixeruntq; ei ſerui ſui. *Ecce audiuimus, quod reges domus Iſrahel clementes ſint. Ponamus itaq; ſaccos in lumbis noſtris, & funiculos in capitibus noſtris, vt egrediamur ad Regem Iſrahel, forſitan ſaluabit animas noſtras. Quo facto, dixerunt ad Regem Iſrahel. Seruus tuus Benadab dicit, viuat, oro te, anima mea. Et ille ait, ſi adhuc viuit, frater meus eſt. Quod acceperunt viri pro omine, & feſtinantes rapuerunt verbum ex ore eius, atq; dixerunt. Frater tuus Benadab. Et dixit eis rex Iſrahel. Ite & adducite eum ad me. Quo veniente, pepigit cum eo fœdus, & dimiſit eum. Vnde audiuit à propheta. Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.*

CAPVT XI.

Greg. 3. parte paſtor. admon. 23. SED & cauendum eſt Principibus, ne ſceleratorum amicitijs coniungantur, vel huiuſmodi in familiaritate ſuſcipiant. *Malorum,* inquit B. Gregorius, *cum incautè amicitiis iungimur, culpis ligamur. Vnde Ioſaphat, qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, de Achab Regis amicitia pæne periturus increpatur. Cui à Domino per prophetam dicitur. Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris: & idcirco iram quidem Domini merebaris, ſed bona opera inuenta ſunt in te, eo quod abſtuleris lucos te terra Iuda. Ab illo enim qui ſummè rectus eſt, eo ipſo, iam diſcrepat, quo peruerſorum amicitiis*

Principes ſceleratorum amicitiis iungi non debent.
2. Paral. 19.

amicitiis vita nostra concordat. Hinc Dauid dum totum se ad fœdera pacis internæ constringere testatur, quod cum malis concordiam non teneret, dicens. Nonne qui oderunt te Deus oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Inimicos autem Dei perfecto odio odisse est, ad quod facti sunt diligere, & quod faciunt increpare, mores prauorum premere, vitæ prodesse.

CAPVT XII.

Nec parcere impiis licet sanguine iunctis.

QVOD Rex propter ministerium regium, nec quilibet Princeps etiam quibuscumq; propinquitatis necessitudinibus coniunctus contra Deum, sanctamq; Ecclesiam atq; Rempublicam peruersè agentibus affectu carnali parcere debeat ex verbis Domini dicentis. *Qui non odit patrem suum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*, in homilia Euangelij B. Gregorius demonstrat dicens. *Si vim præcepti perpendimus, vtrumq; per discretionem agere valemus, vt eos qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, & quos proximos nouimus, diligamus; & quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus. Quasi enim per odium diligitur, qui carnaliter sapiens, dum praua nobis ingerit, non auditur. Ametur quilibet in hoc mundo etiam aduersarius: sed in via Dei contrarius non ametur etiam propinquus, vt eo verius cognoscat Deum, quo in eius causa neminem recognoscit.* Greg. hom. 37

CAPVT XIII.

SICVT supra est positum, quod nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare: ita in legibus sacris decretum est, vt leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere. Cap. 4. Cùm enim dicitur, nulli liceat leges nescire, vel quæ sunt statuta contemnere, nulla persona in

quocumq; ordine excipitur, quę hac sententia non constringatur. Oportet enim, vt qui iudex est iudicum pauperes ad se ingredi permittat, & diligenter inquirat, ne forte illi, qui ab eo constituti sunt & vicem eius agere debent in populo iniustè aut neglegẽter pauperes pati oppressiones permittant, terrorq; eius iniquos comprimat, & beneuolos atque indigentes sua auctoritate subleuet. Periculum quippe est cuilibet officiũ suum per alios intantum peragere, vt se ab eo diutius subtrahat. Legimus antiquitus iudices in porta ad iudicandũ sedisse, vt nullus accedendi difficultatem haberet. Vnde B. Hieronymus in Zachariam prophetam. *Veritatem,* inquit, *& iudicium pacis iudicate in portis vestris. In iudicio prima sit veritas atq; iustitia, deinde sequatur misericordia. Quod sequitur, in portis vestris, illi prophetico congruit, oderunt in portis corripientem, & verbum sanctum abominati sunt. Et in alio loco, non confundentur, cum loquentur inimicis suis in porta. Dauid quoq; iudicabat in portis quando Abessalon veritatem iudicii repromittens patri tendebat insidias. Et quæritur, quare apud Iudæos in portis locus fuerit iudicandi? Ne cogerentur agricolæ intrare vrbes, & aliquod subire dispendium, iudices in portis residebant, vt tam vrbanos quam rusticos, & in exitu & introitu vrbis audirent, & finito negotio vnusquisque confestim ad sedes proprias reuerteretur.*

Principes debent esse gnari legum, & audientiam dare etiam pauperib.

Hieron. in c. 8. Zachar.

Amos 5.

Psalm. 129.

2. Reg. 19.

CAPVT XIV.

Qvi autem post Regem populum regere debent, id est, Duces & Comites, necesse est vt tales instituantur, qui sine periculo eius, qui eos constituit, quos sub se habent cum iustitia & æquitate gubernare intellegant; atque cum bona voluntate, quod intellegunt, adimplere procurent, scientes se ad hoc positos esse, vt plebem saluent & regant, non vt dominentur & affligant. Neque

Duces & Comites à Rege constituti quales esse debeant.

vt popu-

vt populum DEI suum æstiment, aut ad suam gloriam sibi illum subijci, quod pertinet ad tyrannidem & iniquam potestatem. Valde enim exigit necessitas, quia Rex æquissimo iudici de commisso sibi ministerio rationem redditurus est, vt etiam singuli, qui sub eo sunt ministri diligentissimè ab eo inquirantur, & tales constituantur, ne ipse pro eis iudicium incurrat diuinum. De oppressione pauperum prouidendum est, quia in eorum afflictione Deus offenditur, sicut psalmista dixit. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Prouidendum est ne affligantur in ædificijs superfluis, in exactioue hostili, si Deus pacem pro sua misericordia tribuerit, ne contra Capitulum Domni Imperatoris KAROLI, vt nemo ad mallum, vel ad placitum cogeretur venire, nisi scabini, & qui causam suam quærit, & cui quæratur. Psalm. 11.

CAPVT XV.

COMITES & Vicarij, vel etiam Decani plurima placita constituant, & si ibi non venerint, compositionem eius exsoluere faciant: & quia prius per manninas veniebant, excogitauerunt quidam, vt per bannos venirent ad placita, quasi propterea melius esset, ne ipsas manninas altervtrum soluerent. Hæc ideo facientes, vt ipsi bannum acciperent, & in tantũ exinde affligerentur pauperes, vt vnde prius in exercitu plures ire poterant, vix aliqui modo ire præualeant. Et in his omnibus non solum non soluunt fasciculos secundum Isaiam deprimentes, sed etiam superaddunt super miseros & egentes. Quando enim sperant aliquid lucrari, ad legem se conuertunt: quando verò per legem non æstimant

Vicariorum & Decanorum officium.

Isa. 58.

æstimant acquirere, ad capitula confugiunt, sicq; interdum fit, vt nec capitula pleniter conseruentur, sed pro nihilo habeantur, nec lex. Omnia enim mala lex veteris testamenti damnat. Sed Dominus dixit discipulis suis de omnibus Christianis. *Amen dico vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

Lex vetus mala omnia damnat

Matth. 5.

CAPVT XVI.

DE Legibus à quibusdam Imperatoribus malè constitutis; à quibusdam verò benè constitutis S. Augustinus ad Bonifacium dicit. *Imperatores quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes, & coronantur perseuerantes. Quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur sæuientes, & corriguntur intellegentes.* Et ad Marcellinum de moribus bonis Principum, & de Republica augenda dicit. *Ex parua,* inquiens, *Republica & inopi magnam opulentamq; fecerunt, qui accepta iniuria ignoscere quàm persequi malebant. Quomodo Cæsari vtiq; administratori Reipublicæ, mores eius extollens Cicero dicebat, quod nihil obliuisci soleret nisi iniurias. Dicebat enim hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adulator: sed si laudator, talem Cæsarem nouerat; si autem adulator, talem esse debere ostendebat Principem ciuitatis, qualem illum fallaciter prædicabat.* Apud veteres namque tale prouerbium erat. *Rex eris, si rectè facias, si non facias, rex non eris.*

Aug. epist. 50. Grat. dist. 9. c. imperatores. & 11. q. 3. c. imperatores.

Aug. epist. 5.

Cic. in orat. pro Q. Ligar.

Horat. l. 1. ep. 1.

CAPVT XVII.

REGIÆ virtutes præcipuè duæ sunt, iustitia, videlicet, & pietas: veruntamen in Regibus plus laudatur pietas: nam iustitia per se sine pietate seuera est. DE rapinis compescendis, & pace restituenda, & sacris Scripturis, Ecclesiasticarum legum definitionibus, ac legum sacra-

ſacrarum conſtitutionibus ſufficienter ex Synodali conuentu apud Martyrium B. Macræ nuper habito collecta fratri huius Regis noſtri nuper defuncto per Epiſcopos miſimus, quæ hic replicare, non neceſſarium, imò ſuperfluum duximus.

EPISTOLA V.

AD DIOECESIS RHEMENSIS EPIſcopos, & Regni primores.

ARGVMENTVM.

LVdouico II. Cæſare mortuo Carolus Caluus Rex Francorum in Italiam coronæ Imperalis à ſummo Pontifice obtinendæ cauſa conceſſerat, quod moleſtè ferens Ludouicus Rex Germaniæ eius frater, tentauit eo abſente inuadere regnum Franciæ. Eam ob rem anxii Epiſcopi quidam Franciæ mox conſulunt Metropolitanũ ſuum Rhemorum Archiepiſcopum Hincmarum, quid in tanto diſcrimine facto opus ſit. Hincmarus verò hac epiſtola ſuadet confugiendum eſſe ad arma ſpiritualia orationum, ieiuniorum aliorumq; id genus præſidiorum, & in fide proprii Regis Caroli, licet abſit, fortiter perſiſtendum, nec oues vlla ratione, quantumuis Ludouicus vi inuadat regnum, deſerendas, ipſoſq; reges liberè de ſuis erratis commonefaciendos, ac ſi parere nolint, etiam à corpore Chriſti abſcindendos, quod multorum S. Patrum exemplis fusè probat.

HINCMARVS EPISCOPVS AC PLEBIS Dei famulus dilectis fratribus & venerabilibus Epiſcopis Remorum dioceſeôs.

CAPVT I.



E communi anxietate noſtra, de qua exiguitatem meam dilectio veſtra conſuluit, proponens mihi verba S. Bonifacij Papæ, quibus dicit ad Hilarium Narbonenſem Bonif. tom. 1. Concil.

 Archiepi-

Archiepiscopum, exponens capitulum Nicæni Concilij de priuilegijs singularum prouinciarum. *Aduertat* inquiens, *caritas tua, adeò nos canonum præcepta seruare, vt ita Constitutio quoq; nostra diffiniat, quatenus Metropolitani sui vnaquæq; prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet*, quæ donante Domino ex doctrina Patrum nostrorum sentio scriptis vestræ caritati respondeo. S. Ambrosius in epistola ad Theodosium Augustum inter cætera dicit. *Non est imperiale, libertatem dicendi negare: neq; sacerdotale, quid sentias, non dicere. Nihil enim in vobis Imperatoribus tam populare, & tam amabile est, quam libertatem etiam in his diligere, qui obsequio militiæ vobis subditi sunt: Siquidem hoc interest inter bonos & malos Principes, quod boni libertatem amant, seruitutem improbi. Nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam, quod sentiat, non libere * pronuntiare. Siquidem scriptum est. Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar. Et alibi. Fili hominis speculatorem te posui domus Israhel. In eo, inquit, vt si auertatur iustus à iustitijs suis, & fecerit delictum quia non distinxisti ei, id est non dixisti, quid sit cauendum, non retinebitur memoria iustitiæ eius, & sanguinem eius de manu tua exquiram. Tu autem si dixeris iusto, vt non peccet & ipse non peccauerit, iustus vita viuet, quia dixisti ei, & tu animam tuam liberabis.* Et Dominus in Euangelio. *Qui*, inquit, *me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum angelorum.*

[Margin: Ambr. epist. 29. — Episcoporum est liberè quid sentiāt, dicere. — * denuntiare. — Psal. 118. — Ezech. 3. — Luc. 9.]

CAPVT II.

IGITVR dicamus liberè Domini Sacerdotes, quæ dicuntur notabilia & reprehensibilia de Rege nostro, & quę dicuntur laudabilia promissa de fratre eius Domno rege HLVDOWICO, qui ventur⁹ asseueratur in hoc regnū fratris sui, vt quæ frater eius in eo perperam egit, ipse corrigat;

[Margin: KAROLO Caluo. — LVDOVICO Rege Germaniæ. — Aim. l. 5. c. 32.]

corrigat; & quod per neglegentiam frater eius admisit, ipse per diligentiam emendare procuret: quatenus si Rex noster ea legerit, quæ de illo dicuntur, si vera sunt, illa corrigat: si autem vera non sunt, de cætero admittere caueat. Si autem & frater eius Domnus HLVDOWICVS ea legerit, quæ de fratre illius dicuntur notabilia caueat, & quæ de illo laudabilia promittuntur exequi studeat. Nos autem Episcopi & Regni primores secundum Ordines nostros in maiorũ doctrina seu exemplis, quid nobis sequendum, quidué cauendum sit, conspiciamus.

CAPVT III.

ET prætermissis alijs vicissitudinibus altercationũ de Regno inter Principes nostros temporibus nostris Anno 852. habitis ante hos XVI. annos, quando Rex noster Domnus KAROLVS, & Domnus HLVDOWICVS cominus præparatis vtrinq; armatorum cuneis & erectis vexillis secus locum, qui Breona dicitur conuenerunt, populus qui cum Domno KAROLO erat ex parte maxima illum reliquit, sicq; eundem Regem KAROLVM pridie Idus Nouemb. inde abire coëgit. Tertio autem mense KAROLO reuertẽte, qui cum Domno HLVDOVVICO erant, ab eo separati, & solitario pæne relicto insequente illum CAROLO de pago Laudunensi ad propria redire destitutione sua fecerunt. Nunc autem, quia Domnus KAROLVS nos, & regnum istud sponte reliquit, & in Italiam perrexit, Domnus noster HLVDOVVICVS multorum oribus accipere Regnum istud hostiliter venturus asseueratur: & Domnus KAROLVS bellatorum acies, quas vulgari sermone *scaras* vocamus dispositas, & eisdem aciebus Primores deputatos ad resistendum fratri suo, ne Regnum illius occupare valeat, habere dicitur, qui iussione vxoris suæ cum filio suo HLVDOVVICO regnum su-

Carolus in Italiam abiit anno 875. test. Aimoi. l. 5. c. 32. At Sigeb. 876.

um ab omnibus tam Christianis, quam paganis hostibus cum consilio & auxilio Episcoporum ac cæterorũ Consiliariorum suorum defendant, donec ipse adepto regno ad quod accipiendum iuit, auxiliante Domino reuertatur in pace.

CAPVT IV.

QVA de re nobis Episcopis satis agendum est, ne in consilio, quod à nobis Reipublicæ ministri secundum Domni Regis mandatum petierint, à nostro ministerio excidamus, & ne de auxilio, quantum Deus vnicuique nostrum posse dederit, abscedamus, sequentes sententiam Domini dicentis. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* In auxilio igitur præbeamus arma diuina, ieiunia, orationes, lacrymas, implorationes ad sanctorum suffragia, & auxilia diuina per nos nostrasq; parrochias, vt non effundatur sanguis Christianus seditionali certamine inter fratres & cognatos, atq; propinquos, sicut iam fuisse factum in Fontanido dolemus. & de omnibus hostibus tam Christianis, quam paganis per Sanctorum merita & intercessiones det Dominus propitius pacem in diebus nostris, vt ope misericordiæ suæ adiuti, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.

Luc. 20. Hortatur ad spirituali a arma sumenda contra inuasores regni.

CAPVT V.

SI enim contra Paganos bellum immineret, consilium daremus bellatoribus nostris, & hortaremur eos adhortationibus, quas in litteris Ecclesiasticis legimus: nunc autem quia ciuile, & plusquam ciuile bellum inter Christianos instare opinamur, Patrum innitentes vestigijs, videamus, quid ad hæc sit nobis agendum. S. Ambrosius in epistola ad sororem suam historiam persecutionum suarum narrans inter cætera dicit. *Dominica post*

Ciuile bellum in Francia.

Inimicis esse bene faciendũ. Ambr. ep. 33.

post lectiones atq; tractatum dimissis catechumenis symbolum aliquibus competentibus in baptisterijs tradebam basilicæ. illic nunciatum est mihi, comperto quod ad Portianam basilicam de Palatio Decanos misissent, vt vela suspenderent, populi partem eo pergere. Ego tamen mansi in munere, Missam facere cæpi. dum offero, raptum cognoui à populo Castulum quendam, quem presbyterum dicerent Arriani. Hunc autem in platea offenderant transeuntes. Amarissimè flere, & orare in ipsa oblatione Deum cæpi vt subueniret, ne cuius sanguis in causa Ecclesiæ fieret, certe vt meus sanguis pro salute non solum populi, sed etiam pro ipsis impiis effunderetur. Quid multa? Missis presbyteris & diaconibus eripui iniuriæ virum. Missam facit S. Ambros.

CAPVT VI.

PARIA & B. Augustinum de Donatistis fidelium persecutoribus sensisse legimus. Et S. Gregorius in homilia Euangelij. *Vna*, inquit, *& summa est probatio caritatis, si & ipse diligitur, qui aduersatur. Hinc est, quod ipsa veritas & crucis patibulum sustinet, & tamen ipse suis persecutoribus affectum dilectionis impendit dicens. Pater ignosce illis; quia nesciunt quid faciunt. Quid ergo mirum si inimicos diligant, dum viuunt, quando & tunc diligit magister inimicos, cum occiditur?* Sic & Stephanum Romanæ sedis Pontificem egisse in gestis eius legimus, quando ad PIPPINVM in Franciam venit pro S. Petri iustitijs super HAISTVLPHVM, Regem nefandissimum obtinendis. Nam cum inclytus Rex PIPPINVS nec precibus, nec munerum oblationibus posset obtinere apud præfatum Regem quiddam de S. Petri iustitijs, exercitum aduersus eum mouit, sed Papa sanctus, ne sanguis effunderetur, Christianorum admonitiones, & obsecrationes Apostolicas exhibuit, & apud Domnum PIPPINVM obtinuit. Sed HAISTVLFVS superbia elatus super Francos, qui ad custodiam propria-

Greg. hom. 17. in Euang.

Luc. 23.

Anastas. bibliothec. in Stephano 3. Regin. lib. 1. Chron. ad ann. 753. Aimoi. L. 4. c. 63.

Clusas Regino *Thermopylas* Aimoinus *claustra, & clausuras Italia* vocat.

rum secundum iussionem PIPPINI clusarum venerant, fidens in sua ferocitate subitò aperiens clusas, super eos diluculò cum plurimis irruit exercitibus. Sed iustus iudex Dominus Deus & Saluator noster IESVS Christus victoriam paucissimis illis tribuit Francis, & multitudinem illam Langobardorum superantes trucidauerunt, & HAISTVLFVS fugam arripuit, & à PIPPINO superatus Deo auspice fuit.

CAPVT VII.

EXHIBEAMVS & iam vnusquisq; nostrum pro viribus contra omnes hostes sanctæ Ecclesiæ & Principis nostri milites de Ecclesijs nostris, qui cum Primoribus ad hoc deputatis dimicent, prout Dominus auxilium dederit, & cooperari dignatus fuerit. Vnde sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. Consilium autem in huiusmodi congressione, si à nobis requisierint Primores acierũ, quia scriptum est. *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorũ, & reprobat consilia Principum. Consilium autẽ Domini in æternum manet:* quod salubrius illis consilium dare possimus, quàm quod Dominus in Euangelio monstrat, inuenire nequimus. *Quis*, inquit, *Rex iturus committere bellum aduersus alium Regem, nonne sedens prius computat, si possit cum decem milibus occurrere ei, qui cum viginti milibus venit ad se? alioquin adhuc illo longè agente legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt.*

1. Machab. 3.

Psal. 32.

Suadet vt admittant alienum regem.

Luc. 14.

CAPVT VIII.

QVIA longè ante nos de his qui anxietatibus & ingentibus malis premuntur, etiam apud nationes tritum vulgi sermone prouerbium. *Inter malleum sunt & incudem*, legimus, & nos de frequentibus paganorum infestationibus, & cæteris anxietatibus, quibus diutius premimur,

mimur, verbis taceamus, & gemitibus ac suspirijs exclamemus. Inter duos Reges carne fratres, de hoc Regno, in quo degimus satagentibus, velut inter malleum & incudem, Episcopi sumus. Si enim, quia secessit longius in Regnum aliud Rex noster in aduentu superuenturi Regis Ecclesias nostras quaquauersum nemine persequente, vel præiudicium, vt dicitur, inferre moliente, fugientes discesserimus, & nos ad superuenturi tutelam Regis non contulerimus: præsertim, cum superuenturus Rex, vt fertur, dicat, se non venire ad Regnum inuadendum, sed ad destitutum restituendum, & defendendum, & pacem ac iustitiam in eo procurandam, & sanctę Ecclesiæ, ac eius sacerdotibus debitum honorem ac defensionem exhibendam. & nos & oues nobis commissæ periclitari videbimur. Nos quidem, quia non Pastores, sed mercenarij & apud Deum & apud homines iudicabimur. Oues autem nobis commissæ, quia sine Pastore errabunt vel dispergentur, & facultates Ecclesiasticæ, quibus sustentari debent, vel vt relictæ sine custodibus diripientur ac vastabuntur, si defuerit virtus Principis, cuius potestate defendantur, vel custodes, qui pro ouibus, & earum alimonijs Principi & defensori ac tutori Ecclesiæ suggerant.

Perplexitas Episcoporum Franciæ.

CAPVT IX.

SI autem Rex noster reuersus fuerit, infidelitatis nos arguet, sicut quosdam fecit, quando à Breona pergens, & nos desolatos relinquens, post aliquod tempus reuersus fuit: licet causa nostra à causa illorum, quos tunc redarguit, satis habeatur dissimilis: nam nos quacunq; ducti cupiditate vel turpi lucro inlecti Regem alium in Regnum istud, sicut illi fecerũt, non inuitauimus, neq; Regem nostrum reliquimus, & alteri nos absq; necessitate

cessitate contulimus, sed à Rege nostro relicti, & alterius potestati expositi nos iudicio Regis Regum expectantes commisimus. Sed inter hæc & vndiq; nos circumstant angustiæ. Si enim relicti à Rege nostro superuenientis Regis potestati nos contulerimus, mors nobis est: si autem non egerimus, Ecclesiarum nostrarum & ouium nobis commissarum custodiæ inuigilare nequibimus, & aut nunc in manum superuenturi Regis: aut, si Rex noster reuersus fuerit, in manus illius incidemus.

Suadet non fugiendum.

CAPVT X.

ET quid ad Apostoli Ioannis verba respondebimus dicentis. *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare.* Qui dicit. *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis: ac si apertè,* inquit Gregorius, *dicat, in hoc constat quia & cognosco Patrem, & cognoscor à Patre, quia animam meam pono pro ouibus meis, id est, ea caritate, qua pro ouibus morior, quantum Patrem diligam ostendo.* Et idem præfatus Apostolus Ioannes dicit. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Melius est igitur nos incidere in manus hominum, si Deus ita permiserit, quam derelinquere legem, id est, mandatum DEI, vt non deseramus oues nobis à Deo commissas, qui animam suam posuit pro ouibus suis. In quo ostensa est nobis via, quam sequamur, apposita forma cui imprimamur. Debemus ergo & nos, si necesse fuerit pro fratribus nostris animas nostras ponere, & non oues nostras deserere.

1. Ioan. 2.

Ioan. 10.

Greg. hom. 14. in Euang.

1. Ioan. 2.

Epicopo non sunt deserendæ oues.

CAPVT XI.

NVNC autem qualiter Regnum istud vndiq; à Paganis & falsis Christianis, scilicet Britonibus, sit circumscriptum, &, vt ita dicamus, visscerali commotione de his qui

Vnde turbatio omnis Regni.

his qui aliquandiu in eo fideles ac vtiles visi fuerant extitisse, sit perturbatum: & quæ conditio de Regnis nepotum suorum inter illum & fratrem eius sit sacramento firmata. Vtinam aut ignoraretur, aut inter eos ipsa conditio seruaretur, & neq; discordia Ecclesiarum Præsules,& serui ac ancillæ Domini inquietarentur,& Christianus populus affligeretur, ac inter regni primores viscerale bellum insurgeret, & rapinæ ac depredationes rerum Ecclesiasticarum atque diuitum seu pauperum conflagrarent. At si pro his dictis, (quæ non pro infidelitate Principum nostrorum ad suggillationem eorum, sed pro periculo eorum cum dolore ac gemitu dicimus) nobis sacerdotibus vis aliqua à quocumq; fuerit inlata, sicut quidam Sapiens dixit, feramus æquo animo, & vtamur foro, donec inuicta fælicitas finem malis imponat. Hortatur ad patientiam, si aliquid mali eis contingat.

CAPVT XII.

SCIMVS enim dicente Apostolo: quoniam *omnes qui piè volunt viuere, persecutionem patiuntur*. Sed, *non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Et Dominus *beatos* eos dicit, *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*. Neq; enim dubitandum est, quia B. Ioannes Baptista vt pro redemptoris nostri quem præcurrebat, testimonio, carcerem & vincula sustinuit, pro ipso & animam posuit; cui non est dictum à persecutore vt Christum negaret, sed veritatem reticeret,& tamen pro Christo occubuit. Quia enim Christus ipse ait. *Ego sum veritas*, ideo vtique pro Christo, quia pro veritate, sanguinem fudit, constanter dicens Regi. *Non licet tibi habere uxorem* viuentis *fratris tui*. Et nos, si quia dicimus, quod & à plebæis conqueri au-

1. Tim. 3.
Rom 8.
Matth. 5.
Ioan. 14.
Marci. 6.

dimus: quoniam non oportuerat Regem nostrum regnum istud à paganis vndiq; circumdatũ, & intra commotum & non solidum inconsultè dimittere,ac quos regendos & defendendos iudicio DEI suscepit, & qui ad hoc illi se commendauerunt, relinquere ac deserere: & quia dicimus, non debere fratrem suum regnum eius post præstita inter eos sacramenta, quæ Rex noster, quantum ex ipso est, seruare se velle dicit, inuadere, aliquod incommodum passi fuerimus, patienter inlata portemus pro Christo, quia prò veritate illa sustinebimus; imitatores pro modulo nostro eorum, qui *ibant gaudentes,quoniam digni habiti sunt pro nomine* IESV *contumeliam pati.*

Actor. 5.

CAPVT XIII.

VERVM,quia,vt prædiximus,inter malleum & incudem positi sumus,& quod inter malleum & incudem ponitur,aut frangitur,vel conquassatur, vel producitur & formatur,sicut in Numerorum libro legimus præcepisse Dominum Moysi, vt faceret tubas argenteas inter malleum & incudem productiles, quæ clangore suo ad sollemnitates Dei populum excitarent, atque audientium animos ad bellum accenderent. Et S. Dauid dicit. *Psallite Domino in tubis ductilibus.* Et Apostolus dicit. *Quæcumq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Et. *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei,quorum intuentes exitum conuersationis imitamini fidem:* Quæramus tubas argenteas inter malleum & incudem productas,id est, eloquia Domini,quod est *argentum igne examinatum,purgatum septuplum,*relucentes & virtute vigentes, quorum doctrina ad bellum necessarium & imminens discamus in perturbationis nostræ angore, quid

Num. 10.
Episcopi sunt tubæ productiles.
Psalm. 97.
Rom. 15.
Hebr. 13.
Psalm. 11.

quid nobis agendum sit, ne inter malleum & incudem frangamur vel conquassemur, sed producamur, atq; formemur, vt per eorum vestigia inoffenso pede gradientes non aberremus.

CAPVT XIV.

S. AMBROSIVS in libello, quem obtulit VALENTINIANO Imperatori contra Auxentium, inter cætera ita dicit ad locum. *Vtinam Imperator non denunciasset, vt quo vellem pergerem, quotidie prodibam. nemo me asseruabat. debuisti me, quo volueras, destinare, quem ipse omnibus offerebam. nunc mihi à sacerdotibus dicitur. non multum interesse, vtrum volens relinquas, an tradas altare Christi: cum enim reliqueris, trades.* Et hinc in sermone ad populum in Ecclesia. *Video vos præter solitum subitò esse turbatos atque obseruantes mei. miror, quid hoc sit. nisi forte quia per tribunos me vidistis, aut audistis imperiali mandato esse conuentum, vt, quo vellem, abirem hinc, & si qui vellent, sequendi potestatem haberent. Metuistis ergo, ne Ecclesiam desererem, & dum saluti meæ timeo, vos relinquerem? Sed quid et ipse mandauerim, potuistis aduertere; deserendæ Ecclesiæ mihi voluntatem subesse non posse, quia plus Dominum mundi, quam sæculi huius Imperatorem timerem. Sane si me vis aliqua abduceret ab Ecclesia, carnem meam exturbari posse, non mentem; paratum me esse, vt si ille faceret, quod solet esse Regiæ potestatis, ego subirem, quod Sacerdotis esse consueuit. Quid ergo turbamini? Volens nunquã vos deseram, coactus repugnare non noui. dolere potero, potero flere, potero gemere: aduersus arma, milites, Gothos quoq;, lachrymæ meæ arma sunt. talia enim munimenta sunt sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere. fugere autem & relinquere Ecclesiam non soleo, ne quis grauioris pœnæ metu factum interpretetur. Scitis & vos ipsi, quod soleam Imperatoribus deferre, non cedere: supplicijs me libenter offerre.* Et post aliquanta. *Petrus quoq; Apostolus vtriusq; rei vobis*

Ambr. epist. 32.

Amb. orat. in Auxent. lib. 5. epist.

Ambrosius in persecutione noluit fugere, vel cedere hæreticis.

edit Exemplum. Nam vbi eum Herodes quæsiuit, & capit, re-
Actor. 12. *cepit in carcerem, non enim recesserat Dei seruulus, sed steterat ti-*
moris ignarus. Orabat pro eo Ecclesia. Sed Apostolus in carcere
quiescebat, quod est indicium non timentis. missus est Angelus, qui
dormientem excitaret: per quem Petrus productus è carcere mor-
tem ad tempus euasit. Idem Petrus postea victo Simone, cum
præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitauit
animos gentilium, quibus eum quærentibus Christianæ animæ
deprecatæ sunt, vt paulisper cederet; & quamuis esset cupidus pas-
sionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Roga-
batur enim, vt ad instituendum & confirmandum populum se
reseruaret. Quid multa? nocte muro egredi cœpit, & videns
sibi in porta Christum occurrere, vrbemque ingredi, ait. Do-
mine quo vadis? Respondit Christus. Venio Romam, iterum
crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem diuinum pertinere
responsum. Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui car-
Rom. 6. *nem passione suscepta mortis exuerat. Quod enim mortuus*
est, peccato mortuus est semel: quod autem viuit, viuit DEO.
Intellexit ergò Petrus, quod iterum Christus crucifigendus esset in
seruulo. Itaque sponte remeauit, interrogantibus Christianis
responsum reddidit, statimque correptus per crucem suam hono-
rificauit Dominum IESVM. *Videtis igitur, quod in seruulis*
suis pati velit Christus. Et paulo post. *Ego ipse non quotidie*
vel visitandi gratia prodibam, vel pergebam ad Martyres? non
regiam palatij prætexebam eundo atque redeundo? & tamen
nemo me tenuit, cum exturbandi me haberent, vt prodiderunt
postea, voluntatem, dicentes. Exi de ciuitate, & vade quo vis.
Expectabam, fateor, magnum aliquid: aut gladium pro Christi
nomine, aut incendium. At illi delicias mihi pro passionibus
obtulerunt: sed athleta Christi non delicias, sed passiones suas
exigit. Nemo ergò vos turbet, quod aut carrum præparauerant
aut dura, vt videbatur sibi, Auxentij ipsius, qui se dicit Episcopum
ore ia-

ore iactata. Plerique narrabant percussores præmissos pœnam mortis esse decretam. nec illa timeo, & ista non desero. Quo enim abibo, vbi omnia plena gemitus sint atque lacrymarum? In historia Theodoriti legitur, quia dum de Ecclesia Ambrosius iuberetur exire, ait. *Ego sponte hoc non ago, ne lupis ouium septa contradere, aut blasphemantibus Deum videar. Hic, si placet, occide. hoc loco mortem prona suscipio voluntate.* Tripart. hist. l. 9. c. 10.

CAPVT XV.

IGITVR nobis non solum sequendum, sed & amplectendum est pro fide ac veritate, si contigerit, quod de se Beatus dicit Ambrosius loquens ad Ecclesiam suam. *Volens nunquam vos deseram, coactus repugnare non noui. dolere potero, potero flere, potero gemere. aliter nec debeo, nec possum resistere, fugere autem & relinquere Ecclesiam non soleo.* Sic enim egerunt sancti prædecessores nostri, vt in Ecclesiasticis historijs legimus. B. Hilarius Pictauensis, Paulinus Treuerensis, Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis, Ioannes Constantinopolitanus, & multi alij, quorum dicta & exempla vsq; hodie in sancta florẽt Ecclesia, quorum, iuxta Pauli vocem, *intuentes exitum conuersationis imitari debemus fidem atque exempla.* & de ita expulsis à sedibus suis Episcopis pro fide & veritate, sicut præfati sancti Episcopi expulsi Imperiali crudelitate fuerunt, sacri canones Sardicenses dicunt. Vt si aliquis Episcopus vim perpessus est, & iniquè expulsus pro disciplina & Catholica confessione, vel pro defensione veritatis effugiens pericula innocens & deuotus ad aliam venerit ciuitatem, non prohibeatur immorari, quamdiu aut redire possit, aut iniuria eius remedium acceperit, & iam & larga benignitate humanitas ei est exhibenda.

Amb. orat. in Auxent.

Heb. 13.

Conc. Sard. can. 21.

Episcopi eiecti humaniter tractandi.

CAPVT XVI.

ET hinc S. Gregorius ad vniuersos Episcopos per Illyricum. *Fratres* inquit, *coepiscoposq; nostros, quos & captiuitatis diuersarumq; necessitatum angustiæ comprimunt debetis consolandos, conuicturosq; vobiscum in Ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere: non quidem vt per communionem Episcopalis throni dignitas diuidatur, sed vt ab Ecclesia iuxta possibilitatem sufficientiæ debeant alimenta percipere. Sic enim & proximum in Deo, & Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in vestris Ecclesijs auctoritatem tribuimus, sed tamen eos vestris contineri summopere hortamur.*

Greg. epist. 43. lib. 1. Regist.

Qualiter etiam, vel pro quibus causis Episcopi Ecclesias suas sine detrimento ordinis ac animæ suæ ad tempus deserere valeant, S. Augustinus in epistola ad Honoratum Episcopum inter cætera ostendit, dicens. *Restat vt nos, quorum ministerium quantulacunq; plebi Dei vbi sumus manenti ita necessarium est, vt sine hoc eam non oporteat remanere, dicamus Domino: Esto nobis in Deum protectorem, & in locum munitum. Sed hoc consilium propterea tibi non sufficit, vt scribis, ne contra Domini præceptum vel exemplum facere nitamur, vbi fugiendum esse de ciuitate in ciuitatem monet. Recolimus enim verba dicentis. Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Quis autem credat ita hoc Dominum fieri voluisse, vt necessario ministerio, sine quo viuere nequeunt, deserantur greges, quos suo sanguine comparauit? Nunquid hoc fecit ipse quando portantibus parentibus in Ægyptum paruulus fugit, qui nondum Ecclesias congregauerat, quas ab eo desertas fuisse dicamus. Nunquid quando Apostolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus per fenestram in sporta submissus est, & effugit manus eius, deserta est, quæ ibi erat Ecclesia necessario ministerio, & non ab alijs fratribus ibidem constitutis, quod oportebat, impletum est? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat,*

Fuga quando licita Episcopis. Aug. epist. 180. Psal. 30. Matth. 10. Matth. 2. 2. Cor. 11. Actor. 9.

erat, vt seipsum seruaret Ecclesiæ, quem propriè persecutor ille quærebat. Fugiant ergo serui Christi, ministri verbi & sacramenti eius, quod præcepit, siue permisit. Fugiant omnino de ciuitate in ciuitatem, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, vt ab alijs, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conseruis suis, quos aliter viuere non posse nouerunt. Cum autem omnium, id est, Episcoporum & clericorum est commune periculum, ij qui alijs indigent, non deserantur ab his quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquantur ab eis, per quos illorum est Ecclesiastica supplenda necessitas, vt aut pariter viuant, aut pariter sufferant, quod eos Paterfamilias volet perpeti. Quod si contigerit, vt siue alij maius, alij minus, siue omnes æqualiter patiantur, qui eorum sint qui alijs patiuntur apparet, illi scilicet, qui cum se possent talibus malis eripere fugiendo, ne aliorum necessitatem desererent, manere maluerunt. Hinc maximè probatur illa caritas, quam Ioannes Apostolus commendat dicens. Sicut Christus animam suam pro nobis 1. Ioan. 3. *posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere; Nam qui fugiunt, vel suis deuincti necessitatibus fugere non possunt, si comprehensi patiuntur, pro se ipsis, non pro fratribus vtiq; patiuntur. Qui verò propterea patiuntur, quia fratres, qui eis ad Christianam salutem indigebant, deserere noluerunt, sine dubio suas animas pro fratribus ponunt.*

CAPVT XVII.

SIC enim fecit S. Nicasius Remorum Episcopus, S. NICASIVS. qui tempore Vuandalorum in persecutione generali suam non deseruit ciuitatem, & intra parietes Ecclesiæ martyrio meruit coronari. Sic eodem tempore S. Anianus, S. ANIANVS. sicut in sacris historijs legitur. Sic B. Lupus, vt in S. LVPVS. eius hymno canitur. *Dum bella cuncta perderent, orando*

Trecas

S. REMIGIVS Hincmar. in eius vita. *Trecas munijt.* Sic S. Remigius Remorum Episcopus superuenientibus Francis paganis in Belgicam diocefeos suæ prouinciam Ecclesiam suam non deseruit, sed orationibus, & sanctis exemplis ferocitatem gentis perdomuit, & in verbis suis monstra placauit: & non solum prouinciam suam à gladio gentili eripuit, verum & gentem paganam ad fidem Christi cooperante gratia conuertit, & tria milia paganorum vna cum Rege in vigilia Sancti Paschæ ad gratiam baptismi perduxit, ritè obseruans, quod S. Gregorius in homilia Ezechielis prophetæ Danielis exponens sententiam. *Thronus eius flamma ignis, rota eius ignis accensus. Hi enim,* inquit, *qui animarum custodes sunt, & pascendo gregis onera susceperunt, mutare loca minime permittuntur. Sed quia vno in loco positi, diuinitatis in se præsentiam portant & ardent, thronus Dei flamma ignis dicitur.* Et hinc S. Augustinus in præfata epistola ad Honoratum Episcopum ad locum dicit. *Cur enim sibi putant indifferenter obediendum præcepto, vbi legunt de ciuitate in ciuitatem esse fugiendum, & mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem & fugit, quoniam non est ei cura de ouibus.* Et paulo post. *Fugit Apostolus, cum à persecutore propriè ipse quæreretur, alijs vtiq; necessitatem similem non habentibus, à quibus illic ministerium absit vt desereretur Ecclesia. Sic fugit S. Athanasius Alexandriæ Episcopus cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet Imperator.*

Greg. homil. 5. Dan. 7.

Aug. ep. 180.

Ioan. 10.

CAPVT XVIII.

LEGIMVS etiam in epistolis magni Leonis Papæ, quod cum Eutychiana hæresis in Orientalibus partibus conflagraret, ab Imperatore idem Apostolicus Pontifex, sed & Hesperiarum partium Pontifices ad vniuersalem synodum fuerint euocati. Vnde idem S. Leo, vt propriè

Leo. epist. 17.

propriè ipsius verba ponamus, inter cætera ita rescripsit ad Theodosium Augustum. *Quamuis ad diem Concilij Episcopalis, quem pietas vestra constituit, occurrere me ratio nulla permittat, quum nec aliqua ex hoc exempla præcesserint, & temporalis necessitas me non patiatur deserere ciuitatem.* Et ad Pulcheriam Augustam. *Nam*, inquit, *illud quod pietas Imperatoris etiam me credidit debere interesse Concilio, etiamsi secundum aliquod præcedens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam possit impleri, quia rerum præsentium nimis incerta conditio à tantæ Vrbis populis me abesse non sineret, & in desperationem quandam animi tumultuantium mitterentur, si per occasionem causæ Ecclesiasticæ viderer patriam & Apostolicam sedem velle deserere. Quia igitur ad publicam vtilitatem pertinuisse cognoscitis, vt salua clementiæ vestræ venia, charitati me & precibus ciuium non negarem, &c.* Et in epistola ad Martianum Augustum. *Sacerdotes prouinciarum omnium congregari præsentis temporis necessitas nulla ratione permittit, quoniam illæ prouinciæ, de quibus maximè sunt euocandi, inquietante bello, ab Ecclesiis suis eos non patiuntur abscedere.* Et in Canonibus Africæ prouinciæ legimus Episcopos de Numidia prouincia iustè & rationabiliter excusatos, quia Legatos ad vniuersale Concilium etiam pro communibus & Ecclesiasticis negotijs non miserũt, quoniam tumultu tironum proprijs necessitatibus in ciuitatibus suis, aut impediti, aut excusati remanserunt.

Episcopis aliquando non licet deserere oues.

Leo epist. 13.

Epist. 44.

C. Aphric. c. de Episc. Numid.

CAPVT XIX.

HINC ergo est colligendum, si causæ fidei & generali Ecclesiasticarum definitionum negotio ciuium caritas, quæ, attestante Apostolo, maior est fide, præponi debet, sicut verbis S. Leonis, & sacrorum canonum demõstratur, vtrum pro quacunq; alia causa Ecclesias & oues

1. Cor. 13.

K nobis

nobis commissas sine periculo valeamus dimittere, & in alias quascumq; partes secedere. Deniq; cum partem Imperij contra Theodosium & Valentinianum Maximus vsurpauit, & cogeret Episcopos vel contra fidem agere, vel Ecclesias suas deserere, aut alio quolibet modo persequi, S. Martinus eiusdem Maximi præsentiam, & colloquium non declinauit, minimè autem Ecclesiam suam deseruit. Sed *cum plures ex diuersis partibus Episcopi ad Maximum ferocis ingenij virum & bellorum ciuilium victoria elatum conuenissent, & fœda circa Principem omnium adulatio notaretur, in solo Martino Apostolica auctoritas permanebat. Nam etsi pro aliquibus supplicandum Regi fuit, imperauit potius, quam rogauit, & à conuiuio eius frequenter rogatus abstinuit, dicens, se mensæ eius participem esse non posse, qui Imperatores, vnum Regno, alterum vita expulisset. Postremò, cum Maximus se non sponte sumpsisse imperium affirmaret, sed impositam sibi à militibus diuino nutu regni necessitatem armis defendisse, & non alienam ab eo Dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili euentu victoria fuisset, nullumq; ex aduersarijs nisi in acie occubuisse, tandem victus vel ratione, vel precibus ad conuiuium venit.*

Martinus noluit deserere Ecclesiam.

Seu. Sulpit. in vita S. Martin. c. 23.

Nec prandere cum Maximo.

CAPVT XX.

Sulp. dial. 2. c. 6.

Et item in vita illius scriptum est ita. *Quo tempore primum Episcopus datus est, fuit ei necessitas adire comitatum. Valentinianus tum maior rerum potiebatur, is cum Martinum ea petere cognouisset, quæ præstare nolebat, iussit eum palatij foribus arceri. etenim ad animum illius immitem ac superbum vxor accesserat Arriana, quæ totum illum à sancto viro, ne ei debitam reuerentiam præstaret, auerteret. Itaq; Martinus, vbi semel atque iterum superbum principem frustra adire tentauit, recurrit ad nota præsidia: cilicio obuoluitur, cinere conspergitur,*

cibo

cibo potuq; abstinet, orationes diebus noctibusque perpetuat. Et post aliquanta. *Nec expectatis Martini precibus prius omnia præstitit, quam rogaretur. Colloquio illum atq; conuiuio frequenter adsciuit.* Et paulo post. *Maximus Imperator Rempublicam gubernabat, vir omni vitæ merito prædicandus, si ei vel diadema non legitimè, tumultuante milite, impositum repudiare, vel armis ciuilibus abstinere licuisset. Sed magnum imperium nec sine periculo renui, nec sine armis potuit teneri. Hic Martinum sæpius euocatum receptumque intra palatium, venerabiliter honorabat totus illi cum eo sermo, de præsentibus, de futuris, de fidelium gloria, de æternitate Sanctorum, cum interim diebus ac noctibus de ore Martini regina pendebat, Euangelico illo non inferior exemplo pedes sancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus, quem nulla vnquam femina contigisset, istius assiduitatem, immo potius seruitutem non poterat euadere. non illa opes regni, non imperij dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat: diuelli à Martini pedibus solo strata non poterat. postremo à viro suo poposcit, deinde Martinum vterq; compellunt, vt ei remotis omnibus ministris, præberet sola conuiuium, nec potuit vir beatus obstinatius reluctari. Componitur castus Reginæ manibus apparatus: sellulam ipsa consternit, mensam admouet, aquam manibus subministrat: cibum, quem ipsa coxerat, apponit.* Et reliqua, quæ Lector in suis locis plenius inuenire valebit.

Ibid. c. 7.

Imperatrix veneratur S. Martinum.

CAPVT XXI.

S. Ambrosius cum Imperatoribus suis, Theodosio & Valentiniano agebat, & legationem ad Maximum ab Imperatore suo Valentiniano suscepit. Quam, qui voluerit scire, quomodo strenuè peregerit, & qualiter Maximum redarguerit, nec tamen eius colloquium declinauerit: legat librum ipsius, quem de legatione sua executa ad eundem Valentinianum conscripsit. Verum, Ambr. ep. 27.

S. PAVLINVS in vita S. Amb. Ambros. fugit aspectum Maximi Cæsaris.

sicut in vita B. Ambrosij à S. Paulino, postea Nolano Episcopo scripta legitur, *egresso Theodosio de Italia, & Constantinopoli constituto, Valentiniano Augusto inter Gallias posito Eugenius tyrannicè imperium vsurpauit, & aram Victoriæ, & sumptus cæremoniarum (quod Valentinianus augustæ memoriæ adhuc in minoribus annis constitutus petentibus denegauerat) oblitus fidei suæ concessit. Hoc vbi Ambrosius cognouit, relicta ciuitate Mediolanensi, ad quam Eugenius festinato veniebat, ad Thusciam vsq; descendit, declinans magis aspectum sacrilegi viri, quam formidans imperantis iniuriam. Nam & epistolam ad eundem dedit, in qua conuènit conscientiam illius* de sacrilegio: cuius aspectum atq; colloquium non declinauit pro vsurpato imperio, sed pro admisso sacrilegio.

CAPVT XXII.

Ephes. 5. Augu. de verb. dom. in Matt. serm. 18.

SIC secuti sunt B. Martinus, atq; S. Ambrosius sententiam Apostoli Pauli dicentis. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum; magis autem & redarguite.* Hinc B. Augustinus. *Duobus*, inquiens, *modis non te maculat malus: si ei non consentias, & si redarguas, hoc est, non communicare, non consentire. communicatur quippe, quando facto eius consortium voluntatis vel approbationis adiungitur. Videte quemadmodum Apostolus vtrumq; complexus est. Nolite communicare, magis autem & redarguite. Quid est, nolite communicare? nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid est, magis autem & redarguite? Reprehendite, corripite, coercete. Deinde in ipsa correptione, vel coercitione alienorum peccatorum cauendum est, ne se extollat, qui alterum corripit, & Apostolica illa cogitanda sententia: quapropter qui se putat stare, videat ne cadat. Foris terribiliter personet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio. Neque ergo consentientes simus malis, vt approbemus, neq; superbientes, vt insultanter arguamus. Hæc sunt*

1. Cor. 10.

sunt quæ sancti prædecessores ac patroni nostri secundum tramitem sanctarum Scripturarum iuxta Episcopale ministerium egerunt, & nobis in huiusmodi anxietatibus positis agenda atque sequenda suis pòsteris reliquerunt.

CAPVT XXIII.

CÆTERVM qualiter, & per quos agendum sit erga eos, qui regnum Regis inuadunt veridicè monstrant historiæ. Ait enim Theodoretus. *Cumq; audisset Maximus, quæ rursus contra Ambrosium magniloquum prædicatorem veritatis agerentur, scripsit Valentiniano, vt bellum, quod agebatur contra Ecclesias, solueretur, monens vt paternam non amitteret pietatem, adiecitq; etiam minas belli, & nisi quiesceret, verba operibus adimpleret. Quamobrem sumens exercitum venit Mediolanum, vbi tunc ille degebat. Porro Valentinianus agnoscens eius inuasionem fugit in Illyricum, experimento cognoscens, quæ mala matris consilio sustineret. Porro Theodosius audiens, quæ à Iustina fuerant gesta, & à tyranno scripta, fugienti Valentiniano rescripsit, non esse mirandum, si Imperatori quidem terror, tyranno verò potestas accresceret. Iam Imperator impietati rebellis extitisset, tyrannus autem ei auxilia commodaret, & propterea ille quidem fugeret nudus, iste verò armaretur aduersus nudum.* Et SOCRATES. *Verum Imperator Theodosius, dum tyrannum aggrederetur cognoscentes Maximi milites præsentiam instructionis Imperialis, & signorum eius aduentum, ne famæ quidem ipsius impetum sustinere valuerunt, sed apprehendentes tyrannum vinctum ei protinus obtulerunt: qui eorum Consulatu peremptus est septimo & vicesimo die Augusti mensis.*

Tripart. l. 9. c. 21.

Trip. c. 23.

CAPVT XXIV.

ET in historia vitæ B. Ambrosij à S. Paulino conscripta legitur. *Profectus itaq; sacerdos de Thusciæ partibus Mediolanum reuertitur, iam inde egresso Eugenio contra Theodosium*

dosium Imperatorem: ibiq. Christiani Imperatoris præstolabatur aduentum, securus de Dei potentia, quod non traderet credentem in se hominibus iniustis, nec relinqueret virgam peccatorum super sortem iustorum, ne extenderent iusti ad iniquitatem manos suas. Promiserat enim Arbogastes tunc Comes, & Fabianus præfectus Mediolano egredientes, cum victores reuerterentur, stabulum se esse facturos in Ecclesia Mediolanensi, atq. clericos sub armis probaturos. Sed miserandi homines cum dæmonibus malè creduli sunt, & aperiunt os suum in blasphemiam contra Deum, spem sibi victoriæ ademerunt. Causa autem commotionis hæc fuit, quia munera Imperatoris, qui se sacrilegio commiscuerat, ab Ecclesia respuebantur, nec orandi illi cum Ecclesia societas tribuebatur. Sed Dominus, qui Ecclesiam suam tueri consueuit, de cælo iaculatus est iudicium, atque omnem victoriam ad religiosum Imperatorem transtulit Theodosium.

CAPVT XXV.

Cur Episcopi Imperatores alios excommunicarint, alios non.

SI quærit denique aliquis, cur S. Martinus, ac B. Ambrosius Maximum, qui duos Imperatores, alterum vita, alterum regno expulit, à corpore & sanguine Domini non excommunicauerint, sed tantum redarguerint: & B. Ambrosius Eugenium tyrannum & sacrilegum non excommunicarit, sicut religiosum & Christianum Imperatorem Theodosium pro excessu notissimo: accipiat de Catholicorum & notissimorum virorum doctrina sibi redditam rationem. Ait enim B. Ambrosius de obitu Theodosij inter cætera. *Dilexi,* inquiens, *virum, qui magis arguentem, quam adulantem probaret. Strauit omne, quo vtebatur, insigne regium, defleuit in Ecclesia publice peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat, gemitu & lachrymis orauit veniam. Quod priuati erubescunt, non erubuit Imperator, publicè agere pœnitentiam: neque vllus postea dies fuit;*

Ambr. in orat. de obitu Theo.

quo

quo non illum doleret errorem. *Quid, quod præclaram adeptus victoriam: tamẽ quia hostes in acie strati sunt, abstinuit à consortio sacramentorum, donec Domini circa se gratiam filiorum experiretur aduentu.*

CAPVT XXVI.

Ex hoc manifesta ratio satisfacit quærenti, videlicet, quia pœnitentia non coacta, sed voluntaria proficit pœnitenti, sicut Scriptum est. *Voluntariè sacrificabo tibi.* Psalm. 53. Et. *ex voluntate mea confitebor illi.* Et in Exodo legimus, Psalm. 27. Exod. 25. quia viri cum mulierib⁹, quicquid in cultu, in ornamento tabernaculi necessarium erat, voluntariè obtulerunt; interq; donaria & pili caprarum dinumerantur. Per pilos enim caprarum, quibus cilicium conficitur, pænitentia designatur: sicut in Euangelio Dominus demonstrat, dicens ciuitati reprobæ. Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pænitentiam egissent*: in cilicio quippe asperitas, & punctio peccatorum, in cinere autẽ puluis ostenditur mortuorum. Et idcirco vtrumq; hoc ad pœnitentiam adhiberi solet, vt in punctione cilicij cognoscamus, quod per culpam fecimus: in fauilla cineris perpendamus, quid per iudicium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio pungentia vitia, consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens iusta pæna vitiorum. Quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicij superbiendo quid fecit: videat in cinere, quousq; peccando peruenit.

CAPVT XXVII.

CVR autem S. Martinus, & S. Ambrosius prædictos inuasores Imperij non excommunicauerint à corpore & sanguine Domini, & communem cibum cum eis sumpse-

Aug. de Pœnit. medicina c. 3. sumpserint, S Augustinus respondeat in libro de Pœnitentia. *Nos*, inquit, *à communione quenquam prohibere non*
2. q. 1. c. multi. *possumus, quamuis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo siue seculari siue Ecclesiastico iudicio nominatum atq; conuictum. Quis enim sibi vtrumq; audeat assumere, & cuiquam ipse sit accusator & iudex? Cuiusmodi regulam etiam Paulus Apostolus in epistola ad Corinthios breuiter insinuasse intelligitur, cum quibusdam commemoratis criminibus Ecclesiastici iudicij formam ad omnia similia ex*
1. Cor. 5. *quibusdam daret. Ait enim, scripsi vobis in epistola non commisceri fornicarijs, non vtiq; fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut raptoribus, aut idolis seruientibus, alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Non possunt enim homines in hoc mundo viuentes nisi cum talibus viuere: nec eos possunt lucrifacere Christo, si eorum colloquium, conuictumq; vitauerint. Vnde & Dominus*
Matth. 9. *cum publicanis & peccatoribus comedens: non est opus, inquit, sanis medicus, sed male habentibus. non enim veni vocare iustos, sed peccatores. Et ideò sequitur Apostolus, & adiungit. Nunc scripsi vobis non commisceri, si quis frater nominatur in vobis, aut*
Non temerè esse excommunicandos malos. *fornicator, aut idolis seruiens, aut auarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec quidem cibum simul sumere. Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare? nonne de his qui intus sunt vos iudicatis? de his autem qui foris sunt Deus iudicabit. Auferte malum à vobisipsis. Quibus verbis satis ostendit non temerè, & quomodolibet, sed per iudicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communione: vt si per iudicium auferri non possunt, tolerentur potius, ne peruersè malos quisq; euitando, ab Ecclesia ipse discedens eos quos fugere videtur vinciat ad gehennam. Quia & ad hoc nobis sunt in Scripturis exempla proposi-*
Matth. 3. *ta, vel in messe, vt paleæ sufferantur vsq; ad vltimum ventila-*
Matth. 13. *brum, vel intra illa retia, vbi pisces boni cum malis vsq; ad segregationem, quæ futura est in littore, hoc est, in fine sæculi, æquo animo tolerentur.*

CAPVT

CAPVT XXVIII.

ET in libro de Baptismo, *Ioannes dicit alienæ doctrinæ hominibus Aue non esse dicendum: Paulus autem Apostolus vehementius dicit. Si quis frater nominatur inter vos, aut auarus, aut ebriosus, & cæt. cum huiusmodi nec quidem cibum simul sumere: Et tamen cum collegis fœneratoribus, insidiosis, fraudatoribus, raptoribus, non priuatam mensam, sed Dei altare habebat commune Cyprianus.* Et in Tractatu Psalmi. *Diligamus inimicos, corripiamus, castigemus, & excommunicemus cum dilectione, à nobis etiam separemus. Videte enim, quid dicat Apostolus. Si quis autem non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & nolite commisceri cum eo. Sed ne subriperet tibi ex hoc iracundia, & turbaret oculum tuum. Non, inquit, vt inimicum eum existimetis, sed corripite vt fratrē, vt erubescat à quo indixit separationem, non præcidit dilectionem. Et alibi, superbo, inquit, oculo, & insatiabili corde, huic non conuescebar. Id est, non cum illo manducabam. Quomodo nobis proponit hæc, quando ipse non fecit? Ad imitationem suam nos hortatur. Videmus eum conuiuatum esse cum superbis, quomodo nos prohibet, ne conuiuemur cum eis? Nos quidem fratres propter correptionem aliquam tenemus nos etiam à fratribus nostris, & non cum eis conuiuamur, vt corrigantur. Cum extraneis potius conuiuamur, & cum paganis, quam cum his qui nobiscum erant, & nobis adhærent, si viderimus eos male viuere vt erubescant, & corrigantur, sicut dicit Apostolus. Si quis non obaudit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & nolite conmisceri cum eo, & non vt inimicum eum existimetis, sed corripite vt fratrem. Facimus hoc plerunq; propter medicinam, & tamen cum extraneis multis & cum impiis sæpe vescimur.*

Aug. cap. 45. l. 7. 2. ep. Ioan. 1. Cor. 5. Aug. in psa. 54. 2. Thess. 2. Psal. 100. Aug. in Ps. 100.

CAPVT XXIX.

ET item in tractatu Psalmi. *Respice ad munera ipsius Ecclesiæ,* Aug. in Ps. 109. conc. 1.

L

Ecclesiæ, munus sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris sanctis sacramentis, quale munus est? Hoc munus adeptus est & Simon magus. Prophetia quale munus est? prophetauit & Saul malus rex, & tunc prophetauit, cum Dauid sanctum persequeretur. Et item in sermone Euangelij Ioannis. *Talis erat Iudas, & tamen cum sanctis discipulis vndecim intrabat & exibat, ad ipsam cœnam Dominicam pariter accessit, conuersari cum eis potuit, eos inquinare non potuit. De vno pane &*
1. Cor. 6. *Petrus accepit & Iudas, & tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam, Iudas ad mortem. Quomodo enim ille odor bonus, sic ille cibus bonus. Sicut ergo odor bonus, ita &*
1. Cor. 11. *cibus bonus, bonos viuificat, malos mortificat. Qui enim manducauerit indignè, iudicium tibi manducat & bibit, iudicium sibi, non tibi. Tolera malum bonus, vt venias ad præmium bonorum, ne mittaris in pœnam malorum.*

CAPVT XXX.

Et in tractatu Psalmi. *Quam multos Iudas implet Satanas indignè accipientes buccellas ad iudicium suum. qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.*
1. Cor. 11. Aug. in ps. 47. *Non malum est quod datur, sed bonum male in iudicium datur, bene esse non potest male accipienti quod bonum est.* Et in sermone de verbis Apostoli. *Illud etiam, quod ait. Qui man-*
Ioan. 6. Aug. serm. de spir. blasphem. 1. Cor. 11. *ducat meam carnem, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo, quomodo intellecturi sumus. Nunquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus, quod iudicium sibi manducent & bibant, vt ipsam carnem manducent, & ipsum sanguinem bibant. Nunquid & Iudas magistri venditor, & traditor ipsius, quamuis ipsum primum manibus eius confectum sacramentum carnis & sanguinis eius cum cæteris discipulis, sicut apertius Lucas Euangelista declarat, manducaret & biberet, mansit in Christo, & Christus in eo? Multi deniq́, qui vel corde ficto carnem illam manducant, & sanguinẽ bibunt, vel cum manduca-*

ducauerint & biberint apostatæ fiunt, nunquid manent in Christo? aut Christus in eis. Sed profectò est quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem, quo modo qui manducauerit & biberit, in Christo manet, & Christus in eo. Non ergo quocunq; modo quisq; manducauerit carnem Christi & biberit sanguinem Christi manet in Christo, & in illo Christus, sed certo quodam modo, quemadmodum vtiq; ipse videbat, quando ista dicebat.

CAPVT XXXI.

ET in epistola Concilij ad Donatistas. *Quisquis in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia vnusquisq; in ea proprium onus portabit, sicut Apostolus dicit. Et quicunq; in ea corpus Christi manducauerit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Cum enim dicit, Iudicium sibi manducat, satis ostendit non alteri iudicium manducat, sed sibi, quia communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensione factorum. Nam si in factis malis non eis quisq; consentiat, portat malus causam suam, & personam suam, nec præiudicat alteri, quem in consensione mali operis socium non habet criminis.* Beda I. Cor. 11.

CAPVT XXXII.

VERVNTAMEN legimus in vita B. Ambrosij à B. Paulino scripta eum *à communionis consortio Maximum segregasse, & admonuisse illum, vt effusi sanguinis Domini sui, & quod est grauius, innocentis ageret pœnitentiam, si sibi apud Deum vellet esse consultum. Sed ille cum pœnitentiam declinat superbo spiritu, non solum futuram, sed etiam præsentem salutem amisit, regnumq; quod malè arripuerat, fœmineo quodam timore deposuit, vt procuratorem se Reipublicæ nomine præfuisse confiteretur.* Et in epistola ad Eugenium scripsisse B. Ambrosium. *Quomodo,* inquiens, *meis vocibus, & apud Deum, & apud omnes homines teneor? Aliud mihi non licere intellexi,* aliud

Ambros. maximum Cæsarem excommunicauit.

Paulin. ibid.

Suadet vt fideles sint Carolo Regi.

alind non oportere, nisi consulerem mihi, quia non potui tibi. Cuius verba decretissima atque saluberrima sequentes nos Episcopi Domni nostri KAROLI, si acciderit, vt consulere ei non possimus, sicuti cupimus in temporali sui regni defensione, atq; tuitione, & consulamus illi in debitæ fidei * obseruatione. Consulamus & nobis DEI cooperatione in debitæ fidei erga illum obseruatione, & continua mentis deuotione, atq; pro eo apud Deum & sanctos eius obsecratione. consulamus & nobis, ne pro quacunq; cupiditate vel temporali emolumento ab illius debita fide exorbitantes quenquam in illius regnum, missis vel Episcopis, vel quibuscunq; internuntijs, inuitemus, nec pro Abbatijs vel honoribus temporalibus atque rebus vel facultatibus nos venundemus, Iudæ similes effecti, qui abiens ad Iudæos dixit. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?*

* *forte deest* erga Deum.

Matth. 26.

CAPVT XXXIII.

EST etiam, quoniam ab alio quocunq; iustè & rationabiliter credi non poterimus neq; debemus, si quocunq; terreno lucro vel illata iniuria, salua in Deum fide, seniori nostro fidem non seruauerimus. In veteri namq; populo Samuel propheta, cuius locum in Ecclesia nunc tenent Episcopi, adeo, vt sacra prodit historia, Saul regem pro peccatis suis à Domino reprobatum luxit, vt dixerit ei Deus. *Vsquequo tu luges Saul, cum ego abiecerim eum?* Et Dauid vir bellicosus, & vnus de primoribus Saul, & etiam gener eius, qui in multis non solum regi, sed & regno profuit, & non tantum bellis contra aduersarios Saul & regni eius egit, sed & ipsum regem vexatum à maligno spiritu blandis obsequijs delinibat, quæsitus frequentissimè à rege, vt occideretur, seruans fideliter, quo

1. Reg. 16.

quod de proposito rege & domino dixerat: *Imposuisti homines super capita nostra,* Dominum & regem ipsum persecutorem suum vocabat, & cum sæpe habuerit opportunitatem, vt illum posset occidere, non solum non occidit, sed & socios ab eius occisione compescuit, dicens. *Absit, vt mittam manum in Christum Domini: quia vnctus Domini est.* Et quia vt signum posset ostendere, quem locum habuerit, vt valeret illum occidere, abscidit oram chlamydis eius, & in se reuersus percussit cor suum, eo quod fœdauerat vestem Domini sui. Psalm. 65. 1. Reg. 24.

CAPVT XXXIV.

VNDE B. Gregorius in regula Pastorali dicit. *Admonendi sunt subditi, ne cum culpas Præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant, sed sic si qua valde sunt eorum praua, apud semetipsos diiudicent, vt tamen diuino timore constricti, ferre sub eis iugum reuerentiæ non recusent. Quod melius ostendimus, si factum Dauid ad medium deducamus. Saul quippe persecutor cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis Dauid inerat, qui iam tam longo tempore persecutionis eius mala tolerabat. Cumque eum viri sui ad feriendum Saul accenderent, fregit eos responsionibus, quia manum mittere in Christum Domini non deberet. Qui tamen occultè surrexit, & oram chlamydis eius abscidit. Quid enim per Saul nisi mali Rectores, quid per Dauid, nisi boni subditi designantur. Sauli igitur ventrem purgare, est prauos præpositos conceptam in corde malitiam vsque ad opera miseri odoris extendere, & cogitata apud se noxia factis exterioribus exequendo monstrare. & quasi oram chlamydis præsaliti silenter incidunt, quia videlicet, dum prælatæ dignitati saltem innoxiè & latenter derogant, quasi Regis superpositi vestem secant. Nam cum in Præpositis delinquimus eius ordinationi, qui eos nobis prætulit, obuiamus.* Greg. 3. p. past. admon. 5. 1. Reg. 24. Prælati etiam mali non facile iudicandi.

CAPVT XXXV.

CONSVLAMVS etiam, quantum adiuuante Domino poterimus, ſocijs & commilitonibus noſtris, exhortantes eos, vt fidem debitam erga eum obſeruent, & ſi qui fuerint, vt audimus, qui dicant, quod omne regnum in manu ſua & ſuorum ſpecialium tenet, de quibus nemo per ſeruitium, vel per defenſionem & vtilitatem regni niſi per pretium obtinebit, & niſi per pretium obtẽta tenebit. & nemo, ſicut nec de honoribus, ita nec de familiaritate in eum poteſt habere fiduciā, cum omnes quos delicioſos & familiares habuerit exoſos dehonorauerit atq; abiecerit; & qui improperant Eccleſiaſticis viris, quod nemo ſic Eccleſias per diuerſa ingenia oppreſſerit, atq; deſpoliauerit; licet quædā de rebus pretio ſuſcepto contulerit, & Regnum ſic omne vendiderit, de Domini ſiſi miſericordia pro eo talia quærentibus proponamus, quia, ſi illum Deus reuerti cum proſperitate fecerit, quod bene cœpit & egit, perficiet. *Et, quia non eſt homo in terra, qui faciat bonum, & non peccet*, mutabitur in virum alium, & hæc erit mutatio dexteræ excelſi. Scriptum eſt enim. *Verte impios, & non erunt*: non quia non erunt in eſſentia, ſed quia non erunt in impietatis culpa, ſicut Paulus Apoſtolus de ſeipſo dicit. *Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus.* Extinctus quippe fuerat ſæuus ille perſecutor, & viuere cæperat pius prædicator.

Marginalia: Quomodo contra quærelas de Rege agendū. — Eccleſ. 7. — Prouer. 12. — Gal. 2.

CAPVT XXXVI.

CONSVLAMVS etiam ei, ſi forte quis fuerit, qui in abſentia eius regnum ipſius moliatur ſubripere, vt moneamus eum de ſacramentis inter ſe, & ſeniorem noſtrum factis, quæ Rex noſter ſe ſeruare velle fatetur, & proponamus ei ſententiam Domini prolatam per Ieremiam

miam prophetam contra Sedechiam, qui iurauit Nabuchodonozor gentili Regi in nomine Domini. *Propterea,* inquit Scriptura, *iuramentum, quod spreuit, & fœdus quod praeuaricatus est ponã in caput eius.* Vnde Hieronymus. *Ne putaremus,* inquit, *iuramentum, & fœdus & pactum Regis esse Babylonij, vel Sedechiæ qui fecerat, sequitur. In praeuaricatione qua despexit me. Ergo, qui contemnit iuramentum, illum despicit, per quem iurauit; illiq; facit iniuriam, cuius nomini credidit aduersarius. Propter quam causam expandam, inquit, super eum rete meum, & comprehendetur sagena mea, & adducam eum in Babylonem, & iudicabo eum illic. Quicquid igitur contra Sedechiam fecit Nabuchodonozor, non suis fecit viribus, sed ira* DEI, *in cuius nomine fuerat peieratum.* Legimus enim Sedechiam captum ductum esse in Reblatha, ibiq; interfectis filijs excæcatum, & instar feræ clausum cauea translatum in Babylonem, & de grauissima periurij vindicta manifestum est grauissimum peccatum esse periuriũ, sicut & S. Augustin[9] in libro ad consulta Hilarij monstrat.

Ezech. 17. Hieron. ibid.

4. Reg. 25.

Aug. ep. 89. in fine.

CAPVT XXXVII.

SI autem & contra Præpositum suum agentibus consulere non potuerimus, secundum verba B. Ambrosij consulamus nobis, ne faciamus quacunque cupiditate, vel adulatione, vel deceptione, vel communicatione, vnde vituperetur ministerium nostrum, & perdamus nomen bonum, quod Apostolica regula habere iubet Episcopum etiam ab his, qui foris sunt. Videlicet, si superuenerit Rex alius in regnum Senioris nostri, & non fuerit militaris manus, qui ei resistat, sequamur nos Episcopi, & in ordinatione ordinis nostri, & in conseruatione fidei erga seniorem nostrum Patrum vestigia, & in receptione, & in cæteris munus placationis erga superuenturum

Ambr. in 1. epi. ad Tim. ep. 26.

1. Tim. 3.

Quid agendum si alienus rex inuadat regnũ.

turum Regem, videlicet in receptione. Legimus enim S. Basilium cum Clero suo superuenientem etiam IVLIANVM apostatam honorabiliter recepisse, & non ob id ab orthodoxæ fidei regula deuiasse, sed quæ sunt Cæsaris Cæsari, & Deo quæ Dei sunt reddidisse. Sed & de Missarum sollemnijs, ac sacra altaris communione verum & de communis mensæ, atq; altaris, sacramentorumq; participatione satis sufficienter supra de Patrum dictis ostendimus.

Amphiloch. in eius vita apud Sur. tom. 1.

CAPVT XXXVIII.

DE militia quoq; ac vectigalibus, quæ iuxta morem antiquum & solitum, secundum quantitatem ac qualitatem Ecclesiarum nobis commissarum solet exigere, B. Ambrosij verbis vti, & acta sequi debere putamus quibus dicit in sermone, quem de persecutione sua, ad populum orsus est, dicens. *Videte quanto peiores Arriani sunt, quam Iudæi. Illi quærebant, vtrum soluendum putaret Cæsari ius tributi, isti Imperatori volunt dare ius Ecclesiæ. Sed vt perfidi suum sequuntur auctorem, ita & nos, quæ nos Dominus, & auctor noster docuit, respondeamus. Considerans enim* IESVS *dolum Iudæorum dixit ad eos. Quid me tentatis? ostendite mihi denarium. Et cum dedissent, dixit. Cuius imaginem habet & inscriptionem? Respondentes dixerunt. Cæsaris. Et ait illis* IESVS. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt* DEI DEO. *Ergo & ego dico illis, qui mihi obijciunt. Ostendite mihi denarium. Iesus Cæsaris denariū vidit, & ait. Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & quæ Dei sunt Deo. Nunquid de Ecclesiæ basilicis occupandis possunt denariū offerre Cæsaris? Sed in Ecclesia vnā imaginē noui, hoc est, imaginē Dei inuisibilis, de qua dixit Deus. Faciamus hominē ad imaginē & similitudinem nostrā. Illam imaginē, de qua scriptū est. Quia Christus splendor gloriæ, & imago substātiæ eius. In ista imagine Patrem cerno, sicut dixit ipse Dominus*

Ambr. orat. in Auxent. de basil. tradend.

Matth. 22.

Gen. 1. Heb. 1.

IESVS

IESVS. *Qui me vidit, vidit & Patrem. Non enim hæc imago* Ioan. 14.
à Patre est separata, quæ vnitatem me docuit Trinitatis, dicens.
Ego & Pater vnum sumus. Et infra. Omnia quæcunque habet Ioan. 10.
Pater, mea sunt. Et de Spiritu sancto dicens, quia Spiritus Christi
sit, & de Christo accepit, sicut scriptum est. Ille de meo accipiet, & Ioan 16.
annuntiabit vobis. Quid igitur? non humiliter responsum à no-
bis est? Si tributum petit, non negamus. Agri Ecclesiæ soluunt tri-
butum. Et S. Augustinus in libro de Catechizandis rudi- Aug. c. 21.
bus. *Dicit & apostolica,* inquit, *doctrina, vt omnis anima subli-* Rom. 13.
mioribus potestatibus subdita sit, & vt reddantur omnibus o-
mnia, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, & cætera, quæ
saluo Dei nostri cultu constitutionis humanæ Principibus reddi-
mus, quando & ipse Dominus, vt nobis huius sanæ doctrinæ præ-
beret exemplum, pro capite hominis, quo erat indutus, tributum Matth. 17.
soluere non dedignatus est. Iubentur autem etiam serui Christia- Eph. 6.
ni, & boni fideles Dominis suis temporalibus æquanimiter fideli-
terq; seruire: quos iudicaturi sunt, si vsque in finem iniquos inue-
nerint, aut cũ quibus æqualiter regnaturi sunt, si & illi ad verum
Dominum conuersi fuerint. Omnibus tamẽ præcipitur seruire hu-
manis potestatibus atque terrenis, quousq; post tempus præfinitum,
quod significant septuaginta anni, ab isto huius sæculi confusione, tan-
quam de captiuitate Babyloniæ, sicut Hierusalem liberetur Eccle-
sia. Et S. Ambrosius in sermone ad populum. *Allegatur,* Amb. ep. 33. ad
inquit, *Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo.* Marcellinam.
noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt impe-
riale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius impe-
rare, esto Deo subditus. Scriptum est. Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Matth. 22.
Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccle-
sia. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum.

CAPVT XXXIX.

Et S. Gelasius in epistola ad Anastasium Imperato- Grat. d. 96. c.
rem. *Duo sunt,* inquit, *Imperator Auguste, quibus principaliter* duo.

M mun-

Duplex potestas in Ecclesia. *mundus hic regitur: auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas: in quibus tanto grauius pondus est Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominũ in diuino reddituri sunt examine rationem. Nosti enim, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamẽ Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atq; ab eis causas tuæ salutis expetis: inq; sumendis cælestibus Sacramentis, eisq; vt competit disponendis subdi te debere cognoscis religionis ordine potius, quã præesse. Nosti itaq; inter hæc ex illorũ te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Et S. Ambrosius in sermone ad populũ de persecutione sua. Amb. ep. 33. *Conuenior ipse à Comitibus & Tribunis, vt basilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorẽ iure suo vti, eo quòd in potestate eius essent omnia. Respondi, si me peteret, quod meũ esset, id est, fundum meum, argentum meum, ius huiusmodi meum non refragaturum, quanquam omnia, quæ mea sunt, essent pauperum: verum ea quæ diuina, Imperatoriæ potestati non esse subiecta.* Et in alio sermone. In orat. in Auxent. *Me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris esset, libenter offerre: templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud, quod custodiendũ, non tradendum acceperim. Deinde consulere me etiam Imperatoris saluti, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere? Accipiat enim vocẽ liberi Sacerdotis, si vult sibi esse consultũ, recedat à Christi iniuria. Hæc plena humilitatis sunt, &, vt arbitror, plena affectus eius, quem Imperatori debet Sacerdos.*

CAPVT XL.

IN his B. Ambrosii sententiis attendenda est discretio canonica de facultatibus, tam Episcopi, quàm Ecclesiæ. Aiunt enim sacri canones, vt quæ sunt Ecclesiæ sub omni sollicitudine, & conscientia bona & fide, quæ in Deum est, qui cuncta considerat iudicatq;, seruentur, quæ etiam dispensanda sunt iudicio & potestate Pontificis, cui

cis, cui commissus est populus, & animæ, quæ intra Ecclesiam congregãtur. Manifesta verò sunt, quæ pertinere videntur Ecclesię cum notitia Presbyterorum & Diaconorum, qui circa ipsum Episcopum sunt, ita vt cognoscant, nec ignorent, quæ sint Ecclesiæ propria; nec eos aliquid lateat. vt si contigerit Episcopum migrare de sæculo certis existẽtibus rebus, quæ sunt Ecclesiæ, nec ipsæ collapsæ depereant, nec quæ propria probantur Episcopi sub occasione rerum peruadantur Ecclesiæ. Iustum namq; & acceptum est corã Deo & hominibus, vt sua Episcopus, quibus voluerit, derelinquat, & quæ Ecclesiæ sunt, eidem conseruentur Ecclesiæ, vt nec Ecclesia aliquod patiatur incommodum, nec Episcopus sub occasione proscribatur Ecclesiæ.

CAPVT XLI.

Et sicut Episcopus & suas, & Ecclesiasticas facultates sub debita discretione in vita sua dispensandi habet potestatẽ: ita facultates Ecclesiæ viduatæ post mortẽ Episcopi penes œconomũ integræ conseruari iubẽtur futuro successori ei⁹ Episcopo, quoniã res & facultates Ecclesiasticæ, non in Imperatorũ atq; Regũ potestate sunt ad dispensandũ, vel inuadendũ, siue diripiendum, sed ad defensandũ atq; tuẽdum. Sunt enim sanctuaria, & hæreditas Domini: sicut & in veteris & noui testamenti sanctarum Scripturarum paginis legimus. Sunt *vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum.* Et non solùm in vectigalibus stipẽdiariis militię & Ecclesiis debitis Regibus deseruire iubemur, verũ & in orationibus, sicut S. August. in libro de Ciuitate Dei ostẽdit. *Quãdiu*, inquiẽs, *permixtæ sunt ambæ ciuitates*, (scilicet, Hierusalem, hoc est, Ecclesia, & Babylon, quæ est mundana potestas) *vtimur & nos pace Babylonis: ex qua ita per fidem Dei populus*

Act. 4. 5.
S. Vrban. ep decretal. tom. 1. Concil.
Aug. lib. 19. c. 26. & 27.

liberatur, vt apud hanc interim peregrinetur. Propter quod & Apostolus admonuit Ecclesiam, vt oraret pro Regibus eius atque sublimibus, addens & dicens, vt quietam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate & castitate. Et propheta Hieremias cum populo veteri Dei venturam prænunciaret captiuitatem, & diuinitus imperaret, vt obedienter in Babyloniam irent Deo suo etiam ista patientia seruientes, monuit & ipse, vt oraretur pro illa, dicens, quia in pace eius erit pax vestra, vtique interim temporalis, quæ bonis malisq; communis est. Pax autem nostra propria & hic est cum Deo per fidem, & in æternum erit cum illo per speciem. Pro quibus Apostolus Paulus iubet orari, etiam cũ persequerentur Ecclesiam. Sic enim dicit. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* Itaque per ipsos data pax est Ecclesiæ, quamuis ista non esse facienda æstimaret humanæ cogitationis infirmitas pro his à quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cùm membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda. Vnde adiungit, & dicit: *Hoc enim bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

1. Tim. 2.

Ibid.

CAPVT XLII.

Si denique Rex noster fuerit, annuente Deo, reuersus, recipiamus eum cum gaudio, & de sibi ac Ecclesiæ atq; Regni necessariis in postmodum procurare Episcopaliter illum commoneamus, & prosperitati suę congaudeamus. Si verò, quod nõ optamus, aliter iudicio Dei contigerit, deuotionem ac fidem debitam erga illũ sinceriter custodientes, sicut scriptum est, dicamus corde, dica-

dicamus & ore Domino. *Exultauerunt filiæ Iudæ*, id est, confessionis humillimæ, *in omnibus iudicijs tuis Domine.*

EPISTOLA VI.

AD EOSDEM EPISCOPOS RHEmensis Diæcesis.

ARGVMENTVM.

IOANNES PAPA *VIII. miserat ad Episcopos Francorum capitula quadam ex Sacris canonibus collecta, Hincmarus itaq; vt Episcopus Metropolitanus suæ prouinciæ, hac Epistola, vel Tractatu respondet se suosq; illa reuerenter suscipere, sed ea conditione, vt Metropolitanis sua antiqua iura, & Ecclesiis earumq; ministris tam Presbyteris quam Episcopis vetera priuilegia salua & inconcussa maneant. Quod probat primo, quia ita in Nicanis canonibus spiritu Dei conditis, & totius mundi reuerentia, vt loquitur B. Leo, consecratis, aliarumq; Synodorum sanctionibus cautum est. 2. quia ipsi Pontifices Romani docuerunt vetera statuta de iuribus & priuilegiis sedium nulla ratione esse conuellenda, imò declararunt sedis Romanæ officium esse exequi synodorum decreta, & veteres tueri canones. 3. quia dum summi Pontifices in remotis regionibus Vices suas quibusdam commisere, vt Hormisda olim B. Remigio Rhemensi Episcopo, B. Gregorius I. Virgilio Arelatensi Episcopo, Zacharias I. S. Bonifacio Moguntino Archiepiscopo; semper eas commisere saluo iure Metropolitani, Quare & grauiter reprehensi sunt olim, qui alienarum sedium, vt fecere Patriarchæ Constantinopolitani, iura inuolarunt, & Anathematis etiam fulmine à Pontificibus icti, vt liquet ex priuilegio Rhemensi Ecclesiæ dato à Benedicto III. quod in fine recitatur. Ac tandem concludit nihilominus à Metropolitana sede appellari posse ad Apostolicam, ab hac verò ad aliam nullam, quippe cui & Reges parere debeant.*

CAPVT I.

DOMINI, & Sanctissimi ac Reuerendissimi Patris nostri Apostolici Papæ IOANNIS decreta ex sacris Ioan. 8. decreta

Canonibus promulgata, ſicut & ſancti deceſſores, ac prędeceſſores ſui ex eiſdem Sacris canonibus ſpiritu Dei conditis, & totius mundi reuerentia conſecratis, promulgauerunt, quantum ex nobis eſt, non præiudicantes ſententijs fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum, qui abſentes ſunt, ad quos hæc ſua ſcripta mittuntur, reuerenter ſuſcipimus, ſingulis Metropolitanis ſuo iure ſeruato, velut myſtica NICÆNA Synodus irrefragabiliter ſeruari decreuit, dicens. *Antiqua conſuetudo ſeruetur per Ægyptum Libyam & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem: quia & Vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam, cæteraſq́; prouincias ſuis priuilegia ſeruentur Eccleſiis. Firmitas autem eorum, quæ geruntur per vnamquamq́; prouinciam Metropolitano tribuatur Epiſcopo.*

Metropolitanus præeſt Epiſcopis ſuæ prouinciæ.
Nic. Syn. ca. 6.
Ibid. c. 4.

CAPVT II.

QVÆ ſancti & magni Concilij NICENI decreta B. INNOCENTIVS ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum ita explanat, dicens. *Reuoluentes itaque auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ * vna omnium per orbem terrarum mentem explicat ſacerdotum, quæ cenſuit de Antiochena Eccleſia cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus eſſe neceſſarium cuſtodire, qua ſuper diœceſin ſuam prædictam Eccleſiam, non ſuper aliquam aliam prouinciam recognoſcimus conſtitutam.* Et BONIFACIVS Papa ſcribens ad Hilarium Narbonenſem Epiſcopum. *Conuenit*, inquit, *nos paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi conſtitutio Nicænæ, quæ ita præcipit,* (*vt eadem propriè verba ponamus.*) *Per vnamquamque prouinciam ius Metropolitanos ſingulos habere debere, nec cuiquam duas eſſe poſſe ſubiectas. Quod illi, quia aliter credendum non eſt, ſeruandum ſancto Spiritu ſuggerente*

Innoc. I. ep. 18.
* vnam.
Bonif. I. ep 3.
Metropolitano duæ prouinciæ non ſunt ſubiectæ.

gerente sibimet, censuerunt. Et post aliquanta, *Quod idcirco dicimus, vt aduertat caritas tua adeò nos canonum cautius præcepta seruare, vt ita constitutio quoq; nostra diffiniat, quatenus Metropolitani sui vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet.*

CAPVT III.

Et sancta Synodus Episcoporum Africæ prouinciæ scribens ad S. Cælestinum Papam. *Decreta*, inquit, *Nicæna, siue inferioris gradus clericos, siue Episcopos ipsos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim, iustissimeque providerunt, quæcunque negotia in suis locis, vbi orta sunt, finienda. Nec vnicuique prouinciæ gratiam sancti spiritus defuturam, qua æquitas à Christi sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissimè teneatur: maxime, quia vnicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilium suæ prouinciæ, vel etiam vniuersale prouocare.* Et hinc S. CÆLESTINVS ad rei firmitatem commemorans decreta præfati Bonifacij, decreuit, vt vnaquæque prouincia suo Metropolitano debeat esse contenta, dicens. *Primum, vt iuxta decreta canonum vnaquaq; prouincia suo Metropolitano contenta sit, vt decessoris nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta, nec vsurpationi locus alicui sacerdoti in alterius concedatur iniuriam. Sit concessis sibi contentus vnusquisque limitibus: alter in alterius prouincia nihil præsumat.* Et item idem. *Nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si Decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permissa frangatur?* Et S. LEO ad Theodorum Foroiuliensem Episcopum. *Sollicitudinis quidem tuæ is ordo esse debuerat, vt cum Metropolitano tuo primitus de eo,*

Concil. Aphri. c. 105. tom. 1. Concil.

Cælest. ep. 2. ad Episcop. Galliæ cap. 4.

Prouincia quæque suo Metropol. sit contenta.

Idem ep. 3. Epi. Apul. cap. 1. Dist. 38. c. nulli

Leo. ep. 94.

de eo, quod quærendum videbatur esse, conferres: ac si id, quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nescirit, instrui vos pariter posceretis, quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, sine Primatibus nihil oportet * *inquiri.*

* impleri.

CAPVT IV.

Patriarchales Sedes habent plures Metropolitanos.

Leo ep. 84.

ET quia sancta Romana Ecclesia, cui sollicitudo omnium Ecclesiarum in B. Petro principe Apostolorum est commissa, plures Metropolitanos in speciali sua diœcesi habet, sicut S. LEO apud Anastasium Thessalonicensem Episcopum monstrat. Similiter & Alexandrina Ecclesia in sua diœcesi. Sed & Antiochena Sedes nonnullos Metropolitanos in sua diœcesi habet, sicut S. INNOCENTIVS ad Alexandrum eiusdem Sedis Episcopum scribit, & in Ecclesiasticis historiis, ac Synodalibus gestis inuenimus eisdem etiam Metropolitanis, quos suis Vicariis sancta Romana commisit Ecclesia secundum Nicenos sacros canones sua iura decreuit seruari, veluti ad eundem Anastasium idem B. Leo scribens. *Igitur*, inquit, *secundum sanctorum Patrum canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, Metropolitanos singularum prouinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decreuimus, ita vt à regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant.* Attendendum est igitur, si Apostolica Sedes Metropolitanis suæ specialis diœseos, sicut in epistolis B. Gregorii ex Regesto legimus, quos propter longinquitatem suas vices agentibus delegauit, sua iura secundum sacros Nicænos canones seruari præcepit. Sicut & in epistola præfati Leonis ad prædictum Anastasium dicitur. *Si quid graue*, inquiens, *intolerandumq́; gessisset* (metropolita-

Ibid. c. 2. 25. q. 2. igitur.

Metropolitani lapsus ad Papam deferendus.

politanus) *nostra erat expectanda censura, vt nihil prius ipse decerneres, quam quid nobis placeret, agnosceres. Vices enim nostras ita tuæ credidimus caritati, vt in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.*

CAPVT V.

ILLIS Metropolitanis, (qui & Primates multoties in Sacris canonibus appellantur, quique in loco defunctorum Archiepiscoporum & Metropolitanorum ab Episcopis vniuscuiusq; prouinciæ sine interrogatione alterius Primatis præualent ordinari, & ex antiquæ consuetudinis lege à sede Apostolica, cui sollicitudo & prælatio omnium Ecclesiarum in Primatu est S. Petri collata, pallij solent genio insigniri, & in loco decedentium Episcoporum sine consultu, vel licentia Primatis alterius, in sua prouincia, quiq; possunt Episcopos ordinare) sua iura debent modis omnibus secundum eosdem sacros Nicænos canones conseruari: qui inuiolabiliter decreuerunt, vt sicut Alexandrinæ Ecclesiæ, (quia & Vrbis Romæ Episcopo parilis mos est) similiter & apud Antiochiam, ceterasq; prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesijs. De quibus Sacris canonibus præfatur S. LEO ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum ita passim dicit. *Post consecrationem Antiocheni Episcopi, quam tibimet contra Canonicam regulam vendicasti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse * prolapsam, vt sacratissimas Nicenorum canonum constitutiones conareris infringere, tanquã opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris priuilegium sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ degnitatis amiserit, vt his locis iuri tuo subditis, omnes Metropolitani Episcopi proprio honore priuentur. Quibus inauditis & nunquam ante tentatis, ita præueniris excessibus,*

Metropolitani iidem, qui Primates.

Pallium

Leo ep. 53. Iura sedium Patriarchal. nõ esse violanda.

* progressam.

vt ſanctam Synodum, ad extinguendam ſolum hæreſin, & confirmationem fidei Catholicæ ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam in occaſionem ambitus trahas, & vt conniuentiam ſuam tibi dedat, impellas, tanquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo.

CAPVT VI.

CONSONA his & in alijs Decretis Apoſtolicæ ſedis habentur. Quod ſi & omnes Sacerdotes, & mundus adſentiat, damnatio conſentientes inuoluit, non præuaricationem conſenſus abſoluit. Non enim crimen minuitur, ſed accreſcit, cum generale fit ex priuato. Hoc enim Deus omnium indicauit, qui mundum peccantem generali diluuio interemit. Et item S. LEO ad præfatum Anatolium. *Illa*, inquit, *Nicænorum canonum per ſanctum verè ſpiritum ordinata conditio in nulla vnquam parte eſt ſolubilis. Nulla ſibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neq; trecentis illis decem atque octo copioſior numerus Sacerdotum comparare ſe audeat, vel præferre, cum tanto diuinitus priuilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plures Eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diuerſum.* Et paulo poſt. *Sancti illi & venerabiles Patres, qui in vrbe Nicæna ſacrilego Arrio cum ſua impietate damnato manſuras vſque in finem mundi leges Eccleſiaſticorum canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus viuunt, & ſi quid vſquam aliter quàm illi ſtatuere præſumitur, ſine cunctatione caſſatur, vt quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur, nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum ſunt commune præfixa. Et manentibus terminis, quos conſtituerunt Patres, nemo in ius tendat alienum, ſed*

De Autoritate Nicæn. canonũ
Ibid.
Nic. Conc. c. 6. & 7.

ſed intra fines proprios atque legitimos, prout quis valuerit, in latitudine caritatis ſe exerceat. Aliud enim ſunt ſedes, aliud præſidentes & magnus vnicuiq; honor eſt integritas ſua.

CAPVT VII.

Et item idem ad Synodum Chalcedonenſem ſcribens. *De cuſtodiendis*, inquit, *Sanctorum patrum ſtatutis, quæ in Synodo Nicæna inuiolabilibus ſunt fixa decretis, obſeruantiam veſtræ ſanctitatis admoneo, vt iura Eccleſiarum, ſicut ab illis CXVIII. Patribus diuinitus inſpiratis ſunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiſcat, nec per alterius imminutionem ſuum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim extortis aſſentationibus ſeſe inſtruat vanitatis elatio, & appetitus ſuos Conciliorum æſtimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quicquid à prædictorum Patrum canonibus diſcreparit. Quorum regulis Apoſtolica ſedes quam reuerenter vtatur, ſcriptorum meorum, quibus Conſtantinopolitani antiſtitis conatus repuli, poterit ſanctitas veſtra lectione cognoſcere, & me auxiliante Domino noſtro, & Catholicæ fidei, & paternarum traditionum eſſe cuſtodem.* Et ad MARTIANVM Auguſtum. *Priuilegia Eccleſiarum ſanctorum Patrum canonibus inſtituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis nulla poſſunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. In quo opere, auxiliante Chriſto, fideliter exequendo, neceſſe eſt me perſeuerantem exhibere famulatum, quoniam diſpenſatio mihi credita eſt, & ad meum tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum, quæ in Synodo Nicæna, ad totius Eccleſiæ regimen ſpiritu* DEI *inſtruente, ſunt condita, me, quod abſit, * conniuente violentur, & maior ſit apud me vnius fratris voluntas, quam vniuerſa domus Domini communis vtilitas.*

Leo ep. 2.

Nicenos canones nulla ratione transgrediendos.

Leo ep. 54. 25. q. 1. c. priuilegia.

* cohibente.

CAPVT VIII.

Ep. 55. ET ad Pulcheriam Augustam. *Contra statuta paternorum canonum, quæ ante longissimæ ætatis annos in vrbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuiq; audere conceditur: ita vt si quis diuersum aliquid decernere velit, se potius minuat, quam illa corrumpat. Quæ si, vt oportet à cunctis Pontificibus intemerata seruentur, per vniuersas Ecclesias tranquilla erit pax & firma concordia, nullæ de mensuris harum dissensiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de priuilegiis ambiguitates, nulla erunt de alieni vsurpatione certamina, sed ea quæ iure caritatis rationabilis est, & morum & officiorum seruabitur vnanimitas. Et ille verè erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino.* Matt. 20. Marc. 10. *Quicunque voluerit inter vos maior fieri, erit vester minister. Et quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Et tamen hæc illis tunc insinuabantur, qui de pusillo volebant crescere, & de infimis ad summa transire.* Ep. 62. Et ad Maximum Antiochenum Episcopum. *Tanta apud me est Nicænorum canonum reuerentia, vt ea quæ sunt à sanctis Patribus constituta, nec permiserim, nec patiar aliqua nouitate violari. Etsi enim diuersa nonnunquam sunt merita Præsulum, tamen iura permanent Sedium, quibus etsi possunt æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem.* [Sedibus Episcopalibus iura auferri non debent ob prauos Episcopos.] *Nunc autem ad omnia generaliter pronunciare sufficiat, quod si quid à quoquam contra Nicænorum canonum statuta in quacunque Synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil præiudicij potest inuiolabilibus inferri decretis. Et facilius erit quarumlibet consensionum pactum dissolui, quàm prædictorum canonum regulas ex vlla parte corrumpi.* Quoniam vniuersæ pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reuerentia intemerata seruetur. Quicquid & [Pax seruari nō potest, nisi canones seruentur.]
præter

præter ſpeciales cauſas Synodalium Conciliorum ad examen Epiſcopale defertur, poteſt aliquam diiudicandi habere rationem, ſi nihil de eo eſt à ſanctis Patribus apud Nicæam diffinitum. Nam quod ab illorum regulis & conſtitutione diſcordat, Apoſtolicæ Sedis nunquam poterit obtinere conſenſum.

CAPVT IX.

ET ſanctus Papa Hilarius ad Leontium, Veranum, & Victorium, Epiſcopos, inter cætera ad locum. *Ita veſtræ caritati cognitionem adnexæ quærimoniæ delegamus, vt nihil aduerſum venerandos canones, nihil contra ſanctæ memoriæ deceſſoris mei iudicium valeat, quicquid obreptum nobis eſſe conſtiterit. Nolumus namq;, fratres cariſſimi, Eccleſiarum priuilegia, quæ ſemper ſunt ſeruanda, confundi, nec in alterius prouincia Sacerdotis alterum ius habere permittimus, quia per hoc non minus in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quam in iniuriam ipſius Domini proſilitur, cùm expectatio fructus noſtri miniſterij non in regionum latitudine, ſed in acquiſitione ponitur animarum.* Et item idem ad Epiſcopos diuerſarum prouinciarum. *Hæc ad vniuerſam caritatem veſtram, & iam per fratrem & coepiſcopum noſtrum Antonium ſcripta direximus. Quibus admoniti communis omnium ſollicitudo procuret, ne quiſquam frater in alterius proruptarus iniuriam tranſcendat terminos venerandis Patribus conſtitutos. De quibus terminis Antiochenum Concilium in magna Synodo Chalcedonenſi collaudatum capite 13. dicit. Nullus Epiſcopus ex alia prouincia audeat ad aliam transgredi, & ad promotionẽ miniſterij aliquos in Eccleſiis ordinare, licet conſenſum videantur præbere nonnulli, niſi literis tam Metropolitani, quàm cæterorum, qui cum eo ſunt, Epiſcoporum rogatus aduenint, & ſic ad actionem* ordinatio accedat. Si verò nullo vocante inordinato more deproperet, ſuper aliquibus*

Hilar. ep. 2.

Epiſcopus in alienam prouinciam nullum ius habet.

Conc. Antioch. Epiſcopus in alterius prouincia non poteſt ordinare.

* ordinis.

ordinationibus, & Ecclesiasticis ordinationibus ad eum non pertinentibus componendis, irrita quidem, quæ ab eo geruntur existant: ipse verò incompositi motus sui, & irrationabilis audaciæ subeat vltionem, ex hoc iam damnatus à sancto Concilio. Et consona huic dicit in capite XXII. cuius conclusio talis est. *Si ordinare non potuerit, nullatenus iudicabit.*

Caput X.

Gelas. ep. 1. ad Episc. per Lucan. & Brut. cap. 11. * super.

Et hinc S. Gelasius in decretis ad omnes Episcopos de institutis Ecclesiasticis. *Cumq́, inquit, nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus temerè nihil licere, & cùm Sedes Apostolica superior his omnibus, fauente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio deuotoq́ studeat tenere proposito, satis indignum est quenquam vel Pontificum vel Ordinũ subsequentium hanc obseruantiam refutare, quam B. Petri sedẽ & sequi videat & docere: satisq́ conueniens sit, vt totũ corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quam illic vigere conspiciat, vbi Dominus totius Ecclesiæ posuit principatum.*

Canones obseruati à Sede Romana ab omnibus obseruandi.

Attendendæ summoperè sunt omnibus nostratibus inter cæteros præcipuè horum duorum heroum sententiæ, Leonis & Gelasii, ne præsumant discipuli, quod licere sibi Magistri non voluerunt: & si ad tanti tonitrui magniuocum sonitum tremunt cedri, quid faciendum sit tabulis? Ait enim Leo, quod Nicænorum canonum *per sanctum verè Spiritum ordinata conditio in nulla cuiquam sit parte solubilis.* In qua sententia nulla persona excipitur, quacunque prædita potestate vel dignitate. Et Gelasius. *Cumq́, inquit, nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus temerè nil licere, satis indignum est quenquam hanc obseruantiam refutare, quam B. Petri Sedem & sequi videat & docere.* Hinc S. Augustinus tempore prior, loco posterior, & ab omnibus Sedis Apostolicæ Pontificibus in suo tẽpore, ac post suum

Leo ep. 53.

Gelas. loc. cit.

suum obitum, imò & à cuncta Catholica Ecclesia inter magistros optimos receptissimus in libro de vera religione dicit. *Spiritualis homo iudicat omnia: ipse autē à nemine iudicatur, id est, à nullo homine, sed à sola ipsa lege, secundum quam iudicat omnia, quoniam & illud verissimè dictum est. Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi. Omnia ergo iudicat, quia super omnia est, quando cum Deo est, cum illo aūt est, quando purissime intelligit, & tota caritate, quod intelligit, diligit. Ita etiam quantum potest, lex ipsa etiam fit, secundum quam iudicat omnia, & de qua iudicare nullus potest. Sicut in istis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent, cùm eas instituunt; tamen cum fuerint instituta atq; firmatæ non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas. Conditor tamen legum temporalium, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit æternā, de qua nulli animæ iudicare datū est, vt secundum eius incommutabiles regulas, quid sit pro tempore iubendū vetandumq; discernat. Æternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, iudicare non fas est.*

Aug. cap. 31. 1. Cor. 2.

Rom. 14. 3. Cor. 5. De lege nullus iudicare potest.

Cic. de Legib.

CAPVT XI.

CVIVS sententiam & B. GELASIVS confirmat in decretis ad Episcopos per Dardaniā constitutos, dicens. *Confidimus, quòd nullus iam veraciter Christianus ignoret vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exequi Sedem præ cæteris oportere quam primam, quæ vnamquamque Synodum & sua auctoritate confirmat & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper, & retinet.* Et SYMMACHVS Papa ad Cæsarium Arelatensem Episcopum. *Rationabile est, vt sancta Arelatensis Ecclesia propriis priuilegiis perfruatur, & quod vetustas præstitit, & Patrum auctoritas roborauit, noua non debet violare præsumptio: sic tamen*

Gelas. 1. ep. ad Episc. Dardan.

11 q. 3. c. cuncta. Matth. 16. Romana sedes maximè debet seruare decreta Concil. gener.

Priuilegia Ecclesiis olim cōcessa non violanda.

men, vt cæterarum Ecclesiarum priuilegia temporibus acquisita non titubent, quia non potest ex parte firmum esse, quod generalitatis tangit iniuriam. Manentibus siquidem his, quæ Patrum constituta singulis Ecclesiis concesserunt, decernimus, vt circa ea, quæ tam in Gallia, quàm in Hispania prouinciis de causa religionis emerserint sollertia tuæ fraternitatis inuigilet. Et post aliquanta. *Igitur quemadmodum supra diximus, per singulas Ecclesias beneficia, quæ sunt diu custodita, seruentur.* Et hinc S. HORMISDA in epistola ad B. Remigium Remorum Episcopum scripsit, dicens. Dilectissimo fratri Remigio Hormisda. * *Suscipientes plena fraternitatis tuæ congratulatione colloquia, quibus nos germanæ salutis tuæ lætificauit indicio corporali cum spiritualibus officiis * incolumitas subnixa congruũ esse perspeximus hanc ipsam quã mente gerimus verbis aperire lætitiam. Agis enim summi documenta Pontificis, dũ & prædicanda facis, & ea insinuare non differs. Prærogatiuam igitur de nostri sumpsimus electione iudicij, quando id operatum te esse didicimus, quod cæteris agendum obnixius imperamus, vt in prouinciis tanta longinquitate disiunctis & Apostolicæ Sedis vigorem, & Patrum regulis studeas adhibere custodiam. Vices itaque nostras per omne regnum dilecti & spiritualis filii nostri* * LODOVICI, *quem nuper adminiculante superna gratia plurimis, & Apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis prædicationem salutiferam comitantibus ad fidem cum gente integra conuertisti, & sacri dono baptismatis consecrasti, saluis priuilegiis, quæ Metropolitanis decreuit antiquitas, præsenti auctoritate committimus: augentes studii huius participatione ministerij dignitatem, releuantes nostras * eiusdem remedio dispensationis excubias. Et licet de singulis non indigeas edoceri, à quo iam probauimus acutius vniuersa seruari, gratius tamen esse solet, si ituris trames ostenditur, & laboraturis iniuncti operis forma monstratur. Paternas igitur regulas & decreta sanctissimis diffinita Conciliis ab omnibus ser-*

Hæc epist. est in vita S. Remigii Sur. tom. 1.

* Suscipiens.

* incolumitate.

Apostolica signa S. Remigii.

* CHLODOVEI.

S. Remigio Papa vices suas cõ mittit saluo iure metropol.

* eius.

Conciliorũ decreta seruanda.

*bus seruanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam & fraterna monita exhortationis ostendimus. His ea, quanta dignum est, reuerentia custoditis nullum relinquit culpa locum sanctæ obseruationis obstaculum, ibi fas nefasq; præscriptum est; ibi prohibitum, ad quod nullus audeat aspirare, ibi concessum, quid debeat mens Deo placitura præsumere. Quoties vniuersa poscit religionis causa Concilium, te cuncti fratres euocante conueniant: &, si quos eorum specialis negotii pulsat intentio, iurgia inter eos oborta cōpesce, discussa * sacra lege determinãdo certamina. Quicquid autem illic pro fide & veritate constitutum, vel prouida dispensatione præceptum, vel personæ nostræ auctoritate fuerit confirmatum, totũ ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perueniat. Eo fit, vt & noster animus officii caritate dati, & tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumem custodiat frater carissime.*

* sacræ legis

Nota Rom. Pontif. autoritatem.

CAPVT XII.

ET S. GREGORIVS in epistola ad Virgilium Arelatensem Episcopum. *Fraternitati tuæ*, inquit, *vices nostras in Ecclesiis, quæ sub Regno sunt præcellentissimi filii nostri* CHILDEBERTI *iuxta antiquum morem Deo auctore committimus. Singulis siquidem Metropolitis secundum priscam consuetudinem proprio honore seruato, pallium quoq; transmisimus.* Et in epistola ad Dominicũ Carthaginẽsem Archiepiscopum. *De ecclesiasticis*, inquit, *priuilegiis quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia, sicut nostra defendimus, ita singulis quibusq; Ecclesiis sua iura seruamus. Nec cuilibet fauente gratia, vltra quam meretur impartior, nec vlli hoc quod sui iuris est ambitu stimulante derogo: sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicq; studeo * honore singulos subuehi, dummodo non sit, quod alteri iure ab altero possit opponi.* Et ad Natalem Salonitanum Episcopum. *Quod*, inquit, *dicitis nostris temporibus*

Greg. ep. 50 lib. 4.

Grat. d. 100. c. pallium.

Greg. ep. 39. lib. 2. 25. q. 2. c. de Ecclesiasticis.

* honores in alios.

Idem epist. 37. ib. 25. q. 2. c. quod verò.

debere seruari, quæ à meis quoque prædecessoribus tradita atque custodita sunt, absit hoc à me, vt statuta maiorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo.

CAPVT XIII.

Conc. Antioc. can. 9.

Conc. Constan. prim cap. 2. Grat. 9. q. 2. c. Episcopi. C. Nicæn. c. 5. C. Chalced. act. 15. can. 1. 25. q. 1. à sanctis. C. Chalced. act. 15. can. 19.

HÆC ita, vt supra ostensum est, de antiquo iure singulis Metropolitanis seruando, & subsequentes sacram Nicænã Synodum Conciliorũ canones statuerunt. Scilicet Antiocheni, dicentes. *Per singulas regiones Episcopos conuenit nosse Metropolitanũ Episcopum sollicitudinẽ totius prouinciæ gerere. Propter quod ad Metropolim omnes vndiq;, qui negotia videntur habere, concurrant.* Et reliqua. Et Constantinopolitani canones decreuerunt, vt illa quæ sunt per vnamquamq; prouinciã ipsius prouinciæ Synodus dispẽset, sicut Nicæno constat decretũ esse Concilio. Et vniuersale Chalcedonense Conciliũ dicit: *Regulas*, inquiens, *Sanctorum Patrum per singula nunc vsq; Concilia cõstitutas proprium robur obtinere decreuimus.* Et item idem. *Decreuit itaq; sancta Synodus secundum Patrum canones bis in anno Episcopos in id ipsum, in vnaquaq; prouincia cõuenire, quo Metropolitanus antistes probauerit, & corrigere singula, si quæ fortassis emerserint.*

CAPVT XIV.

C. Aphric. sub Bonif. 1. c. 53. Decreta semel in Cõciliis sunt seruanda.

SIC & Africæ prouinciæ sancta Concilia decreuerunt, vt quæ in Nicæno Cõcilio statuta sunt omni modo conseruentur; &, vt qui posterius ordinati sunt prioribus se nõ audeant anteferre. Vnde inter cætera ad locũ dicit Aurelius. *Non decuerat*, inquiens, *vt hæc repeteremus, nisi fortè existerent inconsideratæ mentes quorundam, quæ ad hæc statuenda nostros acuerent sensus. Sed communis hæc causa est, quam insinuauit frater & consacerdos noster * Valentinus, vt vnusquisq; nostrum ordinem sibi decretum à Deo cognoscat, & posteriores anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præ-*

* Valentinianus.

præsumant. Qua de re dico, prout captus animi mei retinet, eos, qui putauerint spretis maioribus aliquid præsumendum competenter esse ab omni Concilio coercendos. Xantippus Episcopus primæ Sedis Numidiæ dixit. Audiuit omniũ fratrum præsentia prosecutionem fratris & consacerdotis nostri Aurelij, quid ad hæc respondet? Datianus Episcopus dixit. Quæ maiorũ decreuit sententia, nostro assensui mancipabũtur, vt quæ præteritorum Conciliorũ gestis tenentur Carthaginensis Ecclesiæ nostra adsensione plenè apud omnes firma teneantur. Vniuersi Episcopi dixerunt. Hic ordo & à Patribus, & à maioribus seruatus est, & à nobis Deo propitio seruabitur, saluo etiam iure Primatus Numidiæ & Mauritaniæ.

CAPVT XV.

Et item idem sacri Canones, *Placuit, vt quicunq; deinceps ordinantur per prouincias Africanas litteras accipiant ab ordinatoribus suis manu eorum conscriptas continentes Consulem & diem, vt nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.* Vnde Pelagius antecessor S. Gregorii ad Hildebertum Regem Francorum scribit de Sapaudo Arelatensi Archiepiscopo increpans eum, vt ipsius verbis vtamur, *quoniam ad petitionem Episcopi ab eo ordinati in iudicium sequentis ciuitatis Episcopi, (quod nulla Ecclesiastica lege & ratione conceditur) iudicandum iuberetis occurrere, vt ipso de conculcato loci sui præiudicio conquerẽte, illum, qui vsurpauit, necesse sit de illicita præsumptione culpari.* Et S. GREGORIVS vigilantissimè seruari decreuit, vt posteriores se prioribus nõ præferant, & vt nullus Metropolitanus in alterius Metropolitani prouincia, inconsulto eo, quiddam iuris præsumat, scribens ad Augustinum Anglorum Episcopum. *In Galliarum*, inquit, *Episcopis, nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus pallium Arelatensis Episcopus accepit, quẽ nos priuare auctoritate percepta minimè debemus.* Et post aliquãta *Ipse auctoritate ꝓpria Episcopos*

Conc. Mileuit. c. 14.
Ordinandi accipiunt formatas.
Pelag. 1.
Habetur tom. 7. Baron. ad ann. 556.
Posteriores Episcopi prioribus se non præferant.
Greg. interrog. 9. tom. 2. Concil 25. q. 2. c. in Galliarum.

Galliarum iudicare non poteris, sed suadendo, blandiendo, bona quoque opera tua eis imitanda monstrando, prauorum mentes ad

Deu. 25. *sanctitatis studium reforma, quia scriptum est in lege. Per alienam messem transiens falcem mittere non debes, sed manu spicas conterere & manducare. Falcem enim iudicii mittere non potes in ea segete, quæ alteri videtur esse commissa, sed per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum suorum paleis expolia, & in Ecclesiæ corpus monendo & persuadendo, quasi mandendo conuerte. Quod verò ex auctoritate agendum est, cum prædicto Arelatensi Episcopo agatur, ne prætermitti possit hoc, quod antiqua Patrum institutio inuenit.*

CAPVT XVI.

ET quod de vno hoc Primate Gallicano, qui à Sede Apostolica palliũ acceperat, dixit, hoc & de reliquis Gallicanorum & Belgicorum atq; Germanicorum Primatibus est vtique intelligendũ. Inter quos sicut & inter reliquos Episcopos hæc conditio regularis seruatur, vt qui prius fuerit ordinatus, prior habeatur. velut idem S. Gregorius in alia epistola ad præfatum Augustinum patenter ostendit. De quibus Primatibus idẽ sacri canones dicunt, vt quisquis Episcoporũ accusatur ad Primatem prouinciæ ipsi⁹ causam deferat accusator. Et qui prouocandũ putauerint, ad Primates suarũ prouinciarũ, sicut & de Episcopis sæpè constitutũ est, prouocẽt. Et Episcopus, qui ad Synodũ non occurrerit, ad Primatẽ suum iubetur rationem impedimenti sui reddere. Et si Episcopi, inter quos causa versatur, diuersarũ sunt prouinciarum, ille Primas debet iudices dare, in cuius prouincia est locus, de quo contenditur. Et quæstio per Episcopos iudices iubetur finiri, siue quos Primates dederint, siue quos inter se conquirentes vicinos ex consensu delegerint.

Margin: Episcoporum causa ad Primatem deferenda. Vide Grat. causa 6. q. 4. — C. Aphric. c. 43.

ORDO

CAPVT XVII.

ORDO autem ac prærogatiua prioratus non solum secundum sacros Canones, & decreta Sedis Romanæ Pontificum inter Episcopos est conseruandus, verum & inter presbyteros, sicut S. LEO in decretali sua Epistola ad Dorum Beneuentanæ ciuitatis Episcopum ex eisdem Sacris canonibus promulgata inter cætera dicit ad locum. *Si ambientis intentio, aut imperita fauentium studia, id, quod nunquam habuit consuetudo, poscebant, vt incipiens emeritis, & nouellus præferretur antiquis, tua fuerat industria atq; doctrina, vt iniustè petentium desideria rationabili auctoritate cohiberes, ne quem in * Sacerdotali properè prouehebas honore, ad iniuriam eorum, * quibus inciperet. Miror qui si fieret, dum in illo non humilitatis virtus, sed * elationis vitium roboraretur. Neq; enim ignorabas dixisse Dominum, quod qui se humiliat, exaltabitur: qui verò se exaltat, humiliabitur. eundemq; dixisse. Vos autem quaritis de pusillo crescere, & de * honore maiores esse. Vtrumq; enim inordinatum, vtrumq; præposterum est, & omnis laborum fructus aufertur, omnis meritorum mensura vacuatur, si tantum quis adsequitur dignitatis, quantum adulationis obtinuit, vt cupiditas eminendi non solum superbientem minuat, sed etiam * conniuentem. Si verò, vt asseritur, * primi secundique presbyteri circa Epicarpium sibimet præponendum, * tam huic assentatio fuit, vt illum cum sui dedecore poscerent honorari, nec hoc quidem illis proprio se iudicio deijcientibus, tribui debuit, quod volebant, * cui tàm miseræ voluntati te dignius fuerat obuiare, quàm cedere. Deformis autem & ignaua subiectio bene sibi conscijs, & non irritam facientibus gratiam* DEI *præiudicare non potuit, vt Primates suos quocunq; commercio in alterutrum transferentes subsequentium suorum minuerent dignitatem, & * quem vltimum sibi antepofuerant, cæteris præmineret. Prædicti*

[Margin notes:]
Prioratus ordo etiam inter presbyteros seruandus.
Leo. ep. 5.
* Sacerdotio.
* quibus sociabatur inciperet minorari, qui
* fauoris.
Luc. 14.
* maiore minores esse.
* cohibentem.
* primi secundisque.
* tanta hæc ars
* cum
* quia

dicti igitur presbyteri, qui indignos se honoris sui ordine sunt professi, licet priuari etiam sacerdotio mererentur, tamen vt eis pro Apostolicæ sedis pietate parcatur, vltimi inter omnes Ecclesiæ Presbyteros habeantur. Et vt iudicij sui sententiam ferant, inferiores etiam illo erunt, quem propria sententia sibimet prætulere, cæteris omnibus presbyteris in eo ordine permanentibus, quem vnicuique ordinationis suæ tempus adscripsit. Nec quisquam præter prædictos duos, imminutæ dignitatis patiatur iniuriam, sed in eorum statum tantummodo hoc recurrat opprobrium, qui nouello & immaturè ordinato inferiores fieri elegere, vt illam Euangelicam sententiam ad se sentiant pertinere, qua dicitur. Quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis: & qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Paulus verò presbyter ordinem suum, de quo laudabili firmitate non cessit, obtineat. nec vlterius aliquid in cuiusquam præsumatur iniuriam.

Punitur presbyter qui ius loci sui alteri dedit.

Matth 7. Marc. 4.

CAPVT XVII.

HÆC ita de iure singulis Metropolitanis conseruando, & vt posteriores se prioribus suis non præferant, sed ordinem sibi à Deo traditum quiq; conseruare procurent à Nicænis canonibus spiritu Dei condit s, & totius mundi reuerentia consecratis, cæterisq; sacris canonibus irrefragabiliter decretis, ac prouidentia & auctoritate Pontificum Apostolicæ sedis ex eisdem canonib' promulgatis, ad eorum qui sciunt memoriam, vel nescientium forte notitiã commemorare debere putauimus, quoniam in Cisalpinis prouinciis delegatio vicium Apostolicæ sedis propter Simoniacam hæresin exstirpandam, & ad præsumptionem, qua laici potentes repente tonsurabantur, & ordinabantur Episcopi, amputandã, sicut in Apostolicæ sedis Pontificum, maximè autem in B. Gregorij epistolis legimus, fuit exorta, priuilegijs singularum

Vt vices Apostolicæ sedis aliqui in Gallia subirent, vnde natum.

gularum prouinciarum Metropolitanis inconcussè iuxta sacras regulas conseruatis. Quæ temporibus THEODOSII, & HONORII Imperatorum Pontificatu Papæ Zozimi per septem prouincias, scilicet, Viennensem, Lugdunensem, Narbonensem primam & secundam, & Alpinam, & nouam populanam, & secundam Aquitanicam emanauit, vt de his prouincijs honorati, vel possessores iudices, & Episcopi præfatarum prouinciarum ab Idibus Augusti quibuscunq; medijs diebus in Idus Septembris in Vrbe Arelatensi, quæ & Constantina vocatur, ad Concilium forense vel Ecclesiasticum conuenirent. Ita vt de noua populana & secunda Aquitanica, quæ prouinciæ longius constitutæ sunt, si eorum iudices & Metropolitanos occupatio certa retineret, legatos suos iuxta consuetudinem mitterent, sicut in edicto præfatorum Imperatorum, & in epistolis Apostolicæ sedis Pontificum inuenitur. Deinde hic Primatus per præfatas prouincias Viennensi ciuitati commissus est, indeq; hanc sollicitudinem Episcopus Arelatensis recepit.

Greg. l. 4. reg. ep. 51. & 52.

Septem prouinciis Galliæ priuilegia Metropol. concessa.

CAPVT XVIII.

DEMVM in regno CHLODOVEI nuper cum integra gente ad fidem conuersi per sanctam prædicationẽ B. REMIGII Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis B. ORMISDA vices suas eidem S. Remigio REMORVM Durocortorum antiquæ Metropolis Episcopo, quæ præcedentibus temporibus habuit sub se duodecim ciuitates, videlicet, Suessionum, Catalaunorum, Veromandorum, Atrebatum, Camaracensium, Tornacensium, Siluanectum, Belgiuagorum, Ambianensium, Morinum, idem

Δȣροκότ[illegible]ορον Ptolom. Durocurtum Cæsari.

idem Ponticum, Bononiensium, & Laudunum clauatum. (In quo castro ex sua parochia idem S. Remigius Africanorum canonum, & Apostolica fultus auctoritate constituit Episcopum) per Belgicas & quasdã prouincias Gallicanas commisit vt DEI Ecclesias, quas Franci adhuc pagani deuastauerunt, & incenderunt, vniuersa prædantes, & quæcunq; perperam gesta fuerant ad debitum statum reduceret, manente priuilegio Arelatensi Ecclesię in sibi antiquit⁹ delegatis prouincijs.

CAPVT XIX.

Greg. lib. 4. reg. ep. 52.

POSTEA verò tempore B. GREGORII Virgilius Arelatensis Episcopus petente CHILDEBERTO Rege in Regno ipsius, sicut decessores illius in præfatis prouincijs habuerunt, hanc delegationem eodem B. GREGORIO committente suscepit. Deniq; tempore CAROLI Principis, quando propter discordiam & contentionem de principatu inter eum & RAGANFREDVM, & frequentia ac ciuilia imò plus quam ciuilia, quia intestina & parricidalia bella, in Germanicis & Belgicis, ac Gallicanis prouincijs omnis religio Christianitatis pœne fuit abolita, ita vt Episcopis in paucis locis residuis Episcopia laicis donata & rebus diuisa fuerint: (adeò vt MILO quidam tonsura clericus, moribus, habitu & actu irreligiosus laicus, Episcopia REMORVM ac TREVIRORVM vsurpans insimul, per multos annos pessum dederit: & multi iam, maximè in Orientalibus regionibus idola adorarent, & sine baptismo manerent) GREGORIVS à primo secundus, sed & tertius Gregorius VVinfrid, cognomento BONIFACIVM Legatum Apostolicę Sedis ad reformandã Christianitatis religionem, primo presbyterum, posteà verò Episcopum ordinatum direxerunt.

Carolus Martellus.

Aimoin. lib. 4. c. 52. Marian. ad ann. 718.

Greg. ep. ad Turpinum.

Cui per

Cui per annos XXV. in eadem prædicatione sine cardinali sede laboranti, præfatorum successor ZACHARIAS Papa inter cætera in priuilegio sibi directo scripsit atque * formauit ad locum ita dicens. *Vbi Deus prædicationem tuam auxit, obtinere voluisti, vt tibi Episcopalem Ecclesiam, * vel successoribus tuis confirmare debeamus, iuxta eorundem filiorum nostrorum Francorum petitionem. Et idcirco auctoritate B. Petri Apostoli sancimus, vt supradicta Ecclesia* MOGVNTINA *perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis in Metropolim sit confirmata, habens sub se has ciuitates, id est, Tungris, Coloniam, Vuarmaicam, Spiratiam, & Trectis, & omnes Germaniæ gentes, quas tua fraternitas per suam prædicationem* CHRISTI *lumen cognoscere fecit. His à nobis diffinitis, per huius nostræ confirmationis paginam in tua Ecclesia perpetuis temporibus pro sui confirmatione hæc * conseruari mandamus.* Sic enim & sacri Africæ prouinciæ canones decreuerunt, vt quos adminiculante diuina gratia Episcopus potuerit lucrari ad Catholicam vnitatem, ad ipsum pertineant.

* firmauit.
Zach. ep. ad Bonifac. quæ est in eius vita.
* &
Mogontina sedes fit metrop.
Spiratia, nunc Spira.
* conseruanda esse.
C. Aphric. c.86

CAPVT XX.

DE PRIMATV quoq; in alijs prouincijs item idem Zacharias Papa ad eundem Bonifacium scripsit hoc modo. *Et quia si deberes in Baioariæ prouincia ius habere prædicationis sciscitasti, an non, quam à decessore nostro habuisti concessam: Nos deniq; auxiliante* DEO *ea quæ tibi largitus est decessor noster non minuimus, sed augemus, & non solum Baioariam, sed etiam omnem Galliarum prouinciam, donec te diuina iusserit superesse maiestas, nostra vice per prædicationem tibi iniunctam, quæ repereris contra Christianam religionem, vel canonum instituta spiritaliter stude ac ad normam rectitudinis reformare.*

Zach. ep. 8 tom. 2. epist. Decret. Rom. Pont.
S. Bonifacius vices Papæ in Gallia sustinet.

CAPVT XXI.

SED & cum EBBO quondam Remorum Episcopus se

Syn. habita in Theodon. villa Aimoi. l. 5. c. 16.

ſcopus ſe in Synodo XLIV. Epiſcoporum ſcripto & propria ſubſcriptione ac viua voce pro criminibus ſuis damnauit, & à ſacerdotali miniſterio alienum reddidit: quem poſtea SERGIVS Papa, ſicut etiam in geſtis eius legitur, condemnauit, defuncto Domno HLVDOVICO Imperatore contentione de Regno inter filios eius exorta, primum ad HLOTHARIVM, deinde ad HLVDOVICVM damnatus idem Ebbo ſe contulit. Qui Reges quoniam per merita Sanctorum adminiculante Domino, & Domno noſtro KAROLO violentia non valebant, per inſidias, tam apud Apoſtolicam ſedem, quam & apud quoſcunq; valebant Epiſcopos, & quaqua verſum poterant REMORVM Epiſcopo laqueorum tendicula inijcere quæ præparauerunt, & res ipſius Remenſis Eccleſiæ, quæ in diuerſis Regnis ſitæ ſunt, à pluribus vſurpari cæperunt: gratia & nomine BENEDICTVS Papa in Priuilegio REMORVM Epiſcopo, qui nunc eidem ſeruit Eccleſiæ B. Petri & Apoſtolicæ ipſius ſedis auctoritate ſecundum ſacros canones, & decreta deceſſorum, ac prædeceſſorum ſuorum collato, ita dicit ad locum. *Inter hæc quidem & hoc ſancimus, ne quilibet tuæ diœceſeos regulis ſubiectus Eccleſia te contempto impunè audeat ſeu valeat aliena expetere, aut expectare iudicia, vt almorum traditionibus Patrum canonumq; promulgationibus eſt conſtitutum ſaluo in omnibus iure Apoſtolicæ noſtræ ſedis, vt ab ipſo veluti Chriſto & ſacris eſt cautum canonibus: ſed cuncti, ſiue in prælatione, ſiue in ſubditione debita ordinem ab Eccleſiaſticis regulis traditum obſeruantes obediant, & ſtudioſius obtemperare procurent.*

Sergius 2.

Ludou. Pio.

Bened. III. HINCMARO qui Ebboni ſucceſſit.

PRIVILEGIVM, Remenſ. Eccleſiæ.

Metropolitani iudicio finiendæ lites.

CAPVT XXII.

Innoc. 1. ep. 2.

IN QVO decreto & B. INNOCENTII ſcribentis ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum eſt ſecutus decretum

decretum, quo dicit. *Si quæ*, inquiens, *causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quàm etiam inferioris fuerint exortæ, placuit, vt secundum Synodum Nicænam congregatis eiusdem prouinciæ Episcopis * iudicium terminetur.* * iurgium *Nec alicui liceat, sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri, relictis his sacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei Ecclesias nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias. Quod si quis fortè præsumpserit; & ab officio Cleri summotus, & iniuriarum reus ab omnibus iudicetur.* Maiores causæ ad sedem Apost. deferendæ *Si autem maiores causæ in medium fuerint deuolutæ, ad sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & * beata consuetudo exigit* * vetus *post iudicium Episcopale referantur.* De qua hic specialiter reuerentia dicat, Apostolicæ sedi reseruari debere, cui in omnibus rebus debet reuerentia custodiri, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, & quos canones commemoret, sacri Sardicenses canones tertio & quarto ac septimo demonstrant capitulo.

CAPVT XXIII.

Gelas. 1. ep. 3.

DE quibus & S. GELASIVS in commonitorio dato Fausto contra Orientales Episcopos dicit ita. *Viderint ergo, si alios habent canones, quibus suas ineptias exequantur. Cæterum isti qui sacri, qui Ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, sedem Apostolicam ad iudicium vocare non possunt.* Et aliquanto superius. 9. q. 3. c. ipsi sunt. *Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri: ab ipsa verò nusquam prorsus appellari debere, sanxerunt:* & reliqua. A sede Apostolica a[illegible]lari nequit. Qui verò præfatam epistolam S. Innocentij ad Victricium Rothomagensem Archiepiscopum ex sacris canonibus promulgatam, de qua præmissi decreti eius sententiam hic posuimus, diligenter à principio sui vsque ad finem relegerit, inuenit eadem de pri-

uilegijs singulorum Metropolitanorũ scilicet Primatuum prouinciarum: quæ & S. BONIFACIVS ad Episcopos Gallicanos & ad Hilarium Narbonensem Episcopum constituit, videlicet, vt nullus Metropolitanus duas Metropolitanas ciuitates, duasque prouincias debeat habere subiectas, sed vnaquæq; prouincia Metropolitani sui in omnibus rebus ordinationem semper expectet. Et de maioribus causis ad sedem Apostolicam singuli Metropolitani ex suis prouincijs post Episcopale iudicium referant, vt quicquid singuli Metropolitani cum suis suffraganeis duxerint decernendum, cum relatum ad sedem Apostolicam fuerit, eius, vt condecet & necesse est, auctoritate firmetur, aut emendetur.

Bonif. I. ep. 3.

Metropolitanus vna prouincia sit contentus.

CAPVT XXIV.

SED & qui vigilanter eandem epistolam recensuerit, reperiet B. INNOCENTIVM decreuisse ea, quæ in illa scripta sunt, & cunctis prouinciarum Primatibus & ab omnibus Episcopis debere seruari. Et item in præfato B. BENEDICTI Papæ priuilegio est decretum. *Et hoc promulgamus atq; statuimus, vt te, qui primas ipsius prouinciæ esse dinosceris, nullius vnquam infestatione contra canonica Apostolicaq; decreta, siue iudicia Ecclesiæ tibi commissa, aut virtute vel facultate nudari, aut ante audientiam Romani Pontificis à quocumq; damnari statuimus.* In eo enim, quo dicit, *nullius vnquam infestatione contra canonica Apostolicaq; decreta, siue iudicia Ecclesiastica tibi commissa, aut virtute, aut facultate nudari, vel ante audientiam Romani Pontificis à quocunq; damnari statuimus*, omnem iudicandi ordinem comprehendit, vt suis videlicet liberè vtens legaliter ac regulariter, si iudicand⁹ est ad electorũ iudiciũ, vel ad eius Vicarij cum fuerit specialiter ad hoc deputatus, iudicium intra suæ terminos.

Remensis Archiepiscopus soli Papæ subiectus.

minos prouinciæ prouocetur pro certis exiſtētibus cauſis, quibus maiores natu legaliter ac regulariter apud canonicos iudices accuſari valent dierum & dilationum, atque in diſcuſſione perſonarum accuſantium & teſtificantium, vtrum debeant, vel non debeant ad accuſationem vel teſtimonium admitti, canonica & legali forma ſeruata; & ſic demũ legaliter vel regulariter conuictus vel confeſſus Apoſtolici Papæ iudicio Primas Remorum prouinciæ reſeruetur: ſicut S. LEO ad Anaſtaſium, cui vices ſuas commiſit de Metropolitano ſcripſit Epiſcopo. *Sed etiam, ſi quid graue intolerandumq; geſſiſſet, noſtra erat expectanda cenſura, vt nihil prius ipſe decerneres, quam quid nobis placeret, agnoſceres.* Vnde & in præfato priuilegio ſequitur. *Sed ſi compellatus appellare ad hanc ſanctam Sedem volueris Apoſtolici Papæ iudicio reſeruari, noſtra, imò B. Petri Apoſtoli auctoritate præcipimus, nec alicui cuiuſcunq; iuri vel iudicio te ſubiici excepta poteſtate Sedis Romanæ Pontificum.* Leo ep. 84.

CAPVT XXV.

ET in hac ſententia canonici priuilegii Domni BENEDICTI attendat, ſi quis fortè ſupra menſuram ſuam ire voluerit, & non de his, de quibus dicit Dominus: *Ecce ego mitto vos*: ſed de his eſſe delegerit, de quibus Dominus dicit. *Ipſi ibant, & ego non mittebam eos.* quia Primas Remorum prouinciæ Apoſtolici Papæ iudicio reſeruari B. Petri Apoſtoli auctoritate cum anathematis interdictione præcipitur, & nec alicui cuiuſcunque iuri vel iudicio ſubmitti permittitur excepta poteſtate Sedis Romanæ Pontificum. Contra quæ, ſi aliquis noſtratium præſumere non voluerit, ſed obaudiens Apoſtolum dicentem. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam,* caritosè, ſicut frater à fratre, quæ pacis & dilectionis Matth. 10. Ioan. 23. Philip. 2.

1. Cor. 9. sunt expetierit, audiet cum Apostolo. *Cùm liber essem ex omnibus* (duntaxat vobis) *omnium vestrum me seruum feci.*
2. Cor. 4. *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed* IESVM *Christum Dominum nostrum: nos autem seruos vestros per* IESVM salua memorata conditione priuilegii gratia & nomine BENEDICTI. Si autem non desierit digitum extendere, & lo-
Rom. 14. qui quod non prodest, audiet cum Apostolo. *Tu quis es, qui iudicas cum Apostolo alienum seruum? suo Domino stat, aut*
1. Cor. 4. *cadit. Stabit autem. Potens est enim Deus statuere illum: & mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer*, ne illa, quæ autoritate canonica atq; Apostolica ædificata sunt in præfato priuilegio mea destruantur consensione, dicente magno Pa-
Leo ep. 78. pa LEONE ad Leonem Augustum, cũ peteretur annue-
Col. 2. re, quæ illi fas non erat consentire. *Si quæ*, inquit, *destruxi,*
Gal. 2. *hæc ædifico, præuaricatorem me constituo, & eis me vltionum conditionibus subdo, quas non solũ auctoritas beatæ memoriæ Principis* MARTIANI, *sed etiam ego mea consensione firmaui*, quia, vt
Leo ep. 71. idem alibi dicit, *sicut in mala suasione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur.* Sequitur in eodem Priuilegio.

CAPVT XXVI.

ET hoc volumus, ne quilibet ex prouincia & diœcesi Metropoli tuæ, tibique subiecta ius secundum Ecclesiasticas constitutiones Primatui Ecclesiæ tuæ & tibi debitum quoquo modo per
Anathema minatur Papa ei qui primatum Remensem negant. *contemptum conuellere, aut tibi, vel Ecclesiæ tuæ quamcumque violentiam contra eadem canonica constituta, & decreta Romanorum Pontificum pertinaciter inferre præsumat cum anathematis interpositione, nostra Apostolica, & B. Petri Apostolorum Principis auctoritate prohibemus. Optamus fraternitatem tuam in Christo, nunc & semper bene valere.* Quæ constitutio quantum sacris canonibus Nicenæ, Antiochenæ, Chalcedonensis, Sardicensis, & Aphricæ prouinciæ Synodis, sed

sed & decretis Apostolicæ Sedis Pontificum ac sacris legibus consonet, nemo est qui dubitat, si sacros canones & decreta Sedis Romanæ Pontificum, ac venerandas leges cognitas habet. Quia enim scriptum est, *post concupiscentias tuas non eas*. Et. *altiora te ne quæsieris*, & Beatus scribit HORMISDA. *Eleuatio semper adfert saluti periculum, per quam ipsius inuentor diabolus angelica potestate priuatus est*: satis superque sufficit, ac sufficit, semperque sufficiet præsignato Remorum Ecclesiæ seruienti, quæ per sacros canones, & decreta Sedis Romanæ Pontificum vnicuique sunt Metropolitano collata. Eccle. 18. Eccli. 3

CAPVT XXVII.

HÆC tantum propter vitandam prolixitatem, (quia hinc sufficienter in canonibus sacris, & in decretis prædecessorum suorum habetur) de priuilegio Domni BENEDICTI, quod in scrinio sanctæ Romanæ Ecclesiæ noscitur contineri, & in Synodo apud successiones ostensum est, & si necesse fuerit, adhuc valet ostendi, duximus commemoranda; non vt Domni & Patris nostri Apostolici Papæ Ioannis canonicis & Apostolicis præceptionibus, quod absit, resultemus: qui etiam ante & post priuilegia hæc collata Sedis Apostolicæ iussione, & Domni tunc Regis KAROLI, nunc autem, gratias DEO, Imperatoris Augusti: verum & inuitatione confratrum ac coëpiscoporum nostrorum sequentes Apostolicam regulam, quæ dicit. *Per caritatem seruite inuicem, subiecti inuicem in timore* CHRISTI. per diuersa loca, diuersasque prouincias ad Synodos conuenire studuimus, &, prout dederit Dominus, posse studebimus, vt prædictum est, & sæpè dicendum est, quia non CAROL. CALVI. Gal. 5.

Catholicæ disciplinæ irrogatur iniuria. Et S. HILARIVS Papa, vt supra ostendimus, dicit. *Non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in iniuriam ipsius Domini prosilitur.* Et S. Papa SYMMACHVS ad Cæsariũ Arelatensem Episcopũ dicit. *Cùm ad Trinitatis instar, cuius vna est atq; indiuidua potestas vnũ sit per diuersos antistites sacerdotium, quemadmodũ priorum statuta à sequẽtibus conuenit violari? Huc accedit, quod hæc si eueniat sententiarũ varietas ad ipsam sacrosanctã Catholicam religionem credimus pertinere, cuius omnis potestas infringitur, nisi vniuersa, quæ à Sacerdotibus Domini semel statuũtur perpetua sint. Quod aliàs cõtingere poterit, si successor decessoris actibus nõ tribuerit firmitatẽ, & roborãdo quæ gesta sunt, faciat rata esse quæ gesserit. Quanta enim Vicariis beatissimi Petri Apostoli iudicabitur esse reuerẽtia, si quæ in sacerdotio præcipiunt, eisdẽ transeuntibus dissoluantur?* Et S. LEO Papa in decretis suis præfixit. *Hoc itaq; admonitio nostra denuntiat, quod si quis fratrũ contra hæc constituta venerit, vel venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendũ nec communionis nostræ futurũ esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Nequid verò sit, quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decretalia cõstituta, tam beatæ recordationis* INNOCENTII, *quã omnium decessorum nostrorũ, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & canonũ promulgata sunt disciplinis: ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, vt si quis in illa cõmiserit, veniã sibi deinceps nouerit denegari.* Quia .n. in lege & in Euangelio duorũ vel triũ testiũ rata sentẽtia cõprobatur, quãto studio horũ quatuor, de qualibus dicit Dominus. *Si duo ex vobis cõsenserint super terram de omni re fiet,* de præstitutis anteriorũ priuilegiis cõseruãdis vniformis sententia debeat conseruari, cordatus quisq; attẽdat, & vnde quisq; nostratiũ pro fideli reuerẽtia ac conseruatione meritũ sibi beatæ remunerationis potest acquirere, ne puaricando periculũ incurrat, magnoperè caueat.

Hilar. ep. 2. ad Leont.

Leo ep. 1. c. 5.

Venia neganda canonum violatoribus.

Deu. 19. Matth. 18.

CAPVT XXIX.

S. Bonifacius martyr.

TANDEM breuiter commemorare censuimus, quia sancto & venerando viro BONIFACIO in Frisia verbum Domini prædicante Anno Incarnationis Dominicæ D.CCLIV. martyrio coronato, & Symoniacæ hæresis prauitate, & neophytorũ præsumptione, ac cæteris quibusq; pro temporũ opportunitate & qualitate compositis, hactenus prouinciæ Cisalpinæ tẽporibus PIPINI Regis, & KAROLI ac HLVDOVICI Imperatorũ sine hoc primicerio vel Primate à Sede Apostolica delegato annos circiter XXIII. manserunt, & Metropolitanis singulis suo iure seruato, Apostolicæ Sedis fauore, & Principũ suorum dispositione, secundũ sacros canones & decreta eiusdem sanctæ Sedis Pontificũ, quæq; fuerunt agenda, venerabiles Episcopi per auctoritatẽ canonum sacrorũ, & decreta Sedis Romanæ Pontificum peregerunt.

Gallia caruit Primate diu à Sede Apostolica delegato.

CAPVT XXX.

Drogo frater Lodou. I. Cæsaris.

Serg. 2.

Non esse facilè aspirandum ad altiora.

DROGO interea Metensium Episcopus fastu regiæ prosapiæ subuectus hanc prælationem in Cisalpinis regionibus nacta quadam occasione, tempore HLOTARII Imperatoris apud SERGIVM Papã obtinuit, sed quod affectu ambiit, effectu non habuit: & quod efficaciæ vsu, non consentientibus quibus intererat, obtinere non potuit, patientissimè, vt eũ decuit, tolerauit, ne scandalum fratribus, & consacerdotibus generans schisma in S. Ecclesiam introduceret. Quem tantæ generositatis ac dignitatis virum quisq; nostrum imitari debuerat, ne indebitè appeteret, quod non habebat, qui sine contentione non exequi pertulit, quod adeptus fuerat. Cum legamus, quia prauorum præsumptio non solum ex sua tortitudine, verum etiam ex comparatione rectorum, quam sit damnanda, monstratur: dicente Scriptura. *Probata*

bata autem virtus corripit insipientes. quantumq; fraternum Sap. 2
scandalum, vt ex altitudinis nostræ rapina, si fortè aliquis nostrum hoc morbo laborat, fratribus scandalum non generemus, vitare debeamus Domini sententia demonstrat dicentis ad Petrũ, vt vitando scandalũ exigentibus censum pro eo & pro se daret, quẽ non debebant. Matth. 17.

CAPVT XXXI.

ET quoniam anni triginta secundum leges publicas, vt notum est, & iuxta constitutionem Ecclesiasticam, vt demonstrat GELASIVS Papa, humanas adimunt quæstiones, & Iustiniana lege, ac decreto B. GREGORII ex eadẽ lege promulgato negotia inter venerabiles Ecclesias, ac monasteria, locaq; religiosa anni quadraginta determinant, si superstitiosus appetitus excellentiæ auidarum mentium nostrarum sufferre valeret, non Sedem Apostolicam, vel aures imperiales sine vlla noua necessitate pro hoc indebito supercilio inquietaret, cũ quies Episcoporũ Cisalpinarum prouinciarum sine huius inquietudinis scandalo atq; dispendio post tanta tempora manere valeret. Si .n. quiq; nostrum Regulã Pastoralem B. Gregorii sequi per omnia, vt debueramus maluissemus, metas nostræ mẽsuræ nequaquã transcenderemus. &, quod cuiuscumq; nostratium ciuitas vnquam nõ meruit, appetere deuitarem⁹. Timere quippe, ac cauere debemus, quæ passim B. Gregorius in epistola ad Ioannem Constantinopolitanũ Episcopũ Roma scripsit, & vnicuiq; nostrũ altiora se quærẽti de cœlo dicit. *Perpende,* inquiens, *rogo, quia in hac præsumptione temeraria pax totius turbatur Ecclesiæ, & gratiæ contradicitur communiter omnibus effusæ. In qua nimirum ipse tantum crescere poteris, quantum penes temetipsũ decreueris: tantoq; maior efficeris, quanto te à superbi &*

Gelas. 1. ep. ad Episc. Sicil. c. 1. 13. q. 2. c. facultates.
Greg. lib. 1. ep. 9.
Pastoralis regula B. Greg.
Greg. lib. 2. ep. 38.

Reprehenditur Episc. Constantin. qui voluit dici vniuersalis.

stulti vocabuli vsurpatione restringis. atq; in tantum proficis, in quantum tibi non studueris derogando fratribus arrogare. Quis rogo in hoc tam peruerso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis angelorum legionibus secum socialiter cõstitutis ad culmen conatus est singularitatis erumpere, vt & nulli subesse, & solus omnibus praeesse videretur? Qui etiam dixit. In cælum conscendã: super astra cæli exaltabo solium meum. sedebo in monte testamẽti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubiũ, similis ero altissimo. Quid enim fratres tui omnes vniuersalis Ecclesiæ Episcopi, nisi astra cæli sunt? Quorũ vita simul & lingua inter peccata, erroresq; hominũ quasi inter noctis tenebras lucent. Quibus dũ cupis temetipsum vocabulo elationis præponere, eorumq; nomen tui comparatione calcare, quid aliud dicis, nisi, in cælum conscendam super astra cæli exaltabo soliũ meum? An non vniuersi Episcopi nubes sunt, qui & verbis prædicationis pluunt, & bonorum operum luce coruscant? Quos dum vestra fraternitas despiciẽs sub se premere conatur, quid aliud dicit, nisi hoc, quod ab antiquo hoste dicitur. Ascendam super altitudinem nubium? Pestilentia & gladius per mundum sæuit, gentes insurgunt gentibus, terra cõcutitur, orbis cum habitatoribus suis terra dehiscente sorbetur, omnia enim quæ prædicta sunt fiunt. Rex superbiæ prope est: & quod dici nefas est, sacerdotum est præparatus exercitus, quia ceruici militant elationis, qui ad hoc positi fuerant, vt ducatum præberent humilitatis. Sed hac in re, etiamsi nostra lingua minimè contradicat, illius virtus contra elationem in vltionem erigitur, qui superbiæ vitio per semetipsum specialiter aduersatur. Hinc enim scriptum est, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Hinc rursus dicitur. Immundus est apud Deum, qui exaltat cor. Hinc contra superbientem hominem scriptum est. Quid superbis terra & cinis? Hinc per semetipsam veritas dicit. Omnis qui se exaltat humiliabitur. Quæ vt nos ad viam vitæ per humilitatẽ reduceret, in semetipsa dignata est, quod nos admonet, demon-

Margin notes: Isa. 14. (beside "esse, & solus omnibus…"); Episcopi sunt nubes. (beside "An non vniuersi Episcopi…"); Superbia reprehenditur. (beside "ducatum præberent…"); Iac. 4. (beside "satur. Hinc enim…"); Eccl. 10. (beside "tem dat gratiam…"); Luc. 14. & 18. (beside "Quid superbis terra…").

demonſtrare, dicens. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Nunquidnam mente excidit, quod veritas dicit. Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt expedit ei, vt ſuſpendàtur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris? Quod tamen ſi conſiderare negligimus contra tantæ elationis tumorem iudicia ſuperna vigilabunt. Matth. 18.

CAPVT XXXII.

His ita ſe habentibus, quia, vt S. Leo dicit, *quoties ob occurrentes cauſas generalis congregatio facta fuerit ſacerdotum, difficile eſt, vt cupiditas improborum non aliquid ſupra menſuram moliatur appetere*, ſicut ſæpe, & etiam in vniuerſalibus Synodis legimus accidiſſe: ſi quid in hoc humilitatis noſtræ conuentu duorum vel trium fauore ac paucorum ſilentio faſtu imperialis potentiæ contra ſupraſcripta ſacrorum canonum & Apoſtolicæ ſedis Pontificum decreta ex eiſdem ſacris canonibus promulgata, contraq; ſingulis Metropolitanis antiqua priuilegia etiam & per ſacras leges, quib⁹ vna cum venerandis canonibus ſancta moderatur Eccleſia conſeruanda imaturo atq; inconſiderato iuſſu eſt ſuperinductum, ſiue ſancitũ, prohibente Domino, vt non plantetur nemus ſecus templum ſuum, idem ne obumbretur, & decoloretur typo terreni principatus ſinceritas & fulgor humilitatis Eccleſiaſticæ iuxta decreta myſticæ Nicænæ Synodi, quo dicitur. Si duo aut tres propter contentiones proprias contradicunt, obtineat ſententia plurimorum, ſpretiſq;, vt diximus, duo vel tres propter aſſentationem forte non corde, ſed verbo, vel ſilentio conſpirauerunt generalitas noſtra Deo auctore non annuit, ſed corde, ac contradicente ore conſtantiſſimè abnuit, & ſententia plurimorum debitum robur atq; vigorem obtinuit, Leo ep. 62. Plurium ſententia præferẽda paucis.

 obtinet

obtinet, ac adiuuante Domino perpetim obtinebit. Quia, vt memoratus S. LEO ad Maximum Antiochenum Episcopum scripsit: *Si quid à quoquam contra Nicænorum canonum statuta in quacunq; Synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum nihil præiudicij potest inuiolabilibus inferre decretis. Et facilius erit quarumlibet consensionum pactum dissolui, quam prædictorum canonum regulas ex vlla parte corrumpi.*

Leo ep. 62.

In Synodis contra canones nihil statui potest

CAPVT XXXIII.

DE eo autem quod quidam frater Imperiali edicto vel dato sibi collatum fuisse, quod non illi, sed nobis de illo, sicut lectionis auditu comperimus à sede Apostolica est directum, quibus non est donatum, visus est exultasse. idem S. LEO ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum scripsit. *Alia*, inquit, *ratio est rerum secularium, alia diuinarum: nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit stabilis erit vlla constructio. Propria perdit, qui indebita concupiscit.* Et vt GELASIVS dicit, nunquam inuenitur de Pontificibus nisi Ecclesiam iudicasse, & non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam absq; Ecclesię principaliter cõstitutis Pontificibus, obsequi solere Principes Christianos decretis Ecclesiæ, non suam præponere potestatem, Episcopis caput subdere Principem solitum, non de eorum capitibus iudicare.

Leo ep. 54. ad Martian. Aug.

Gelas. ep. ad Anast.

Principes sæculares subditi canonibus & Episcopis.

CAPVT XXXIV.

ET in lege VALENTINIANI, THEODOSII, & ARCHADII decretum est de Episcopis. *Habent*, inquiunt, *illi iudices suos, nec quicquam his publicis commune cum legibus, quantum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet, quas decet Episcopali*

scopali

scopali auctoritate decidi. Quæ non dicimus, quod absit, potestati, ac per hoc DEI ordinationi resistentes, sed potius obsequentes: quia, sicut Dominus præcepit reddi quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, Matth. 22. ita quæ sunt Imperatoris obsequia obedienter ipsius obsequijs exhibemus, & quæ sacerdotij sunt ordini sacerdotali dependimus, sicut memoratus S. Papa GELASIVS Gelas. 1. ep. 4. ad Anastasium Imperatorem discreuit atque decreuit. *Duo sunt*, inquiens, *Imperator Auguste, quibus principaliter* Dist. 96. c. duo. *mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas: in quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in diuino reddituri sunt examine* Mundus dupli-ci potestate regitur. *rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamẽ Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis * expectas:* * expetis *inque sumendis cælestibus sacramentis, eisque, vt competit, disponendis subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim, quantum* Reges in sacris subditi iudicio Episcoporum. *ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus humanis exclusæ videantur obuiare sententiæ, quo, rogo te, decet affectu eis obedire qui * præ-* * prorogand. *rogandis venerabilibus sunt attributi mysterijs? Proinde sicut non leue discrimen incumbit Pontificibus, siluisse pro diuinitatis cultu, quod congruit: ita his, quod absit, non mediocre periculum est, qui, cum parere debeant, despiciunt.*

EPISTOLA VII.

ARGVMENTVM.

IN hac epistola vel Tractatu primò Hincmarus refert, quid CAROLVS *Magnus consultis summis Pontificibus & Episcopis ad quæstionē de criminosis clericis diu olim agitatam responderit. 2. ait decretum illius consuetudine 70. annorum firmatum, Pontificumq́ue, Synodorum & S. Patrum responsis esse consentaneum. 3. ostendit decretū de contubernio suspectæ mulieris à clerico vitando cum veteribus canonibus consentire, addens quales, & quot accusatores ad hoc vel aliud crimen deferendum sint necessarii, & si in probatione deficiant, iuramentum à clerico, quo se purget, exigendum. 4. contendit clericum à laico, & maioris ordinis à minori, vt sacerdotem à Diacono, &c. accusari posse. itaq́ue canones Synodi Romanæ sub B. Siluestro habitæ censendos nothos & suppositities. 5. docet Episcopos & Prælatos non debere iudicare nisi de criminibus clericorum manifestis, nec absoluere aut ligare nisi iuxta causarum merita, gradu deiectos in eo loco constituere, vbi pœnitentiam agant dignam culpa, Ecclesiasticum iudicium respuentes pro contumacibus habere, ad iudicium seculare prouocantes vel prouolantes & bona Ecclesiastica tanquam propria sibi vendicantes ac distrahentes punire.*

CAPVT I.


VID de Presbyteris criminosis, de quibus approbatio non est, agendum sit, in libro primo Capitulorum Domni KAROLI Imperatoris Augusti capite trigesimo quarto scriptum est. *Hoc nobis magno cum studio retractandum est, quid de illis presbyteris criminosis, vnde approbatio non est, & semper negant, faciendum sit. Nam hoc sæpissimè à nobis & progenitoribus, ac prædecessoribus nostris ventilatum est, sed non ad liquidum hactenus diffinitum. Vnde ad consulendum Patrem nostrum* LEONEM *Papam sacerdotes nostros misimus, & quicquid ab eo, vel à suis perceperimus vobis vna cum illis, quos misimus, renunti-*

Quæstio de criminosis sacerdotibus sæpe agitata.

LEO III.

renuntiare non tardabimus. Vos interim vicissim tractate attentius, quid ex his vobiscum constituamus vna cum prædicti sancti Patris institutionibus, vt murmur cesset populi, & nos his fauentes illæsi Domino auxiliante ab vtrisq; maneamus. SEQVITVR confirmatio memorata de sacerdotum purgatione, cap. in eodem libro, XXXV.

CAPVT II.

OMNIBVS *vobis visu aut auditu notum esse non dubitamus, quod sepissimè suadente antiquo hoste sacerdotibus crimina diuersa obijciuntur: sed quoniam qualiter ex eis ab his rationabilis examinatio & satisfactio fiat, (licet de rationabili examinatione & satisfactione presbyterorum tempore bonæ memoriæ Domni genitoris mei* PIPPINI, *siue priscis temporibus à sanctis Patribus & à reliquis bonæ deuotionis hominibus sæpissimè ventilatum fuerit) nos tamen pleniter & ad liquidum diffinitum reperire minimè quiuimus. Nostris quippe temporibus idipsum à sanctis Episcopis, & reliquis sacerdotibus & cæteris Ecclesiasticæ dignitatis ministris, nostris in regnis, seu in alijs degentibus, nobisq; vna cum eis agentibus sæpissimè propter multas & nimias reclamationes, quæ ex hoc ad nos ex diuersis partibus venerunt ventilatum est. Sed qualiter consultu Domni & Patris nostri* LEONIS *Apostolici cæterorumq; Romanæ Ecclesiæ Episcoporum, & reliquorum sacerdotum, siue Orientalium & Græcorum Patriarcharum, & multorum sanctorum Episcoporum, & sacerdotum, nec non & nostrorum Episcoporum omnium, cæterorumq; sacerdotum ac Leuitarũ auctoritate & consensu, atq; reliquorum fidelium & cunctorum Consiliariorum nostrorum consultu diffinitum est, vobis omnibus ordinis vtriusq; ministris scire volumus. Statutum est namq; ratione & necessitate ac auctoritate prædicta consultu omnium, vt quotiescunq; cuiquam sacerdoti crimen imponitur, si ipse accusator talis fuerit, vt recipi debeat, (quia*

Nihil definitũ fuit olim de criminosis sacerdotibus.

Decretum Leonis Papæ, & omnium Episcoporum.

Si accusator idoneus sit, ab Episcopis iudicandus est criminosus Sacerdos.

quales

quales ad accusationem sacerdotum admitti debeant in canonibus pleniter expressum est) Si autem, vt dictum est, ille accusator, qui canonicè recipiendus est, eum cum legitimo numero verorum & bonorum testium approbare in conspectu Episcoporum poterit, tunc canonicè diiudicetur. Et si culpabilis inuentus fuerit, canonicè damnetur. Si verò cum supra scripto pratextu approbare ipse accusator minimè potuerit, & hoc canonicè diffiniatur.

CAPVT III.

IPSE ergò sacerdos, si suspiciosus aut incredibilis suo Episcopo ac reliquis suis consacerdotibus siue bonis & iustis de suo populo vel de sua plebe hominibus fuerit; ne in crimine, aut in prædicta suspicione remaneat, cum tribus aut quinq; vel septem bonis ac vicinis sacerdotibus, exemplo LEONIS Papæ, qui duodecim Episcopos in sua purgatione habuit, vel eo amplius, si suo Episcopo visum fuerit, aut necesse propter tumultum populi id esse perspexerit, cũ alijs bonis & iustis hominibus se sacramento corã populo super quatuor Euãgelia dato purgatũ Ecclesiæ suus reddat Episcopus.

Sacerdos suspectus quomodo purgare se debeat.

CAPVT IV.

SI quis autem scire desiderat, quales accusatores ac testes ad accusationem sacerdotum recipi debeant, & quid de accusatore faciendum sit, pleniter in canonibus & legibus, quibus vna cum sacris canonibus sancta moderatur Ecclesia, poterit reperire. videlicet, quos publicæ leges ad accusationem vel ad testificationem admittunt, tales admittantur, & quales publicæ leges non admittunt non recipiantur, id est, infamiæ maculis aspersi non admittuntur ad accusationem; sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur in causis proprijs, accusandi licentia non est deneganda; Et suspecti gratiæ testes, & illi vel maximè, quos accusator de sua domo produxerit, vel vita humilitas infamauerit, Vel infra annos XIIII. ætatis suæ non admittantur.

Qui idonei sint testes & accusatores.

C. Carth. 7. ca. 3. & 4.

3. q. 10. c placuit.

CAPVT V.

QVI testes, vt lex THEODOSII præcipit, priusquam de causa

causa interrogentur, sacramento debent constringi, vt iurent, se nihil falsi esse dicturos, & honestioribus magis, quam vilioribus testibus fides debet admitti. Vnius autem testimonium, quamlibet splendida & idonea videatur esse persona, nullatenus audiendum. Et lex VALENTINIANI & THEODOSII *præcipit, vt in criminalibus causis vel obiectionibus per mandatum nullus accuset, nec si per rescriptum Principis hoc potuerit impetrare, sed ipse, qui crimen intendit, præsens per se accuset inscriptione præmissa. Iudices autem puniendi sunt, & damnandum officium, si forte tacuerint, si innocentem, nisi præmissa inscriptione subdendum crediderint quæstioni. Si autem clerici in Ecclesiasticis causis testimonium apud Ecclesiasticos dixerint, per compromissi vinculum Episcopale iudicium non adeundum lege Maioriani abrogatum est.*

Vnus testis non sufficit.

CAPVT VI.

ET *quia secundum sacras leges sententia sine scripto dicta nec nomen sententiæ habere merebitur, & iuxta legem* VALENTINIANI & VALENTIS *nisi subscriptione celebrata reum quenquam non fieri, nec ad iudicium exhiberi. Quia sicut conuictum pœna constringit, ita & accusatorem, si non probauerit, quod obiecit, & legibus constitutum est, vt scripturâ prolator affirmet, cuius si non adstruxerit veritatem, vt falsitatis reum esse retinendum, vt criminis, quod probare nequiuerunt, delatores & periuri ac falsitatis rei damnandi sunt, sicut lex* HONORII & THEODOSII *decreuit. Clericos, inquiens, non nisi apud Episcopos accusare conuenit. Igitur si Episcopus, Presbyter, Diaconus & quicunq; inferioris loci Christianæ legis minister apud Episcopos, siquidem alibi non oportet, à qualibet persona fuerint accusati, siue illi sublimis vir honoris, siue vllius alterius dignitatis qui hoc genus illaudabilis intentionis arripuerit, nouerit docenda probationibus, monstranda documentis, se debere inferre.*

Clerici apud Episcopos tantum accusandi.

CAPVT VII.

Accusator infamis fit, si probare crimen nequeat.

SI QVIS *ergo contra huiusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate huius sanctionis intellegat se iacturæ famæ propriæ subiacere, vt damno pudoris, existimationisq; dispendio discat sibi alienæ verecundiæ impunè insidiari, saltem dicere, non licere. Nam sicut ab Episcopo Presbyteros, Diaconos, cæterosquè, si his obiecta potuerint comprobari, maculatos ab Ecclesia æquum est remoueri, vt contempti posthac, & miseræ humilitatis inclinati despectu iniuriarum non habeant actionem: ita similis videri debet iustitiæ, quod appetitæ innocentiæ moderatam deferri iussimus vltionem. Itaq; huiusmodi duntaxat causas Episcopi sub testificatione multorum acta audire debebunt. Et sacri Carthaginenses canones inter accusatores clericorum, & accusatos clericos ordinem, qualiter excommunicationis damnatio, vel examinationis purgatio agi debeat, manifestè diffiniunt, scilicet, vt presbyter, vel inferioris gradus clericus accusatus apud proprium Episcopum, & accusator in eo loco, videlicet in eadem parrochia, vnde est ille, qui accusatur, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, vbi causa finiatur. Et hinc leges dicunt. Criminum discussio ibi agitanda est, vbi crimen admissum est.*

Dig. l. 47. t. 16. l. 3.

Nam alibi criminum reus prohibetur audiri. illi verò qui pulsatus fuerit, si iudicem, id est, Episcopum suum suspectum habuerit, licet appellare, scilicet ad finitimos Episcopos ipsius prouinciæ, vt Sardicenses & Carthaginenses canones decreuerunt, vel ad Metropolitanum Episcopum iuxta Antiochenum Concilium, siue ad prouincialia Concilia, sicut sacri Niceni & Antiocheni canones constituerunt, & sicut Africanum Concilium in epistola ad Celestinum Papam ostendit, vel à decreto Episcoporum numero secundum Carthaginense Concilium, vel à iudicibus, siue quos iuxta Africanos canones primus ille dederit, siue quos ipse cum Episcopi sui consensu delegerit, à quibus prouocari non licet, regulariter iudicetur.

Accusatus potest ab Episcopo suo appellare ad finitimos Episcopos vel Metropolit.

CAPVT

CAPVT VIII.

CONSTAT igitur, si iuxta Concilium Antiochenum ab vniuersali magna Synodo Chalcedonensi fauorabiliter in actione XII. receptum,& collaudatum perfectum Concilium illud est, vbi interfuerit Metropolitanus antistes, multò magis perfectum & tenendum atque sequendum est præcedens capitulum de presbyterorum comprobatione vel purgatione consultu Sedis Apostolicæ, & tantorum Episcoporum, ac cæterorum Ecclesiasticorum ministrorum, Deiq; fidelium consensu firmatum, sicuti voce magni & orthodoxi Imperatoris legimus attestatum, & per tanta tempora sequētium Episcoporum vsu & consuetudine roboratum. Hanc auctoritatem in depositione criminosorum Presbyterorum, vel purgatione criminatorum more consuetudinario secuta est generaliter Cisalpina Ecclesia Catholica iam per septuaginta & eo amplius annos.

Conciliū perfectum est. cui interest metropolit.

CAROLI MAGNI.

CAPVT IX.

ET de consuetudine S. Augustinus à Sede Apostolica, S. CÆLESTINO scribente, inter optimos Ecclesiæ computatus magistros, in libro quarto de baptismo dicit. *Planè verum est, quia ratio & veritas consuetudini præponenda est, sed cùm consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri.* Ostendendum est igitur, si ratio & veritas atque auctoritas huic consuetudini suffragatur. Scriptū est in mystica NICÆNA Synodo. *Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantummodo personas, quæ suspiciones effugiunt.* Hinc VALENS GRATIANVS, & VALENTINIANVS Augusti & Christiani

Cælest. ep. 2. c. 2. Aug. c. 5.

Syn. Nicæn. I. c. 3. Grat. d. 32. c. interdixit. Clericis vetita mulierum cohabitatio.

Honor. & Theodos.

ſtiani Imperatores decreuerunt Legem, cuius interpretatio talis eſt. *Quicunq; Clericatus vtuntur officio, extranearum mulierum familiaritatem habere prohibentur. matrum, ſororum, vel filiarum tibi ſolatia intra domum ſuam nouerint tantum eſſe conceſſa.*

Cod. lib. 1. tit. 3. de Epiſc. & cler. l. 19.
Iuſtin. conſt. nouel. 123.

CAPVT X.

C. Carth. 3. c. 25.
C. Aphric. c. 5. diſt. 81. c. clerici.

SED quia ſub occaſione iſtarum perſonarum, aliæ mulieres ſubintroduci cœperunt, ſancti Africani canones decreuerunt, vt nec ipſi Epiſcopi, aut Preſbyteri ſoli habeant acceſſum ad viduas, vel virgines, vel ad quaſcunque fœminas, ſed vbi aut clerici præſentes ſunt, aut graues aliqui Chriſtiani. Vnde ſicut B. GREGORIVS ad miniſtros Eccleſiæ Romanæ ſcripſit, B. AVGVSTINVS, nec cum ſorore habitare conſenſit, dicens. *Quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt.* Et ex hoc dicit S. Gregorius. *Docti ergo viri cautela magna nobis debet eſſe inſtructio. Nam incautæ præſumptionis eſt, quod fortis pauet, minus validum non timere. Sapienter enim illicita ſuperat, qui didicerit etiam non vti conceſſis.* Et ex hoc in lege IVSTINIANI decretum eſt capite 475. *vt ſi quis mulierem in ſua domo habuerit, quæ poteſt ſuſpicionẽ inferre turpitudinis, & ille à conclericis ſuis audierit, quod cum tali muliere non debeat habitare, ſi noluerit eam ſua domo repellere, vel accuſatore immergente probatus fuerit inhoneſtè cum tali muliere verſari, tunc Epiſcopus ſecundum Eccleſiaſticos canones à Clero eum repellat.*

Greg. ep. 39. l. 7.
Poſſid. in vita.
Iuſtin. conſtit. nou. 123.

CAPVT XI.

Vide Baron. tõ. 9. ad ann. 826.
Diſt 81. c. ſi quiſpiam.
* ſuſpicatus.

ET in Synodis Romanis EVGENII & LEONIS IV. decretum eſt. *Si quiſpiam Sacerdotum, id eſt, Epiſcopus, Presbyter, vel etiam Subdiaconus de quacunque fœmina crimine fornicationis ſuſpectus, poſt primam, ſecundamque & tertiam admonitio-*

monitionem Metropolitani, vel alterius Episcopi, aut eius, cui subiacere videtur, inueniatur fabulari cum ea, vel aliquo modo conuersari, canonicè iudicetur. Quapropter vnusquisque Episcopus in tali re studiosè ac diligenter curam habere debet, ne Ecclesia Christi à propriis possit sordidari ministris, quia cum propriam vxorem habere non permittitur, maximè ab omni fœmina sit abstinendus. Proinde de concubitu presbyterorum cum fœminis per parrochianos vel vicinos cuiuscunque presbyteri inquirere non nobis est laborandum. Abolita enim est vetus hæresis, quæ Cynica, id est, canina propter impudentiam fuerat appellata, dicens, concubitum esse naturalem, & ob id agendum sine verecundia publicè: cùm legamus primos homines mox post peccatum inobedientiæ sensisse concupiscentiam in membris genitalibus, & à mutuis conspectibus ea contexisse. Nam licet humanæ mentis cæcitas in operatione turpitudinis diuinis & angelicis, atque Sanctorum, qui in cœlis sunt, oculis abscondi non possit, tamen etiam quilibet rusticanus, concumbens etiam cum propria coniuge, prout potest, plurimorum deuitat aspectus. Quanto magis Presbyter, si sensum hominis habet, malum agens curabit abscondere, propter quod patefactum, scit se non solum Ecclesiasticum gradum amittere, sed & sua quæ habet ex facultatibus Ecclesiæ perdere. Non igitur de hoc verecundè quæremus, quod & Apostolus non nudo sed velato nomine loquens apud legitimè coniugatos, studuit appellare, dicens. *Et ne quis circumueniat in negotio fratrem suum.* Tantummodo autem de accessu & frequentatione ac cohabitatione Presbyterorum contra canonicum interdictum cum fœminis, si inde fuerint accusati, est inquirendum. Quia, vt S. AMBROSIVS dicit, *Iudicis non est sine accusa-*

Cynica hæresis.

Gen. 3.

1. Thes. 4.

Amb. in c. 5. ep. 1. ad Corin. 23. q. 4. c. si quis.

Amb. in c. 5. ep. 1. ad Corin. 23. q. 4. c. si quis. *accusatore damnare, quia & Dominus Iudam, cùm fur esset, quoniam non est accusatus, minimè abiecit.*

CAPVT XII.

QVALIS ergo debeat esse ordo in accusatione & diiudicatione S. Augustinus exponens sententiam Apostoli: *Si quis frater nominatur fornicator*, &c. ostendit. *Noluit*, inquit, *Apostolus hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio, sed potius ex lege Dei, siue secundum ordinem Ecclesiæ, siue vltro confessum, siue accusatum atque conuictum eam nominationem volens intelligi, quæ fit in quenquam, cum sententia ordine iudiciario, & quæ cum integritate profertur. Nam si nominatio sola sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sæpè falsò in quenquam crimen nominatur.* Qualiter autem sententia ordine iudiciario & cum integritate proferenda sit, sacri canones, vt supra dictum est, & S. GREGORIVS qui frequenter in epistolis suis causas ministrorum Ecclesiasticorum legaliter & regulariter præcipit diffiniri in commonitorio Ioanni Defensori eunti in Hispanias dato demonstrat dicens. *Diligenter quærendum est, primum, si iudicium ordinabiliter est habitum, aut si alij accusatores, alij testes fuerunt. Deinde causarum qualitas, si digna exilio vel depositione fuit. aut, si eo præsente sub iureiurando contra eum testimonium dictum est, si scriptis actum est, vel ipse (accusatus) licentiam respondendi & defendendi se habuit. Sed & de personis accusantiũ ac testificantium subtiliter quærendum est, cuius vitæ, cuius conditionis, cuiusque opinionis, aut ne inopes sint, aut ne fortè aliquas contra prædictum Episcopum inimicitias habuissent, & vtrum testimonium ex auditu dixerunt, aut certè se scire specialiter testati sunt, si scriptis indicatum est, & partibus præsentibus sententia recitata est.* Sic & leges diffiniunt, vt nemo per alium quenquam accusare, vel

Aug. de pœnit. medicina. ca. 3.

Greg. ep. 50. lib. 11.

3. q. 9. c. absẽs, & c. qui accusare.

vel quis accusari possit, nisi fortè ingratum libertum patronus accuset, & vt in causa capitali absens nemo damnetur nisi delegata secundum canones cognitione adesse prouocatus neglexerit, vt dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Dig. lib. 48. & 17. l. 1. c. decreuimus ib. c. absente, c. reuera.

CAPVT XIII.

A QVIBVS accusatio vel testimonium debeat recipi sancti Africani canones patenter ostendunt, id est, quos publicæ leges ad accusationẽ, vel ad testimonium recipiunt, sicut plenius ac latius ex eodem Concilio & ex legibus non longè suprà ostendimus de sæcularibus hominibus. De sacris autem ordinibus S. GELASIVS in decretis suis dicit. *Ne clericorum quisquam se huius offensæ futurum confidat immunem, si in his quæ salubriter sequenda deprompsimus, siue Episcopum, siue Presbyterum, siue Diaconum viderit excedentem non protinus ad aures nostras deferre curauerit, probationibus duntaxat competenter exhibitis, vt transgressoris vltio fiat, & cæteris interdictio delinquendi.* Et sacri Africæ prouinciæ canones, & Lex Iustiniana decernunt, vt clerici de iudicii sui cognitione non cogantur in publico dicere testimonium: non autem in Ecclesiastico iudicio dicere testimonium prohibentur. Sicut etiam de Episcopis in Chalcedonensi Concilio legimus. Vnde in Synodis Romanis ab EVGENIO & LEONE IV. celebratis decretum est. *Quanquam Sacerdotum testimonium credibile habeatur, tamen ipsi in secularibus negotiis pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non rogentur, quia eos in talibus rebus esse non conuenit. Si autem euentu aliquo causæ interfuerint, & aliquid viderint aut audierint, vbi nullæ ad illud idoneæ secularium inueniantur personæ, ne veritas occultetur, & malus vt bonus existimetur in prouidentia proprii sit Episcopi, vt aut*

3. q. 1 can. accusatores, &c. C. Carth. 2. c. 6. C. Carth. 7. c. 1. 2. 3. 4. C. Aphric. c. 95. 96 97. 98. Gelasi. ep. 1. C. Carth. 5 c. 8. 2 q. 6. c. statutum. C. Chalced. c. 9. 11. q. 1. si clericus. 14 q 2. c. quanquam.

*coram se & competentibus iudicibus, aut aliter veritatem honorifice * testificentur.* Et huic sententiæ Iustiniana lex consonat.

* attollant.
Iustin. nouel. const. 123.

CAPVT. XIV.

Deu. 19.
Matth. 18.
Leo ep 87. c. 1.
1. Tim 5.
C. Nicæn. c. 1.
Dan. c. 13.
3. Reg. 21.
Matth. 26.
C. Rom. sub Sylu. c. 3. 2. q. 5. c. præsul.

DE Numero testium in Lege statutum est, quod & in Euangelio est confirmatum, vt in ore duorũ vel trium testium stet omne verbum. Et Apostolus Timotheo præcipit, (*in cuius persona*, vt B. LEO dicit, *omnium Christi sacerdotum numerus eruditur*) *vt accusatio aduersus Presbyterum non recipiatur, nisi sub duobus vel tribus testibus.* Et sacrum Nicænum Concilium neophytum Episcopum à duobus vel tribus testibus redargutum à clero abstinere præcipit. Sed quia in historia Susannæ duos testes qui idonei populis videbantur, & in historia Nabuthæ, sed & in historia Passionis Domini duos testes dixisse falsum testimonium legimus, maiores nostri præter accusatores in accusatione Presbyterorum, de numero testium idoneorum, auctoritatem legum sequendam voluerunt, vt septem testes idonei requirantur; & si ratio vel causa coëgerit, quatuordecim, vel viginti & vnus testes quærantur, vt veritas patefacta monstretur. Qui testes ad exemplum Danielis, sicut & leges præcipiunt, examinandi sunt, quoniam ipsa prophetæ examinatio iam quibusdam nota est, & sæpè inuenti sunt pretio conducti & conspirati ad dicendum mendacium: & sæpè quidam inuidia vel odio ad Presbyterum accusandum emergunt, & testes mendaces producunt, quia, vt S. AVGVSTINVS dicit, *noua morborum genera noua quærere cogunt medicamentorum experimenta.*

Aug. ep. 50. ad Bonif.

CA-

CAPVT XV.

A maioribus nostris accepimus, vt, exceptis accusatoribus, septem sint testes idonei, qui testimonium suum per Sacramentum verum esse confirment: ex quibus sex iurent, & septimus, si ratio, vel qualitas personæ permittit, ad iudicium exeat, quòd illi sex inde veritatem per sacramentum dixerint. Et sic de comprobato Presbytero Apostoli sequatur sententia. *Si quis non obedit verbo nostro, siue per epistolam, siue per verbum, hunc notate, & nolite commisceri cum eo*, & reliqua. Et S. LEO Papa in decretis suis ad vniuersos Episcopos per vniuersas prouincias constitutos dicit. *Hoc admonitio nostra denunciat, quod si quis fratrum contra hæc constituta venerit, vel venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec eum communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ*, & reliqua. Sed & B. AVGVSTINVS suo Archiepiscopo Xantippo de Abundantio Presbytero suæ parrochiæ ita scripsit ad locum. *Quia cū non ambularet vias seruorum Dei, non bonam famam habere cœpit. qua ego conterritus, non tamen temerè aliquid credens, sed planè sollicitior factus operam dedi, si quo modo possem ad aliqua malæ conuersationis eius certa peruenire indicia. Ac primò comperi eum pecuniā cuiusdam rusticani diuino apud se commendato interuertisse, ita vt nullam inde posset probabilem reddere rationem. Deinde conuictus atque confessus est, cum secum nullum clericum haberet, se apud quandam malæ famæ mulierem, & prandisse, & cœnasse, & in vicina & eadem domo mansisse: nam quæ negauit, Deo dimisi: quæ occultare permissus non est, iudicaui.* Hoc modo veritate cōperta de cohabitatione interdicta cū mulieribus cōuictus Presbyter, legaliter & regulariter sacerdotali in istis Gallicis regionib⁹ priuatur officio,

11. q. 5. c. præsul. 3. q. 9. c. hortamur.

1. Thess. 3.

Leo ep. 1. c. 5. Grat. d. 19. §. Rom. Pont.

In Gallia priuatur officio clericus mulieri suspectæ cohabitans.

Zosim. ep. 1. ad Hezich. Salon. Episc.

officio, ſicut ZOSIMVS Papa decreuit, dicens. *Sciat, quiſquis hoc, poſtpoſita Patrum & Apoſtolicæ Sedis auctoritate, neglexerit, à nobis diſtrictius vindicandum, vt loci ſui minimè dubitet, ſibi non conſtare rationem, ſi hoc putat poſt tot prohibitiones, impunè poſſe tentari. Contumeliæ enim ſtudio fit, quicquid interdictum toties vſurpatur.*

CAPVT XVI.

Quid agēdum cum accuſator in probatione deficit.

SI autem mala fama ex veri ſimilitudine per parrochias noſtras de Preſbytero exit, & accuſatores atq; teſtes legales non eſſe deprehenduntur, vel rei falſitatis conuincuntur, legaliter ac regulariter eis mulctatis, ne infirmorum corda de mala fama Preſbyteri percutiantur, & ne vituperetur miniſterium noſtrum, neque ſecuriores Preſbyteri exiſtētes licentius in peccatum labantur, ſecundum decretum GREGORII iunioris, eſt iuſiurandum in medio, vt habeat malæ famæ Preſbyter in ſacramento purgationis ſuæ eum teſtem, quem habebit & iudicem. Et quoniam frequenti experimento probatum eſt, Preſbyterum à diabolo in fornicationem vel adulterium perſuaſum, procliuem ad periurium, & legalis atque Euangelica ſeu Apoſtolica atque canonica auctoritas trium teſtium teſtimonium recipit ad condemnationem, non ab re viſum eſt Patribus noſtris, ſi recipiatur ad purgationem. In hiſtoria quoque ſacra, & in epiſtola B. Gregorii ad Theoctiſtam patritiam, legimus, B. Petrum Apoſtolorum primum, cùm à fidelibus reprehenſus fuit, cur ad gentiles intraſſet, humili eos ratione placaſſe, atque in cauſa reprehenſionis ſuæ etiam teſtes adhibuiſſe, dicens. *Venerunt autem mecum & ſex fratres iſti.* Et Carthaginenſes canones decernunt, vt ſi preſbyteri, vel diaconi fuerint accuſati, adiuncto ſibi ex vicinis:

Gregor. 3. ep. ad Bonif. 2. q. 4. c. Presbyteri.

Deu. 19. Matth. 18.

Greg lib. 9. ep. 39.

Act. 11.

C. Carth 2. c. 10. 3. q. 8. c. ſuggeſto. 2. q. 4. c. ſi legitimi. & c. ſi mala fama. qui eſt Hincmari.

vicinis locis proprius Episcopus legitimo numero collegarum, id est, vna secum in Presbyteri nomine sex, in diaconi tres, auctoritati conuenire maiores nostri duxerunt, sicut supra ostendimus, in capitulo tempore Domni CAROLI Imperatoris Augusti Apostolicæ sedis & Episcoporum auctoritate decreto, vt si Presbyter infamatus fuerit, & accusatores vel testes idonei defuerint secundum qualitatem vel quantitatem causæ atque personæ, & vtilitatem ac sanationem cordium infirmorum, aut cum alijs duobus testibus, ac cum alijs sex testibus seipsum sacramento à mala opinione purget. Sacerdos quot testes pro sui purgatione adhibere possit.

CAPVT XVIII.

ET non est contrarium decreto GREGORII iunioris, si plures testes ad purgationem infamati Presbyteri requiruntur, quia scribens idem Pontifex ad Bonifaciũ Moguntinum Episcopum per Denuoldum presbyterum dicit, *vt si probari idoneis testibus presbyter infamatus nequiuerit, sit iusiurandum in medio*, & non diffiniuit, vtrum ipse solus, an cum alijs iuret. Si enim beatissimus PETRVS Apostolorum primus famam suam, quasi contra præceptum fecerit Domini dicentis, *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis*, quoniam nondum à Deo per multos propalata erat præceptio Christi iubentis, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos*, cum sex testibus expurgauit, non videtur esse contra auctoritatem, si presbyter cum tot testibus Collegis suis suam opinionem studet purgare, ad quod iudicibus Episcopis iubetur per sacros canones iudicari. præcipiente Apostolo, vt *sine offensione omnibus simus, & ne pereat in nostra conscientia frater, propter quem Christus mortuus est*. Et item. *Sic enim peccantes in fratres, & percutientes conscientiam*

Greg. 3. Matth. 10. Matth. 28. Actor. 11. 1. Cor. 10. 1. Cor. 8.

ipsorum infirmam in Christum peccatis. Et ideò repleti spiritu sancto statuerunt sancti Patres nostri, vt ministri altaris mulieribus non cohabitent, neque subintroducant secum mulieres, ne vel concupiscentia conscientiam suam vrant, vel consensu pessimo polluant, & ne vel mala suspicione infirmorum conscientias maculent. Quoniam AVGVSTINO docente, *sanctorum, quibus Dominus dicit. Sancti estote, conuersatio non solum sancta debet esse, sed & cauta: ne forte cum mala non sit per lasciuiam, sit mala per neglegentiam.*

Clericorum conuersatio sit sancta & cauta. Leu. 11.

CAPVT XIX.

DE interdicto canonico aduersus Presbyterum, & interrogandi sunt testes, & conuictus vel confessus, iudicandus est presbyter. Et quoniam experti sumus quosdam Presbyteros ad inuicem conspirasse, vt se mutuo in sua purgatione adiuuent, reuera quidẽ noceant, non incongrue visum est decessorib9 ac prædecessorib9 nostris, vt cum credibili misso Episcopi, presbyteri, qui in purgatione infamati sacerdotis vna cum eo ad iusiurandum se obtulerunt, talem examinationem per Vicarium infamati Presbyteri recipiant, vt in sacramento se Deo non perdant, sicut quosdam hinc iam de periurio reuictos & degradatos comperimus, vel vt decernunt canones: *Episcopus*, inquiunt, *aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut furto captus est, deponatur, non tamen communione priuetur. Dicit enim Scriptura. Non vindicabit Dominus bis in idipsum.* Hæc de testibus, vel ad probationem, vel ad purgationem Presbyteri maiores nostri secundum tramitem Scripturarum prædicationemque maiorum tenenda viderunt, & sequenda nobis suis posteris reliquerunt, secundum verba B. GELASII. *Quicquid*, inquit, *pro fide, pro veritate, pro communione Catholica atq; Apo-*

Canon. Apost. c. 25. Dist. 81. c. presbyter.

Naum. 1.

Gelas. ep. ad Episc. Dardan.

*atque Apostolica secundum scripturarum tramitem prædicationemque maiorum Patres nostri Catholici videlicet, doctique pontifices, facta semel congregatione, sanxerunt, inconuulsum voluerunt deinceps, firmumque constare, nec in eadem hac causa denuo, quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt: sapientissimè prouidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper isdem furoribus * recidiuis omnis integra diffinitio turbaretur.* Decreta veterũ non sunt rescindenda. * rediuiuis.

CAPVT XX.

QVOD quidam dicunt, quia Parrochiani & subiecti Presbytero, vel Episcopo eum non valeant regulariter accusare, vt scriptum est, *vmbra aliorum vmbram suam protegunt*, ne ad eos valeat peruenire, quod in alios conantur defendere. Quorum defensio cassatur auctoritate & ratione. Auctoritate quidem, qua dicitur voce sancti viri, *Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius deflent? Si fructus eius comedi absque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi, pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina. Terra*, inquit S. GREGORIVS, *contra possessorem suum clamat, si contra eum qui sibi præest aliquid iniustũ, vel priuata domus vel sancta Ecclesia murmurat. Clamare quippe terrã est, contra regentis iniustitiã rationabiliter subiectos dolere. Omnis ergò qui præest, si peruersa in subditis exercet, cõtra hunc terra clamat, & sulci deflẽt: quia contra eius iniustitiã rudes quidem populi in murmurationis vocibus erumpunt, sed perfecti quique pro prauo eius opere se in fletibus affligunt, cum clamante ergo terra sulcos plangere, est per hoc, vnde multitudo fidelium iustè contra Rectorem queritur, vberioris vitæ homines ad lamenta peruenire*, & reliqua, quæ Lector in suo loco plenius præualet inuenire. Et longè antè S. BONIFACIVS ad Episcopos per Gallias, & septẽ prouincias constitutos de Maxi-

Iob. 40. Episcopus & presbyter accusari potest à suis subditis. Iob. 31. Greg. lib. 22. mor. c. 33. Bonif. 1. ep. 2.

de Maximo à suis comprouincialibus & subditis accusato: Et S. GREGORIVS de Bonifacio Regitanæ Ecclesiæ à suis clericis & subditis æquè accusato ad Sabinum & plures Episcopos pro causa diligenter inquirenda epistolas misit, & de Lucilli Episcopi accusatione inquisitionem regulariter facere præcepit, velut in eius Regesto Lector inueniet. Etsi de Episcopis ita admissa sunt, de presbyteris, videlicet, secundi ordinis viris non dimittenda sunt.

Greg. l. 7. ep. 46.

Idem l. 8. ep. 1.

CAPVT XXI.

VERVM quia non solum in doctorum secularium literarum dogmatibus, sed & in sanctis Scripturis à contrario quædam diffinienda inuenimus, sicut ex luce obscuriores tenebræ iudicantur, ex sententia diuina conferenda est causa Ecclesiastica. Ait enim Dominus discipulis suis, *Vos mihi testimonium perhibebitis, qui ab initio mecum estis*, quoniam absque vlla ambiguitate prædicare valebant, quæ apud illum viderunt & audierunt. Vnde bene PETRVS alium pro Iuda ordinare volens Apostolum talem voluit eligere, qui cum eis fuerit, ex quo intrauit & exiuit inter eos Dominus IESVS, & non alium. Sic econtra tales debent audiri accusatores ac testes de vita & conuersatione Presbyteri, qui eius vitam & conuersationem nouerunt in omni tempore, ex quo intrauit, & exiuit cum eis presbyter illis & præpositus ordinatus. Sufficiant ergo, ad refellendam vanam opinionem eorum, qui dicunt, quoniam à suis ouibus vel subiectis Prælatus regulariter accusari non valeat, hæc tanta & talia testimonia.

Ioan. 15.

Actor. 1.

CAPVT XXII.

CÆTERVM, quoniam quidam quasi in auctoritate profertur

profertur sanctum SILVESTRVM Papam decreuisse talia, quæ Catholica Ecclesia inter synodalia decreta non computat, quæ maiores nostri inde nobis tenenda suis posteris reliquerunt, hic necessarium ponere duximus. Scriptum namq; est in quodam sermone sine exceptoris nomine de gestis S. SILVESTRI excepto, quem ISIDORVS Episcopus Hispalensis collegit cum epistolis Romanę sedis Pontificum à S. CLEMENTE vsq; ad B. GREGORIVM, eundem S. Syluestrum decreuisse, *vt nullus laicus crimen clerico audeat inferre, & vt presbyter non aduersus Episcopum, non diaconus aduersus presbyterum, non subdiaconus aduersus diaconum, non acolytus aduersus subdiaconum, non exorcista aduersus acolytum, nec lector aduersus exorcistam, non ostiarius aduersus lectorem det accusatione͂ aliquam, & non damnetur Præsul nisi in septuaginta duobus. Neq; Præsul summus à quoquam iudicetur, quomodo scriptum est, Non est discipulus super magistrum. Presbyter autem Cardinalis nisi in quadraginta quatuor testibus non damnabitur. Diaconus Cardinarius constructus Vrbis* ROMÆ *nisi in viginti sex non condemnabitur. Subdiaconus, Acolytus, exorcista, lector, ostiarius: nisi, sicut scriptum est in septem testibus non condemnabitur. Testes autem & accusatores sine aliqua sint infamia vxores ac filios habentes, & omnino Christum prædicantes. Testimonium clerici aduersus laicum nemo recipiat.* Conc. Rom. tom. I. Concil. pag. 355. Matth. 10.

CAPVT XXIII.

QVÆ dicta quam aduersa sibi, & quam diuersa à sanctis canonibus & sacris legibus sint, nemo est qui dubitet, qui & hæc dicta cum ratione attenderit, & sacras regulas ac leges diligentius legit. Et primum quidem scriptum est, *vt nullus laicus crimen clerico audeat inferre:* deinde, vt *nullus clericus contra clericum testimonium accusationis*

T *ferat.*

ferat. & mox subsequitur, in quantis testib⁹, presbyter, vel diaconus, seu subdiacon⁹, acolytus quoq; & exorcista, lector & ostiarius valeant condemnari, & *testes, & accusatores sine infamia, & vxores & filios habentes, & Christū prædicantes fiant. Quod quam absurdum, sit vt vxores & filios habentes potius &c. potius ad testimonium recipi debeant, quam continentes, & religiosi,* ratio aperta demonstrat; & contra id, quod subsequitur, & illud quod dicit, *vt vxores & filios habentes, & Christum prædicantes fiant testes*: S. LEO Papa in epistola

Leo ep. 62.

ad Maximum Antiochenum Episcopum decreuit. *Illud*, inquiens, *conuenit dilectionem tuam prædicare, vt præter eos qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi ius docendi & prædicandi audeat vendicare, siue sit ille monachus, siue sit laicus, qui alicuius scientiæ nomine glorietur. Quia etsi optandū est, vt omnes Ecclesiæ filij, quæ recta & sana sunt, sapiant, non tamen permittendū est, vt quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus gradum sibi prædicatoris assumat, cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conueniat, vt in vno Christi corpore & excellentiora membra suū officium impleant, & inferiora superioribus non resultent.* Dicit

11. q. 1. c. testimonium.

etiā, *& testimoniū clerici aduersus laicum nemo recipiat.* quod, sicuti supra ostendimus, regula sacræ, & sedis Apostolicę definitio, & leges Christianorum Principum Imperij Romani euacuant.

CAPVT XXIV.

SCIENDVM quoq; est, quia quidam prȩfatam constitutionē ex nomine S. SILVESTRI Papæ in auctoritatē non iudicandi quenquam clericorū ad confirmandam suam sententiā assumunt ex eo: quod B. GELASIVS inter ea quæ recipienda sunt, Actus B. Siluestri in canone recipiendorum posuit, non aduertentes, quid inde in eodem catalogo S. GELASIVS scripserit. Ait enim inter alia. *Actus B. SILVESTRI Apostolicæ sedis Præsulis, licet eius qui conscripsit, nomen ignoretur, à multis in vrbe Roma Catholicis*

Gelas. in decreto 70 Episcop. Grat. d. 15. sancta Romana.

legi cognouimus, & pro antiquo vsu multa imitantur Ecclesia. Item scripturam de inuentione crucis Dominicæ: & aliam scripturam de inuentione capitis Ioannis Baptistæ nouellæ * *quædam relationes sunt, & non nulli eas Catholici legunt. Sed cum hæc ad Catholicorum manus peruenerint, B. Pauli Apostoli præcedat sententia. Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Quæ Acta legi B. GELASIVS permisit, sed ad auctoritatem, sicut sanctas Scripturas & sanctorum opuscula teneri non iussit. In quibus Actibus Siluestri, de talibus constitutionibus nihil legimus. In libro verò qui titulatur, Gestorum Pontificum, legimus constituisse B. SILVESTRVM, vt *nullus laicus clerico crimen audeat inferre.* Cætera autem, quæ subsequuntur, vt supra posuimus in regesto ipsius, constituisse eum non legimus. Quapropter credendum non est eundem sanctum virum talia constituisse, quæ in memorato sermone continentur scripta. Et licet propter hæreticos & gentiles, qui tunc persequebantur Catholicos, forte talia dixerit, tamen posteriorum sententia tenenda est, sicut S. AVGVSTINVS à sede Apostolica meritò inter optimos magistros Ecclesiæ computatus in libro secundo de Baptismo demonstrat. *Quis,* inquiens, *nesciat sanctam Scripturam canonicam tam veteris, quam noui testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posteriorum Episcoporum litteris ita præponi, vt de illa omnino dubitari & disceptari non possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit, quicquid in ea Scriptum esse constiterit. Episcoporum autem litteras, quæ post confirmatum canonem vel scripta sunt, vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum grauiorum auctoritatem, doctiorumque prudentiam, & per Concilia licere reprehẽdi, si quid in eis forte à veritate deuiatũ est. Et ipsa Concilia quæ per singulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorũ Conciliorum*

Margin notes: * quidem — 1. Thess. 5. — Aug. cap. 3. Grat. d. c. 9. quis nesciat. — Concilia priora aliquando à posterioribus emendantur.

auctoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano sine vllis ambagibus cedere, ipsáq; plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine vllo typho sacrilegæ superbiæ, sine vlla inflata ceruice arrogantiæ, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ; cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum caritate Christiana.

Capvt XXV.

Alioqvin si nullus laicus aduersus clericum, nullus clericus aduersus laicum accusationem proferre valebit, secundum illa, quæ in memorato sermone ex verbis S. Silvestri sunt dicta, quomodo quis iudicabitur ab Ecclesię sanctę, vel à legũ publicarũ iudicib⁹, cum nemo vel Ecclesiastico vel ciuili iudicio regulariter atq; legaliter, nisi cum sententia ordine iudiciario, & quæ cum integritate profertur, debeat iudicari. Nam si presbyter approbari non poterit, nisi cum tot idoneis testibus, sicut ibidem scriptum est, nunquam probabitur. Sunt enim apud nos Presbyteri, qui tot Parochianos non habent, qui mansa teneãt & vxores, ac filios habeãt; quot testes idoneos ad comprobandum Presbyterum sermo ille requirit. Frustra igitur sacri canones, & decreta sedis Romanę Pontificum expressa iudicia de singulis gradibus pro euidentibus culpis promulgauerunt. Et leges inaniter ad prauos coercendos vel puniendos decretæ sunt, si exequendæ non sunt; præsertim cum S. Leo de sacris canonibus dicat. *Igitur secundum sanctorum Patrum canones spiritu* Dei *conditos, & totius mundi reuerentia consecratos Metropolitanos singularum prouinciarum Episcopos ius traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus; ita vt à regulis præstitutis nulla aut neglegentia aut præsumpti-*

Leo ep. 84. 25. q. 2. c. igitur. Statuta vetera non violanda.

sumpti-

præsumptione discedant. In eo enim, quod dicit, *vt nulla neglegentia à regulis præstitutis discedant*, tradiderunt nobis magistri nostri intellegendũ, vt segnes non sint Episcopi ad exequẽda statuta. In eo, quod dicit, *vt nulla præsumptione à præstitutis regulis discedant*, intellegendum dixerunt, vt statuta supergrediẽdo nequaquã excedant. Vnde idem B. LEO aliis verbis Scripturæ sententiam protulit, quæ dicit, *non declines ad dextram, neque ad sinistram*. Prou. 4. 27.

CAPVT XXVII.

DE Legibus autem VALENTINIANVS, & THEODOSIVS, & ARCHADIVS, decreuerunt, dicentes. *Perpensas Serenitatis nostræ longa deliberatione constitutiones nec ignorare quenquam, nec dissimulare permittimus*. Interpretatio. *Leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere*. Et S. CÆLESTINVS paria de sacris canonibus dicit. *Nulli*, inquiens, *sacerdoti suos liceat canones ignorare; nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur?* Non igitur frustra Ecclesiasticæ regulæ, vel sacræ leges inaniter sunt promulgatæ, sed regulari ac legali ordine sunt exequendæ. Quoniam sicut S. AVGVSTINVS & cæteri Doctores Catholici ex euangelica auctoritate ostendunt, de apertis commissorum nobis erratibus, non solum potestatem, sed & præceptum iudicandi, vt corrigantur, habemus, sicut sunt stupra, blasphemiæ, furta, adulteria, homicidia, ebrietates, rapinæ, & his similia, de quibus Dominus dicit. *A fructibus eorum cognoscetis eos*, & Apostolus. *Manifesta autem sunt opera carnis*. De occultis verò fraternæ conscientiæ, & in dubiis maximè rebus & qua intentione vel necessitate geruntur, cum inspicere nequimus,

Leges nulli ignorare licet, nec canones.

Cæl. 1. ep. 3. d. 38. c. nulli.

Matth. 7. Gal. 5.

De occultis nō iudicat Ecclesia.

mus, temeritate iudicandi cauere debemus, sed & ambigua eorũ gesta, & quæ in quamlibet partem interpretari possunt, diuino potius examini reseruare iubemur; sicut de genere ciborum, qui possunt bono animo & simplici corde sine vitio concupiscentiæ quicunq; humani cibi indifferenter sumi, ad quorum alimenta, sicut ad medicamenta est accedendum. Quapropter sequentes Apostoli doctrinam Saluatoris nostri de manifestis iudicauerunt peccantes, sicut PETRVS Simonem, Ananiam, & Saphiram; PAVLVS Elymam & fornicatorem apud Corinthios.

Act. 5. & 13. 1. Cor. 5.

CAPVT XXVII.

QVORVM sequentes vestigia successores Apostolorum & iudicia de manifestis peccatis promulgauerunt, & peccantes coram omnibus redarguerunt, atq; iudicarunt. Et qualiter, ac quo ordine pro Patribus Apostolis Ecclesiæ nati filii, Episcopi videlicet, debeant in peccantes proferre iudicia, sancti Pontifices LEO & GREGORIVS exponentes sententiã Domini dicentis ad Apostolos, & per eos ad successores eorũ. *Quæ ligaueritis super terram, erunt ligata in cælis.* &. *Quæ solueritis super terrã, erunt soluta in cælis*, patenter ostendunt. *Beatissimo Petro*, inquit LEO, *à Christo dicitur, tibi dabo claues regni cælorũ, & quæcunq; ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunq; solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Transiuit quidem etiam in alios Apostolos * vis istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commeauit: sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimetur. PETRO enim ideò hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicunq; ex ipsius fertur æquitate iudicium. Nec nimia est vel seueritas, vel remissio, vbi nihil ligatum, nihil est solutum, nisi quod B. PETRVS, aut ligarit,*

Matth. 18.

Leo serm. 3. in anniuers. assumpt.

* ius.

Cur B. Petro speciatim data potestas ligandi soluendique.

garit, aut soluerit. Et S. GREGORIVS. *Sæpe igitur, vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex vitæ fiat alienæ, vt vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat, cum suæ voluntatis motum, non autem causarum merita sequitur. Vnde fit, vt ipse hac ligandi ac soluendi potestate se priuet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subiectorum moribus exercet. Iudicare enim dignè de subditis nequeunt, qui in subiectorum causis sua vel odia, vel gratiam sequuntur. Vnde rectè per prophetam dicitur. Mortificabant animas quæ non moriuntur, & viuificabant animas, quæ non viuunt. Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat, & non victurum viuificare nititur, qui reum supplicio absoluere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda.*

Greg. hom 26 in Euang.

Non sine causa danda absolutio.

Ezech. 13.

CAPVT XXVIII.

ET in Synodis Romanis Apostolicorum EVGENII, atq; LEONIS IV. vbi sacerdotem post condemnationem esse oporteat cõstitutum est, vt sacerdos, aut quiuis alius in ordinem Ecclesiasticũ prouectus, *si in eo scelere inueniatur, quo abiiciendus existat, depositus prouidentia Episcopi bene prouiso loco constituatur, vbi peccata lugeat, & vlterius non committat.* Et Magnus LEO Papa longè ante auctoritate Scripturæ sacræ ad Hilarium Episcopum Narbonensem decreuit, *vt Presbyteri vel Diaconi lapsi ad promerendã misericordiam Dei priuatam expetant secessionem, vbi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.* Hæc à maioribus nostris de infamati Presbyteri depositione, vel qualitatis purgatione ratione & auctoritate ac consuetudine in istis Cisalpinis regionibus exequenda & tradita nobis accepimus.

EVGEN. II

Dist. 81. c. Sacerdos.

Leo ep. 92. ad Rust. Narb. Episcopum.

Pœna clericorum lapsorum.

CAPVT XXIX.

SI aũt Presbyter vel Diaconus de certis causis accusatus,

Iudicium refugientes contumaces.

tus, & legaliter atque canonicè ad iudicium prouocatus regulare iudicium subterfugerit, decretum est sacris legibus, quas ex Euangelica auctoritate trina conuentione probant prima Ephesina Synodus, & magnum Chalcedonense Concilium, & S. CÆLESTINVS in epistola ad Nestorium, & S. GREGORIVS in epistolis suis, vt trinis litteris, vel edictis quiq; conuentus, si ad iudicium suum, à quo de certis causis regulariter accusatus conuentus est venire noluerit, sententiam contumacis suscipiat. Hinc & S. BONIFACIVS Papa ad Gallicanos Episcopos decreuit, *Vt conuentus quisq;, si adesse voluerit præsens, si confidit, ad obiecta respondeat: si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto, & toties delegato iudicio purgandi se occasione non vtitur. Nihil enim interest, vtrum in præsenti examine omnia, quæ dicta sunt, de eo comprobentur, cùm ipsa quoque pro confessione procurata toties constet absentia.* Quia, vt S. GELASIVS dicit, *ideò vocatur ad iudicium certa quacunque persona, vt aut fateatur obiecta, aut conuincatur obiectis. Et ab ea sententia, quæ aduersus contumaces data est, neque appellari, neque in duplum reuocari potest, sicut leges diffiniunt.*

Greg. lib. 11. ep. 54.

Bonif. ep. 1. 3. q. 9. c. decernimus.

CAPVT XXX.

ET S. GREGORIVS in epistolis suis ex eisdem legibus promulgauit. *De cætero Presbyteri vel Diaconi pro causa pecuniaria, quæ alio nomine in regulis sacris ciuilis causa vocatur, pro peruasione rei alicuius, seu pro quibuscunque grauibus iniuriis ad iudicium fuerint prouocati, licet in criminalibus causis per alium nulli liceat respondere, Episcopis tamen & Presbyteris sacris legibus præstatur, vt in talibus causis misso procuratore, id est, dato pro se aduocato respondeant, sine dubio, vt ad eos redeat sententia iudicati. In reliquis verò criminalibus causis, vbi de scelere*

Quando in criminalibus & ciuilibus causis clerico liceat per alium agere causam.

lere persona conuincenda est, suam in iudicio præsentiam exhibere procurent. Quod si tertiò conuenti per executorem ad iudicium venire noluerint, vt præmissum est, sententiam accipiant contumacis.

CAPVT XXXI.

DE peruasione autem: quisquis Ecclesiasticorum relictis vel contemptis legibus res alienas peruaserit secundum B. GREGORII Papæ decretum ante corpus B. PETRI prolatum anathematis vinculo ligari præcipitur, sicut in eodẽ decreto, sed & in aliis suis epistolis non tantum semel & secundò, sed & tertiò patẽter ostendit, vt nemo Ecclesiasticorum, si putat Ecclesiæ suę res quaslibet debere competere illegaliter eas peruadat, sed legaliter illas acquirat. Et in Synodis Romanis Apostolicorum EVGENII, atque LEONIS IV. de peruasione quasi pro parte Ecclesiæ facta decretum est, *vt si quispiam inuasor comprobatus dicat pro parte Ecclesiæ se egisse de priuata sibi re pertinente ab ipso suoque hærede soluatur inuasio. Sacerdos denique in tali culpa pauper inuentus à proprio canonicè iudicetur Episcopo, vt non Ecclesia sibi commissa damnum sustineat, sed illæsa huius persuasionis temeritate permanere sanciamus.* Et in eadem Synodo decretum est, vt Episcopi, vniuersique Sacerdotes habeant aduocatos, quia Episcopi, vniuersique Sacerdotes ad solam laudem Dei, bonorumq; operum actionem constituuntur. *Debet ergo vnusquisque eorum tam pro Ecclesiasticis, quàm etiam propriis suis actionibus excepto publico videlicet crimine, habere aduocatum, non malè suspectum, sed bonæ opinionis & laudabilis artis inuentum: ne dum humana lucra attendunt, æterna præmia perdant.* Et item ibi de his qui aduocatos inuenire nequeunt. *Si enim fuerit quispiam Sacerdotum inuentus, qui aduocatum in iudicium*

De hac Synodo lege Baron. tom. 9.

Episcopi & presbyteri debent habere aduocatos.

proferre non valeat, coram plebe propria suum Episcopum eundem oportet discutere Sacerdotem, si bona aut malæ conuersationis existat: vt cuius rei causa debitè aduocatum habere non possit, male verò inuentus pro qualitate culpæ secundum canonum normam emendari curetur.

CAPVT XXXII.

SI quis verò Presbyterorum, vel reliquorum clericorum de obiecto crimine, vel commota ciuili causa se relicto Ecclesiastico iudicio publicis iudiciis purgari voluerit, Carthaginenses canones capite IX. decernunt, & ex eisdem canonibus LEO, & Romana Synodus vniformiter decreuerunt, vt de criminali causa, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat. in ciuili verò perdat, quod euicit, si locum suum obtinere maluerit.

C. Carth. 3. C. Rom. sub Sylu cap. 16. 11 q. 1. c. placuit. Leo ep. 96.

CAPVT XXXIII.

DE proprietatibus autem, quas aut ante ordinationem Presbyteri habuerunt, vel post ordinationem quolibet modo acquisierunt Carthaginenses canones capite XXXII. constituunt: *vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel quicunque clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatus vel Clericatus sui agros, vel quæcunque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum dominicarum inuasionis crimine teneantur, nisi admoniti Ecclesiæ eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis propriè aliquid liberalitate alicuius, vel successione cognationis obuenerit, faciant inde, quod eorum proposito congruit. Quod si à suo proposito retrorsus exorbitauerint honore Ecclesiastico indigni, tanquam reprobi iudicentur.* Sic & lege IVSTINIANI Constitutione CCCC. XXVII. capite CCCCLIII. & capite DXXII. constitutum est.

C. Carthag. 3. can. 49. 12. q. 3. c. placuit.

Clerici quæ bona propria habere queant.

Iustin. nouel. const. 123.

Et S.

Et S. GREGORIVS in epistolis suis ex eisdem sacris canonibus & legibus promulgauit, atque constituit. Greg. ep. 11. lib. 5.

CAPVT XXXIV.

SED quia neglegentia vel indebito fauore ministrorum Episcopalium necessaria minus curante, & Presbyterorum cupiditate, & lasciuia inolescente per parrochias vitium solet excrescere, quod necesse est sollicitus resecare. videlicet, quidam Presbyteri de reditibus Ecclesiæ vel oblationibus ac votis fidelium res post ordinationem suam comparant, & in illis structuras faciunt, & quæ ad Ecclesiam pertinent ibidem collocant, & in eisdem mansis mulieres recipiunt, quæ lanificium suum exerceant, & domus curã gerant. Et hac occasione suas Ecclesias neglegunt, & ad eosdẽ mansos recurrũt, & ibi cõmanent contra decreta canonum, fraudẽ facientes de facultatibus Ecclesiasticis: quoniam hoc agere sacrilegum est, & par crimen Ananiæ, & Saphyræ, atque Iudæ furis, qui sacras oblationes, quæ ad vsus fidelium ac pauperum mittebantur asportabat & furabatur. Eosdem etiam mansos, non Ecclesiis secundum sacros canones derelinquere, sed contra canones, vel propinquis suis, vel aliis, quibuscunque solent distrahere, cùm nullam proprietatem Episcopus vel Presbyter melius vel firmius possit habere, quàm quæ est Ecclesiæ attributa, si secundum ordinem suum viuere voluerit: si autem ordinem pro sua culpa perdiderit, nec alode, quem à die ordinationis suæ de Ecclesiasticis facultatibus acquisiuit, habere valebit, cui iuxta decreta S. LEONIS ad pœnitentiam agendam secreta est expetenda secessio.

Abusus clericorũ perstringitur.

Act. 5.

Alode, vel allodium quid sit. vide P. Gregor. lib. 6. syntagm. cap. 1.

Leo ep. 92.

CAPVT XXXV.

VNDE necesse est, vt per singulos annos ministri Episcoporum inquirant, quid parcat in singulis Ecclesiis de parte decimæ, quæ iuxta sacros canones Ecclesiæ competit, sed & de matriculariis per singulas Ecclesias iuxta facultatem & possibilitatem loci curã adhibeant, ne Presbyteri pro locis matriculæ xenia accipiant, ne suos parentes sanos & robustos in eadem matricula collocent, nec opera ab ipsis matriculariis exigant. non de matriculariis bubulcos aut porcarios faciant, sed pauperes ac debiles, & de eadem villa, de qua decimam accipiunt, matricularios faciant. Si autem ipse Presbyter habeat fratrem, aut aliquem propinquum debilem, aut pauperrimum, qui de eadem decima alendus sit, Apostolica est sequenda sententia, qua dicit. *Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Reliquos propinquos, si iuxta se habere voluerit de sua portione sine dispendio Ecclesiæ vestiat atque pascat: Nam aliud est sine dispendio Ecclesiæ amicis vel parentibus pauperibus, aut quibuslibet necessituosis ex caritate cum mensura & ratione subuenire, vel adiutorium ferre, & aliud cum destructione Ecclesiæ, vel dissipatione facultatum Ecclesiasticarum, quæ sunt Ecclesiæ, malè dispendere. Prouidendum est etiam, vt de nihil habentibus promoti Presbyteri, non præsumant, quæ de facultatibus Ecclesiæ comparauerunt vendere, vel quasi ad calam DEI tradere, nisi ad Ecclesiam, cuius propriæ esse debent.

Quomodo bona Ecclesiæ cõseruanda.

1. Tim. 5. 8.

Qui pauperes in clerum assumpti, non possint sua vendere.

EPISTO-

EPISTOLA VIII.

IN hac Epistola, vel Potius Appendice superioris epistolæ Hincmarus tractat speciatim exemplum criminosi Clerici, nempe TEVTFRIDI *Presbyteri, de furti & sacrilegii crimine delati. Ac primo quidem probat causam hanc debere secundum leges ciuiles & Ecclesiasticas, idq; intra prouinciæ terminos in qua crimen admissum est ab Episcopo, vel certe à totius prouinciæ Episcopis agitari. 2. docet quam graue scelus committant secundum S. Patres, qui res Ecclesiis oblatas diripiunt. 3. quæ pœna Teutfridum maneat, si neglecto Ecclesiastico iudicio confugiat ad palatium Imperatoris, vel testes alios vi vel dolo in communionem sui periurii trahat.*

CAPVT I.

S. GREGORIVS Papa in Regesto Decretorum suorum multoties negotia Ecclesiastica, & causas Ecclesiasticorum legaliter ac regulariter debere diffiniri decernit. VBI, vel à quibus causa de TEVTFRIDO Presbytero agitanda vel diffinienda sit, leges decernunt, vt vltra prouinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur. Oportet enim illic criminum iudicia agitari, vbi facinus dicitur admissum. Peregrina autem iudicia præsentibus legibus coercemus. Et Carthaginenses canones cap. 30. *Placuit*, inquiunt, *vt accusatus vel accusator in eo loco, vnde est ille qui accusatur; si metuit aliquam vim temerariæ multitudinis locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, vbi causa finiatur.* Et Synodus Africæ prouinciæ in epistola ad Cœlestinum Papam. *Prudentissimè, inquit, iustissimeq; prouiderunt Patres; quæcunq; negotia in suis locis, vbi orta sunt finienda.*

Lites vbi ortæ sunt, finiendæ.

3. q. 6. c. ibi & c. si quis.

Cœlest. c. 105.

CAPVT II.

PRESBYTER confessus vel conuictus, à proprio Episcopo;

Presbyter ab Episcopo, vel metropol. iudicandus.

bitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur. Qui autem pecuniam vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & vt sacrilegus iudicandus est. Et S. VRBANVS Papa & Martyr. *Res & facultates Ecclesiasticæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota sunt fidelium, ac precia peccatorum: si quis illa rapuerit, reus est damnationio Ananiæ & Saphiræ.* & oportet huiusmodi tradere Satanæ, vt spiritus saluus fiat in die Domini. Et S. LVCIVS Papa. *Rerum Ecclesiasticarum & facultatum raptores à liminibus sanctæ Ecclesiæ anathematizatos Apostolica auctoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus. Par enim pœna & agentes & consentientes comprehendit.* Et S. GREGORIVS Papa. *Sacrilegũ,* inquit, *& contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, prauæ voluntatis studijs suis tentauerit compendijs retinere.* Et S. AVGVSTINVS à sede Apostolica per B. Cælestinum inter optimos Ecclesiæ magistros meritò computatus in sermone Euangelij B. Ioannis dicit. *Ecce inter sanctos est* IVDAS, *ecce fur est Iudas, & ne contemnas, fur sacrilegus, non qualiscunque fur, sed loculorum Dominicorum: loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro, non qualiscunque fur, sed peculator. Peculatus enim dicitur furtum de re publica. Et non sic iudicatur furtum rei priuatæ, quomodo publicæ. Quanto vehementius iudicandus est sacrilegus fur, qui ausus fuit non vndecunque tollere, sed de Ecclesia tollere. Qui aliquid de Ecclesia furatur & rapit, Iudæ perdito comparatur.* Et hinc sacri canones dicunt. *Clerici, vel etiam sæculares, qui oblationes parentum aut donatas, aut testamẽto relictas retinere præsumpserint, aut id quod ipsi donauerint Ecclesiis vel monasterijs crediderint auferendum, sicut Synodus sancta constituit velut necatores pauperum, quousque reddant, ab Ecclesiis excludantur, & qui ab Ecclesiis excluduntur, in gradu Ecclesiastico manere non permittantur.*

Sacrilegus est res Ecclesiæ tollens.

Vrb. ep. ad omnes Christianos.

Lucius epist. ad Gall & Hisp. Episc.

Greg. ep. 6 li. 8. 17. q. 4. c. sacrilegium.

Aug. tract. 50 in c. 12. Ioan.

Iudas fur sacrilegus.

Pœna retinentium res Ecclesiis oblatas.

CAPVT

CAPVT IV.

SI TEVTFRIDVS confessus vel conuictus fuerit relicto Ecclesiastico iudicio ob defensionem vel purgationem suam palatiũ expetisse, inferendum illi capitulum vndecimum Antiocheni Concilij. *Si quis Episcopus, aut presbyter, aut quilibet regulæ subiectus Ecclesiasticæ, præter consilium vel litteras Episcoporum prouinciæ & præcipuè Metropolitani, adierit Imperatorem vel Regem, hunc reprobari & abijci oportere non solum à communione, sed & ab honore, cuius particeps videtur existere, quia venerandi Principis auribus molestiam tentauit inferre circa leges Ecclesiæ. Si igitur adire Principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cum tractatu & consilio Metropolitani & cæterorum Episcoporum, qui in eadem prouincia commorantur, qui etiam proficiscentem suis prosequantur epistolis.* Et Carthaginenses canones capitulo IX. *Quisquis,* inquiunt, *Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, seu clericorum, cum in Ecclesia crimen ei fuerit intentatum, vel ciuilis causa fuerit commota, si relicto Ecclesiastico iudicio publicis iudicijs purgari voluerit, etiamsi pro ipso prolata fuerit sententia, locum suum amittat, & hoc in criminalibus. In ciuili verò perdat quod euicit, si locum suum obtineri maluerit.* Et S. LEO Papa, & Synodus Romana. *Censemus, vt quicunq̃ prætermisso sacerdote Ecclesiæ suæ ad disceptationem venerit secularium sacris liminibus expulsus à cælesti arceatur altario.*

C. Antioch. tom. 1. Concil.

C. Carth. 3. c. 9. 11. q. 1. c. placuit. Pœna clerici ad iudicium seculare confugientis.

Leo ep. 96.

CAPVT V.

SI TEVTFRIDVS conuictus vel confessus fuerit, quod manifestè vel ingeniosè proximos suos in periurium induxit, sciendum est, quia tot periuriorum reus est, quot homines malitiosè in periurium induxit, & maius peccatum inde ille ipse habet, quam illi, qui pro eo ipso rogante iurauerunt, sicut Dominus loquens ad Pilatum manifestat

Periurii grauitas.

manifestat dicens. *Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet.* Et S. GREGORIVS de huiusmodi in pastorali regula dicit. *Scire enim Prælati debent, quia si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Vnde necesse est, vt tanto se cautius à culpa custodiant, quanto per praua quæ faciunt non soli moriuntur, sed aliorum animarum, quas prauis exemplis destruxerunt rei sunt.* Et Presbyter quanto gradu quolibet Christiano laico est celsior, tanto culpa illius est grauior, & qui illorum periurio est colligatus, in illorum est periurio captus, ad per hoc secundum capitulum XXV. Apostolicorum canonum de periurio iudicandum. Vnde S. HIERONYMVS exponens sententiam Ezechielis prophetæ de præuaricato iuramento à Sedechia rege dicit. *Multo enim fidelior inuentus est ille, qui propter nomen Dei tibi credidit & deceptus est, te, qui per occasionem diuinæ maiestatis hosti tuo, imò iam amico molitus es insidias. Propterea Scriptura dicit. Iuramentum quod spreuit, & fœdus quod præuaricatus est, ponam in caput eius. Legimus enim Sedechiam captum ductum esse in Reblatha, ibiq; interfectis filijs excæcatũ, & instar feræ clausum cauea translatum in Babylonem. Rex quippe Babylonius*, vt B. GREGORIVS exponit, *est antiquus hostis possessor intimæ confusionis, qui prius filios ante intuentis oculos trucidat, quia sæpe sic bona opera interficit vt hæc se amittere ipse qui captus est dolens cernat. Nam * bona gignit plerumq; animus, & tamen carnis suæ delectationibus victus bona quæ genuit amans perdit, & quæ patitur damna considerat, non tamen virtutis brachium contra regem Babylonium leuat, sed dum videns nequitiæ perpetratione percutitur, adhoc quandoq; peccati vsu perducitur, vt ipse quoq; rationis lumine priuetur, vnde Babylonius rex, extinctis prius filijs, Sedechiæ oculos eruit, quia malignus spiritus subductis prius bonis operibus post & intelligentiæ lumen tollit.*

Ioan. 19.
Greg. 3. par. admon. 5.
Hieron. in c. 17. Ezech.
Greg. l. 18. mor. c. 18.
* nam gemit.

Quod rectè Sedechias in Reblatha patitur, Reblatha quippe multa hæc interpretatur. Ei enim quandoq; & lumen rationis clauditur, qui prauo vsu ex iniquitatis suæ multitudine grauatur. Hæc omnia iusto Dei iudicio patitur, qui iuramentum in nomine Domini præuaricatur, *quoniam qui contemnit*
Hieron. loc. ci. *iuramentum*, vt beatus dicit Hieronymus, *ipsum despicit, per quem iurauit, illiq; facit iniuriam, cuius nomini credidit aduersarius*, hoc est, ille cui iuratum est in nomine eius, qui dicit.
Exo. 20. *Non accipias nomen Domini Dei tui inuanum. neq; polluas illud.*
Matth. 5. Et. *reddes Domino iuramenta tua.* Et psalmus dicit, illum
Psalm. 14. futurum in loco sancto, *qui iurat proximo & non decipit.*

CAPVT VI.

Si autem dicere voluerit, quia necessitate coactus illud iuramentum facere iussit, quod tamen seruare potuit & debuit, & ideò reus periurij non teneatur, audiat, quid S. GREGORIVS dicat de illo qui iurat, vel anathe-
Iuramentum coactum. matizat. *Qui iurare vel anathematizare debet, & blanditur tibi, quod non teneatur reus, si præuaricatus fuerit quod iurauit, vel anathematizauit, quia inuitus hoc egit, si qui sunt, qui dicant, quod compulsus quispiam necessitate, si anathematizauerit anathematis vinculo non teneri, ipsi sibi testes sunt qui hoc dicũt, quia Christiani non sunt, qui ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus soluere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus veram putant, si ligaturas eius valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia per omnia despiciendi & anathematizãdi sunt, & vnde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur: eosq; & ego, & omnes Catholici Episcopi, atq; vniuersalis Ecclesia anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, & contraria loquuntur.*

CAPVT

CAPVT VII.

SI autem dixerit, quod plures solent dicere, quia per ingenium iurare iussit, non putet verbi arte se posse fallere Dominum, cui nihil occultum est, & qui non vt iurat quis, attendit, sed vt is putauit, cui iuratum est, & proximi iuramento credidit. Qui autem per dolum iurat, vt Catholici Doctores dicunt: primum Deo reus est, cuius nomen contra præceptum legis assumit in vanum, deinde proximo, quem atra fraude fallere putat, dicente Psalmista, quia *innocens manibus & mundo corde, qui non iurat in dolo proximo, accipiet benedictionẽ à Domino.* Sed & sibi ipsi reus est, qui accipit *in vano animam suam* contradicente Psalmista.

Iuramentum dolosum.

Psal. 23.

EPISTOLA IX.

AD IOANNEM VIII. PONTIF. Maximum.

ARGVMENTVM.

CAROLVS II. *Imperator, primò conqueritur, quæ de criminosis sacerdotibus à Carolo Magno olim statuta erant, & ab Eugenio 2. & Leone 4. Pontificibus Rom. renouata, non obseruari. 2. quæ de honore Episcopis deferendo, & appellationibus scripturus est iudicio Ioan. VIII. Pontificis subiicit. 3. quia Episcopi Apostolis succedunt, & semper à Constantino Magno alijsq; Imperatoribus in magno honore sunt habiti, meritò à se quoq; & ab ipso illis debitum honorem deferendum: & si vt homines sunt, lapsi fuerint, causam eorum à comprouincialibus Episcopis & Metropolitano proprio tractandam, negotia siquidem, vbi orta sunt, ibi finienda iuxta canones. Quod si ab eorum iudicio ad Papam appel-*

latum fuerit, tum Papam, secundum eosdem canones, cognita vtrinq; causa, vel probare debere iudicium Episcoporum, vel renouare. Si enim secus fiat, facile in tanta locorum distantia posse in informatione fraudes obrepere. 4. docet cæteros clericos accusandos apud Episcopum. illosq; ab eo posse appellare ad finitimos Episcopos, vel Synodum prouincialem. Deniq; monet Papam, vt secum tueatur obseruationem veterum canonum, caueatq; ne Episcopi facilè aliquem excommunicent.

IOAN. VIII.

CAR. CALVVS.

SANCTISSIMO AC REVERENDISSIMO Patri IOANNI *summo Pontifici & Vniuersali Papæ* KAROLVS *gratia* DEI *Imperator Augustus, & spiritalis filius vester.*

CAPVT I.



NTEQVAM prouinciæ Transalpinæ propter seditiones & bella frequentia progenitorum nostrorum temporibus sacrarum legum ac regularum notitiam & obseruationem plenè caperent, sicut postea per incrementa studio illorum ab hac sancta sede gratia DEI cæperũt: gloriosæ memoriæ auus noster KAROLVS Imperator Augustus diu per egregios ac præcipuæ auctoritatis & sapientiæ viros de Presbyteris ex criminibus diffamatis qualiter iudicari, pel purgare se debeant perquisiuit, & repperit: sicut in suæ Imperialis auctoritatis edictis, quæ in alia schedula habemus scripta, posteris seruanda reliquit; quæq; vsq; ad nostra tempora extunc in Transalpinis regionibus seruata, & quando necessitas postulauit, executa fuerunt.

CAROL. MAGNVS de Clericis criminosis, quid agendum inquisiuit

CAPVT II.

IN diebus autem Domini & genitoris nostri piæ memoriæ

memoriæ HLVDOWICI Imperatoris, cum ipsa tepesci executio aliquatenus cœpit, apud Papam EVGENIVM inde ab eo commonitio facta est. Qua de re Synodum isdem vniuersalis Papa conuocans inter alia generalia decreta promulgare curauit, quæ LEO IV. tempore fratris nostri HLOTHARII, & nepotis nostri HLVDOWICI obseruanda decreuit. sicut in gestis Synodalibus, & in huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ archiuo haberi credimus, & ab hac sancta Sede nostris decessoribus directa venerabili sanctione habemus. Cum autem non longè ante hos annos nepos noster HLVDOWICVS Italiæ Imperator instinctu quorundam contra nos se commouit, missæ sunt nobis epistolæ quasi ex Apostolicæ huius Sedis auctoritate ac nomine, quas tenoris inconuenientia hanc sanctam & discretissimam Sedem non misisse ostendit.

LVDOV. II. EVGEN. II. Papa vniuersalis.

Vide Bar. tom. 9. ad annum 826.

Ludou. II.

CAPVT III.

ET quoniam prauis sæpius praua quàm recta innotesci solent, nacta hinc occasione Transalpinarum regionum Presbyteri à suis Episcopis de certis criminibus regulariter ab ordine Sacerdotali deiecti, & pœnitentiæ subacti sine licentia & conscientia Primatuum & Episcoporum suorum huc venire, & hinc epistolas, quæ regulis non conueniunt, referre cœperunt. Quas non iussione Apostolica, sed, vt assolet, etiam in republica propter multiplicia reclamatorum negotia, quorumcunq; ministrorum quasi pia miseratione factas, & nos, & illius regionis putant Episcopi. Quapropter, quia, vt S. AVGVSTINVS dicit, *cogũt multas inuenire medicinas multorũ experimenta morborum*, intermissis propter prolixitatem sacrarum legum capitulis prædecessorum nostrorum Impe-

Huc, *id est*, *Romam*.

Aug. ep. 50. ad Bonif. comitẽ.

ratorum, quibus Ecclesiasticæ regulæ consonant, necessarium duximus pandere Sanctissimæ vestræ Paternitati, ac summæ auctoritati, qualiter regulas de honore in suo statu Episcoporum, & de appellatione, si necessitas & ratio in deiectione illorum poposcerit, sed & de appellatione Presbyterorum intellegimus, & intellegi á Rectoribus transalpinarum Ecclesiarum didicimus: quatenus ab huius sanctæ Sedis auctoritate nostra sana, vt credimus, intellegentia confirmetur, à qua fidei ac religionis sumpsit initium, & quotidie, gratias Deo, sumit augmentum. Et si quid malè in agro Dominico pullulat, decreti vestri falce recidatur. Si etiam quorumcunque neglegentia, vel præsumptione à præstitutis regulis est discessum, vestræ auctoritatis industria sit reformatum.

Expositionem de priuileg. Episcop. subiicit iudicio Pontif.

A Romana Sede fidei Christianæ est initium.

CAPVT IV.

SICVT Dei virtus Christus & Dei sapientia ordinem ac dignitatem Apostolorum, & septuaginta discipulorum in carnis præsentia distinxit, vt lectio S. Euangelii patenter ostendit: ita idem ipse, *per quem Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt* sacris legibus & canonibus spiritu suo conditis, & totius mundi reuerentia consecratis ordinem & dignitatem Episcoporum, qui locum in Ecclesia tenent Apostolorum, & Presbyterorum, qui subrogantur loco septuaginta discipulorum, & in administratione & in honore: sicut & in veteri testamento inter Sumos Pontifices, & inter minoris ordinis Sacerdotes discreuit. Quapropter ab omnibus honorandi ac venerandi sunt *pro Patribus nati filij*, id est, pro Apostolis ordinati Episcopi & ordinis dignitate, & illius honore, qui eis Apostolis dixit. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos*

1 Cor. 1. Matth. 10. Luc. 10.

Prou. 8.

Episcopi Apostolis presbyteri 70. discipulis succedunt.

Aug in Psal. 44.

Ioan. 15.

amicos meos. Et. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*. Et de eis. *Ite nunciate fratribus meis*. Et alia, quæ de illorum veneranda honoratione sacræ Scripturæ textus eloquitur. Luc. 10. Matth. 28.

CAPVT V.

Qvi fortè, si aliqui temporalibus rebus sunt pauperes, & fortè meritò diuites, pro certo autem sunt ordine sacro sublimes, à nullo quolibet, siue Ecclesiastica, siue sæculari potestate prædito debent vilipendi, nec potentibus sæculi modo quocumque postponi, præcipiente omnibus Apostolo IACOBO. *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri IESV CHRISTI gloriæ*, quia non qui ditiores ad sæculum, hi in diuino examine sunt meliores. *Nonne*, inquit, *DEVS elegit pauperes in hoc mundo? diuites in fide, & hæredes regni, quod promisit diligentibus se*? Et PAVLVS. *Ignobilia & contemptibilia mundi elegit DEVS*, & reliqua. Et S. GREGORIVS in epistola ad MAVRITIVM Imperatorem. *Sacerdotibus*, inquit, *non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cuius serui sunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat. Nam in diuinis eloquiis aliquando Sacerdotes Dij, aliquando angeli vocantur. Nam & per Moysen de eo, qui ad iuramentum deducendus est, dicitur. Applica illum ad Deos, id est, ad Sacerdotes. Et rursum scriptum est. Diis non detrahes, scilicet Sacerdotibus. Et propheta ait, Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Quid ergo mirum si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut angelos, aut Deos ipse etiam appellat Deus? Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cum piæ memoriæ CONSTANTINO Principi in scripto oblatæ accusationes*

Episcopi pauperes non sunt spernendi. Iacob. 2. 1. Cor. 1. Greg. lib. 4. reg. ep. 31. 11. q. 1. c Sacerdotibus. Exod. 22. Malach. 2.

Ruffin. lib. 10. c. 2. Constantinus Episcopos Deos vocat.

sationes contra Episcopos fuissent: libellos, quos acceperat, incendit, dicens. Vos Dij estis, à vero Deo constituti: ite, & inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est, vt nos iudicemus Deos. In qua tamen sententia, pie Domine, sibi magis ex humilitate, quam illis aliquid præstitit ex reuerentia impensa. Ante eum quippe pagani in Republica Principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, Deos ligneos & lapides colebant, & tamen eorum Sacerdotibus maximum honorem tribuebant. Quid ergo mirum, si Christianus Imperator veri Dei Sacerdotes dignetur honorare, dum pagani, vt prædiximus, Principes honorem impendere Sacerdotibus nouerunt, qui diis ligneis & lapideis seruiebant? Et idem sanctissimus atque facundissimns & discretissimus, veraciterque in oculis Dei humillimus in epistola ad IOANNEM Episcopum SYRACVSANVM scribens de Episcopo Constantinopolitano inter alia dicit. *Quod Sedi Apostolicæ dicat se velle subiici, si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit. Cùm verò culpa non exigit omnes secundum rationem humilitatis æquales sumus.*

S. Gregorius laudatur.

Greg. lib. 7. ep. 63.

CAPVT VI.

POST CONSTANTINVM autẽ quiq; Christiani Imperatores decessores ac prædecessores nostri leges de Episcoporũ honore ac priuilegio cõdiderunt. Proinde PATER sanctissime, quia, vt S. GELASIVS dicit. *Duo sunt quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas*, ad quas appellari potest, & à quibus nemo permittitur appellare sub oculis distincti & æquissimi Iudicis Dei, qui sine personarum acceptione iudicat, nostra ponderemus iudicia: quia etsi plærunque existunt inter neglegentes vel desides fratres, quæ oporteat maiore auctoritate curari, *sic tamen est*, vt S. LEO dicit, *adhibenda correctio, vt semper sit salua dilectio, & plus erga corrigendos*

Gelas. 1. ep. ad Anastas. Imp.

Leo epist. 84. ad Anast.

gendos agat beneuolentia quàm feueritas, plus cohortatio, quàm commotio, plus caritas, quàm poteftas. Epifcopos fanè in fuo ftatu manentes debita veneratione colamus, & à nobis eis competenti honore impenfo cæteris exemplum reuerentiæ erga Sacerdotalem ordinem præbeamus: quia fi nos facrum ordinem in perfonis eorum vilipendimus, qui velut in fpeculo ad fumendum exemplum omnium, qui fubiecti nobis funt, oculis pofiti fumus, pro tantorum culpis à diftricto iudice, Summo videlicet Pontifice, & Rege regum diiudicabimur, quot noftro facto delinquendi, quod abfit, exempla præbuerimus, ficut idem B. GREGORIVS in Regula Paftorali terribiliter intonat, dicens. *Scire etenim Prælati debent, quia fi peruerfa vnqu im perpetrant, tot mortibus digni funt, quot ad fubditos fuos perditionis exempla tranfmittunt. Vnde neceffe eft, vt tanto fe cautius à culpa cuftodiant, quanto per praua, quæ faciunt, non foli moriuntur, fed aliorum animarum quas prauis exemplis deftruxerunt, rei funt. Et contra, quot fuo vel verbo, vel exemplo, vel, quibus poteftas eft data correptionis, correptione (quia fæpe inuitis bona præftantur dicente fummo patrefamilias ad feruum, id eft, Prælatorum chorum. exi cito in vias & fæpes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea) Domino lucrati fuerint, pro tantis gloriæ coronam accipient, atteftante Apoftolo. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ fuæ, faluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Epifcopi etiam à regibus honorandi.

Greg 3. par. admonit. 5.

Luc. 14.

Iacob. 5.

CAPVT VII.

COETERVM quia *non eft homo in terra, qui faciat bonum & non peccet*, & nec ipfi fine peccato fuerunt, qui cœlefti magifterio adhærebant, dicente IOANNE. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nofipfos feducimus, & veritas in nobis non eft.* Et IACOBVS Apoftolus dicit. *In multis offendimus*

Eccl. 7.

1. Ioan. 1.

Iac. 2.

Iob 4. *fendimus omnes.* Et, vt Scriptura ostendit, *in angelis reperta est nequitia*, si necessitas cum multa ponderatione atque examinatione coëgerit Episcopos ab Episcopis iudicari, vel Presbyteros ab Episcopis à gradu Ecclesiastico deiici, sicut in honore atq; administratione, sic & in diiudicatione, atq; appellatione discretionem auctoritas sacra distinxit, decernens, vt si necessitas & pondus legalis ac regularis accusationis exigit Episcopū iudicari debere à suis iudicibus Episcopis, à quibus regulariter vna cum Primate prouinciæ potuit secundum Nicænos & Antiochenos canones, & decreta Sedis Romanæ Pontificum ordinari, congregatis vna cum Primate prouinciæ ipsius regionis Episcopis secundum Sardicenses canones, atque à constituto, iuxta Carthaginenses canones, duodecim Episcoporum numero, si plures nequiuerint congregari canonicè iudicetur.

Episcopus peccans, à quo iudicandus.

CAPVT VIII.

C. Sardic. cap. 7. Episcopo de gradu deiecto appellante ad Papam, quid fieri debeat. I. Innoc. 1. ep. 2. Bonif. 1. ep. 2. Leo 1. ep. 84. c. 11. 2. q. 9. si quis.

ET si isdem accusatus & iudicatus Episcopus congregatis eiusdem regionis Episcopis de gradu suo deiectus Apostolicam Sedem appellauerit, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & ab eo se audiri voluerit post iudicium iuxta Sardicenses canones, & decreta INNOCENTII ad Victritium, & BONIFACII ad Gallicanos Episcopos, & LEONIS ad Anastasium, *scribendum est ab his, qui causam examinarunt, Romano Pontifici. Et si iudicauerit renouandum esse iudicium, renouetur, & det iudices: si autem probauerit talem causam esse, vt non refricentur ea quæ acta sunt, quæ decreuerit, confirmata erunt. Et si iustum putauerit, vt renouetur examen, scribere his dignetur Episcopis, qui in finitima & propinqua prouincia sunt, vt ipsi diligenter omninò requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam audiri iterum deprecatione*

sua mo-

sua mouerit Episcopum Romanum, vt è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi, & quid velit, & quid æstimet. Et si decreuerit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis *iudicent, habentes eius auctoritatem, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit* Episcopos *sufficere, vt negotio terminum imponant, faciet, quod sapientissimo consilio iudicauerit. Interim tamen alter* Episcopus *in cathedra depositi* Episcopi *post appellationem eius non ordinetur, antequam causa eius fuerit in iudicio* Episcopi *Romani determinata.*

C. Sardic. c. 4. In locum Episcopi depositi post appellationem alius non est subrogandus.

CAPVT IX.

QVÆ Constitutio Appellationis ad Apostolicam Sedem non discordat à sacra & mystica NICÆNA Synodo, de qua magnus LEO Papa ad Anatolium scripsit. *Illa*, inquiens, *Nicænorum canonum per sanctum verè Spiritum ordinata conditio in nulla vnquam parte est solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neq; trecentis illis decem atq; octo* Episcopis *quantumlibet copiosior numerus Sacerdotum comparare se audeat vel præferre, cũ tanto diuinitus priuilegio Nicæna sit Synodus consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures* Ecclesiastica *iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diuersum.* De cuius priuilegio & B. AMBROSIVS dicit. *Non humana industria, non compositione aliqua, trecenti decem & octo* Episcopi *ad Concilium conuenerunt, sed vt in numero eorum per signum suæ passionis, & nominis Dominus IESVS suo se probaret adesse Concilio crux in trecentis, IESV nomen in decem & octo est Sacerdotibus. Et mihi*, inquit HILARIVS, *ille ipse numerus hic sanctus est in quo Abraham victor regum impiorum ab eo qui æterni Sacerdotij est forma benedicitur.* Et hinc item B. LEO Papa ad Anatoliũ. *Sancti illi & venerabiles Patres, q in vrbe Nicæna sacrilego*

Leo ep. 53. Auctoritas Conc. Nicæni.

Amb. lib. 1. de fide cap. 9.

Hilar. lib. de Synodis in fine.

Leo ibid.

Arrio cum sua impietate damnato mansuras vsque in finem mundi leges Ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus viuunt: & si quid vsquam aliter quàm illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur.

CAPVT X.

Decretum C. Nicæ II cap 5. II q. 3. c. seruetur.

QVOD sanctum & mysticum Concilium præcipit *de his, qui communione priuantur, vt siue ex clero, siue ex laico ordine ab Episcopis per vnamquamque prouinciam sententia regularis obtineat, vt hi qui abiiciuntur, ab aliis non recipiantur: requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet Episcopi vitio, videatur a congregatione seclusus. Vt hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit annis singulis per vnamquamque prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt communiter omnibus simul Episcopis congregatis prouinciæ discutiantur huiusmodi quæstiones: & sic, qui suo peccauerunt euidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur, vsquequo vel in communi, vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam.*

CAPVT XI.

C Sardic. cap. 3. 4. 5. 7.

CVIVS sanctæ Synodi constitutionem Sardicenses canones non conuellunt, qui cũ Pontificis Romani Vicario, vel arbitrio causam Episcopi in prouinciali Synodo iudicati etiam Episcoporum arbitrio vel iudicio, qui eum iudicauerunt cum Episcopis, qui in finitima & propinqua prouincia sunt præcipiunt terminari, quatenus siue in manenda, siue in immutanda sententia iuxta Nicænos canones commune sit placitum. De quibus sacris canonibus Nicænis Africanum Concilium ad S. CÆLESTINVM Papam scribens. *Prudentissimè*, inquit, *iustissimeq́ prouiderunt, quæcumq́ negotia in suis locis, vbi orta sunt, finienda: nec vnicuique prouinciæ gratiam Spiritus sancti defuturam,*

C. Aphric. epist. cap. 105.

quæ

qua æquitas à Christi sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissimè teneatur.

CAPVT XII.

BEATVS quoq; INNOCENTIVS ad Victricium Rotomagensem Episcopum duo capitula magni Concilij NICÆNI. *De his*, videlicet, *qui communione priuantur ex clero*. & aliud. *Vt per singulas prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesiis.* Et capitulum Sardicensis Concilij de Episcoporum ad Apostolicam sedem appellatione vno capitulo sagaciter atq; patenter explicat, dicens. *Si quæ autem causæ vel contẽtiones inter clericos tam superioris * gradus, quam etiam inferioris fuerint exortæ, placuit, vt secundum Synodum Nicænam congregatis omnibus eiusdem prouinciæ Episcopis * iudicium terminetur. Nec alicui liceat, sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debetur reuerentia, custodiri, relictis his sacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei Ecclesiam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias. Quod si quis forte præsumpserit, & ab officio cleri submotus, & iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores causæ in medio fuerint deuolutæ ad sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & * beata consuetudo exigit, post iudicium Episcopale referantur.* In eo enim, quod dicit, *vt secundum Synodum Nicænam congregatis eiusdem prouinciæ Episcopis de exortis causis * iudicium terminetur*, capitulum Nicæni Concilij de excommunicatis explanat. In eo, quod *ad alias* quemcunq; de Ecclesiastico ordine prohibet *conuolare prouincias*, aliud capitulum Nicæni Concilij explicat, quod iubet, vt per singulas prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesijs, sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, vt si maiores causæ, quarum vna est de Episcopi dijudicati appellatione in medio fuerint deuolutæ ad sedem Apostolicam, sicut

Innoc. I. ep. 2 c. 3.
Grat. 11. q. 1. c. si quæ causæ.
* ordinis.
Nic. Syn. c. 5.
* iurgium.
* vetus.
* iurgium.
Maiores causæ ad Papam deferendæ.

Syn. Sardic. can. 4. & 7.

Synodus, quin Sardicensis statuit, & vetus consuetudo exigit post iudicium Episcopale. referantur. Scilicet, vt aut iuxta præmissum septimum Sardicensis Concilij capitulum appellantis Episcopi causa in prouincia, in qua fuit exorta, diffiniatur, aut iudicium Episcoporum prouinciæ secundum decreta BONIFACII Apostolicæ sedis auctoritate confirmetur: &, sicut LEO scripsit eiusdem sedis sententia roboretur. Quia verò S. INNOCENTIVS non Nicænam, sed Sardicensem Synodum de appellatione Episcopi ad sedem Apostolicam in auctoritatem traxit, qui vtrasq; Synodos legit, apertè intellegit.

CAPVT XIII.

C. Aphri. c. 92. Greg. lib. 11. ep. 54. Iustin. nouell. 123. 11. q. 1. c. de persona.

SACRÆ leges ac Regulæ Presbyteros, & cæteros inferioris gradus clericos non alibi, quàm ad suos Episcopos præcipiunt accusari: à quibus sicut Africæ prouinciæ canones decernunt eorum causa debet audiri: & sicut S. GREGORIVS constituit cum presbyteris vel clericis suæ Parrochiæ iudicari: qui forte si de iudicijs Episcoporum suorum quæsti fuerint, ad quos eis sit prouocandum de appellatione presbyterorum ac diaconorum ad vicinos & finitimos Episcopos Papa ZOSIMVS in commonitorio per Faustinum Episcopum & Philippum ac Asellum Presbyteros directo Carthaginensi Concilio in Concilio Sardicensi capitulo XVII. continetur hoc modo. OSIVS *Episcopus dixit; Quod me adhuc mouet, reticere non debeo. Si Episcopus quis forte iracundus, quod esse non debet, citò & asperè commouetur aduersus Presbyterum siue diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, prouidendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem, & ideò habeat potestatem is qui abiectus est, vt Episcopos finitimos*

C. Sardic. c. 17. 11. q. 2. c. si forte. Iuo. lib. 5. Clericus iniustè à suo Episcopo damnatus potest appellare ad finitimos Episcopos.

nitimos intespellet, & causa eius audiatur, & diligentius tractetur: quia non oportet negari ei audientiam roganti. Et ille Episcopus, qui iustè aut iniustè eum abiecit, patienter accipiat, vt negotium discutiatur, vt vel probetur sententia eius à plurimis, vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerat à communione separatus ante cognitionem nullus debet præsumere, vt eum communioni societ. Hi verò, qui conueniunt ad audiendum si viderint clericorum esse fastum & superbiam, quia non decet vt Episcopus iniuriam vel contumeliam patiatur, seuerioribus eos verbis castigent, vt obediant honesto præcipienti Episcopo. quia sicut ille clericis sincerum exhibere debet amorem caritatis, ita quoq; vicissim ministri infucata debent Episcopo suo exhibere obsequia.

CAPVT XIV.

NEC hoc capitulum Sardicensis Concilij dissentire videtur à capitulo Nicæni Concilij, quo expressius & apertius, quàm Sardicense Concilium, decreuit de his, qui communione priuantur à proprio Episcopo, sicut supra posuimus, & de priuilegijs singulorum Metropolitanorum dicens. *Antiqua consuetudo seruetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim: ita vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem quia & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasq; prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesijs.* Quod exponit Antiochena Synodus dicens. *Per singulas regiones conuenit Episcopos nosse, Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius prouinciæ gerere. Propter quod ad Metropolim omnes vndiq; qui negotia videntur habere concurrant.* Et Constantinopolitanum Concilium dicens. *Vt illa quæ sunt per vnam quamq; prouinciam, ipsius prouinciæ Synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse concilio.*

C. Nic. c. 6.

C. Antioch. can. 9.

Ad metropoli negotia prouinciæ deferenda.

C. Constant. 2.

C. Nicæn. c. 5.

CAAVT

CAPVT XV.

Innoc. I. ep. 18. ET hinc INNOCENTIVS ad Alexandrum Antiochenum Episcopum. *Reuoluentes*, inquit, *auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ vnam omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum: quæ censuit de Antiochena Ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire quæ*

Bonif. I. ep. 3. *super diœcesin suam prædictam Ecclesiã non super aliam aliquam prouinciam recognoscimus constitutam.* Et BONIFACIVS Papa ad Hilarium Narbonensem. *Nulli*, inquit, *videtur incognita Synodi Nicænæ constitutio: quæ ita præcipit, (vt eadem*

Metropolitano non possunt subesse duæ prouinciæ. *propriè verba ponamus), per vnamquamq; prouinciam ius Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subiectas. Quod illi, quia aliter credendum non est, seruandum spiritu sancto suggerente sibimet censuerunt. Quod idcirco dicimus vt aduertat caritas tua, adeò nos canonum præcepta seruare, vt ita constitutio quoq; nostra diffiniat, quatenus Metropolitani sui vnaquaq; prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expe-*

Cælest. 1. ep. 2. c. 4. *ctet.* Et his consonanter CÆLESTINVS. *Iuxta decreta*, inquit, *canonum vnaquaq; prouincia suo Metropolitano conten-*

BONIFACII. *ta sit, vt decessoris nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta. Nec vsurpationi locus alicui Sacerdoti in alterius concedatur iniuriam. Sit concessis sibi contentus vnusquisq; limitibus. alter in alterius prouincia nihil præsumat.* Et LEO

Leo ep. 62. ad Maximum Episcopum. *Etsi*, inquit, *diuersa nonnunquam sunt merita Præsulum, iura tamen permanent Sedium.*

CAPVT XVI.

ET Antiochenum Concilium à magna Synodo Chalcedonensi actione duodecima fauorabiliter col-

C. Antich c. 6. Excommunicati ab Episcopo à nemine suscipiendi nisi à Synodo. laudatum sequens decreta Nicæni Concilij. *Si quis*, inquit, *à proprio Episcopo communione priuatus est, non ante suscipiatur ab aliis, quam suo reconcilietur Episcopo, aut certè ad Synodum,*

dum, qua congregatur, occurrens pro se satisfaciat, & persuadens Concilio sententiam suscipiat alteram. Hac autem diffinitio maneat circa laicos, & presbyteros, & diaconos, omnesq; qui sub regula esse monstrantur. Et loquens de Concilijs capitulo vigesimo, dicit. *In ipsis Concilijs adsint Presbyteri, & Diaconi, & omnes, qui se læsos existimant, & Synodi experiantur examen. Nullis verò liceat apud se celebrare Cõcilia præter eos, quibus Metropolitana iura videntur esse commissa.* Et capitulo decimosexto. *Perfectum verò Concilium illud est, vbi interfuerit Metropolitanus antistes.*

CAPVT XVII.

APPELLANTES autem Presbyteri, vel Diaconi, à quibus, & qualiter sint iudicandi sacri Carthaginenses canones capitulo XX. & capitulo XXVIII. euidenter ostendunt. Vbi autem inter accusatores & accusatos causa debeat agitari Carthaginense Concilium statuit, dicens. V t accusatus, vel accusator in eo loco, vnde est ille qui accusatur locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, vbi causa finiatur. Et hinc leges dicunt. *Criminum discussio ibi agitanda est, vbi crimen admissum est:* nam alibi criminum reus prohibetur audiri. Et item. *Si quis aduersarium, aut repetitione, aut criminis obiectione pulsauerit, prouincia, in qua consistit ille, qui pulsatur, suas exerat actiones, nec æstimet aduersarium suum alibi aut longius pertrahendum.* Illi verò, qui pulsatus fuerit, si iudicem suspectum habuerit, liceat appellare, scilicet, Ecclesiasticis ad finitimos Episcopos, vt Sardicenses & Carthaginenses canones, vt præmisimus, decreuerunt, vel ad prouincialia Concilia, sicut Sacri Nicæni & Antiocheni canones constituerunt: & sicut Africanum Concilium in epistola ad Cælestinum Papam

C. Carth. 3. & 8. 9. 10.

Fab. Papa ep. 3. ad Hilar. 3. q. 6. c. ibi & c. si quis

Dig. l. 49. t. 16. l. 3.

Lites ibi finienda vbi crimen commissum.

C. Aphric. c. 150

pam ostendit. *Vnicuiq;*, inquiens *concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad concilium suæ prouinciæ, vel etiam vniuersale prouocare. nisi forte quisquam est, qui credat vnicuilibet posse Deum nostrũ examinis inspirare iustitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare, aut quomodo ipsum transmarinum iudicium* (quod tantundem est, transalpinum) *ratum erit, ad quod testium necessaria personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem vel * multis alijs incurrentibus impedimentis adduci non poterunt*:

Licet iniustè damnato appellare ad Concil. prouinciale vel generale.

* pro multis

CAPVT XVIII.

A Iudicibus autẽ, siue quos, iuxta Afriancos canones, Primates dederint, siue quos ipsi vicinos ex consensu delegerint causa finienda regulariter prouocari non potest. Et S. GREGORIVS in epistola ad Gallicanos Episcopos. *Nec hoc*, inquit, *in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod de habendis per parrochias concilijs Patrum prouidentia vtilitatis causa sancitum est. Vnde ne qua inter fratres dissensio, ne qua inter Præpositos & subiectos sint fomenta discordiæ in vnum Sacerdotes conuenire necesse est. Vt de incidentibus causis disceptatio, & sit salubris de Ecclesiastica obseruatione conlatio. quatenus dum per hoc & præterita corriguntur, & regulam futura suscipiunt, omnipotens vbiq; Dominus fratrum concordia collaudetur: cuius vobis adesse præsentiam, si hac obseruabitis, scitote, quia scriptum est. Vbi fuerint congregati duo vel tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Si ergo adesse * dignatur, *vbi duo vel tres fuerint, quanto minus non deerit, vbi plures conuenerint Sacerdotes? Et quidem, quia de adhibendo bis in anno Concilio Patrum sit regulis statutum, non latet, sed ne forte aliqua impleri hoc necessitas non permittat, semel tamen sine excusatione aliqua decernimus congregari, vt expectatione Concilij nihil prauum, nihil præsumatur inlicitum. Nam plerumq;, etsi non amore iustitiæ, metu tamẽ examinis abstinebitur ab hoc quod omnium notum est posse displicere iudicio.* CAPVT

Greg ep. 110. lib. 7.

Matth 18.

* dignabitur

Cõcilia quotãnis bis habẽda

CAPVT XIX.

Hæc itaq; transalpinis Ecclesiis, earumq; Rectoribus à sede Apostolica de appellatione Episcoporum ad hanc sedem Apostolicam, & de Presbyterorũ ac Diaconorum appellatione, si de iudicijs Episcoporum suorum questi fuerint ad comprouinciales Synodos & dijudicatione regulari eorum in ijsdem Synodis ante longissimæ ætatis annos vsq; ad nostra tempora seruata, & à decessoribus ac prædecessoribus eorum secuta & executa fuerunt. Quæ si etiam illis seruata, & ab eis secuta & executa non fuerint, nihil prodest eos secundum sacros canones & decreta sedis Romanæ Pontificum pro accusatis Presbyteris de manifestis criminib' comprouinciales Episcoporum Synodos frequentare, sed faciet licenter quisq; Presbyterorum quodlibet. Vnde si fuerit redargutus, veniat Romam.

CAPVT XX.

Et quia pro singulis Presbyteris Episcopi transalpini regulariter iudicatis missos dirigere, & actionum documenta scribere non valent, nec testium necessarias personas, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel pro multis alijs impedimentis huc producere, fiducialiter poterit mentiens quique innocentiam suam asserere, cum non erit, qui mendacia eius possit refellere. Vnde, sicut præmisimus, Legum & Canonum conditores prudentissimè, iustissimeque viderunt quæcunque negotia in suis locis, vbi orta sunt, finienda, & per expressa regularum iudicia discretissimè iudicanda, & post iudicium conseruanda. Maximè de subintroductione, contra regulas, mulierum: pro qua ab Episco-

Cur non expediat lites ortas Romam semper deferre.

ab Episcopis Transalpinis Presbyteri regulariter iudicati ad hanc sanctam Romanam sedem inscijs suis Episcopis veniunt, & eis epistolas eorum refragantes iudicia deferunt: eosq; vel comministros illorum ad hanc sedem ad conquerendum contra eos venire præcipiunt, quod nullis antiquorum legibus vel Patrum regulis decretum fuisse legimus.

CAPVT XXI.

QVAS epistolas sacris regulis obuias, vt in præfatione huius Opusculi commemorauimus; nec auctoritate Apostolica fuisse missas, sed compilatas quorumcũq; vafricia credimus. Non enim sibi ipsi sedes Apostolica potest esse contraria vel diuersa. De qua GELASIVS Papa dicit. *Confidimus, quod nullus iam veraciter Christianus ignoret vniuscuiusq; Synodi constitutũ, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus nullam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quam primam, quæ & vnamquamq; Synodum, & sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo, scilicet, principatu, quem B.* PETRVS *Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper, & retinet.* Et item. *Cumq; nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus temerè nil licere, & cum sedes Apostolica * superior his omnibus fauente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa pio deuotoq; studeat tenere proposito, satis indignum est, quenquam vel Pontificum vel Ordinum subsequentium hanc obseruantiam refutare. quam B.* PETRI *sedem & sequi videat, & docere, satisq; conueniens sit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quã illic vigere conspiciat, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatũ.* Potest enim fieri, vt illi, qui in vicinis parrochijs sũt hui⁹ sanctę Romanę Ecclesiæ, quiq; iuxta sacras regulas ad manũ⁹ impositionẽ, &ad Synodos

Gelas. 1. ep. ad Episc. Dardan.

Idem ep. 1. c. 11.

* super

Synodos huc conuenire solent, ipsi pro reclamatione contra Presbyterorum suorum ad præfatam examinationem conueniant, sicut sacri canones ac leges præcipiunt, vt ad Primatem vniuscuiusque prouinciæ, qui negotia videntur habere, concurrant, vel ad Synodum, qui se læsos existimant, quo non sit difficile testes producere, inuitentur. Transalpinis autem, & aliis qui in similiter longinquis regionibus commorantur, Apostolica Sedes, & sacrorum canonum promulgatores loquente in eis sancto Spiritu, quæ sunt vnicuique prouinciæ possibilia, & auctoritati conuenientia, atque paci Ecclesiæ congruentia tenenda, & exequenda discretissimè præfixerunt.

forte, contraria.

Alia ratio est Transalpinorum, & eorum qui vicini sunt Romæ.

Caput XXII.

Legimus etiam, quamuis rarissimè, præceptum à Sede Apostolica quosdam de longinquioribus parrochiis specialis dioceseos Romani Pontificis, ad cuius sollicitudinem vniuersalis Ecclesia pertinet, propter contumaces contentiones aliquos inuitatos fuisse: sed de Transalpinis regionibus, quibus decreta priuilegia seruari debent, tale quid pro Presbyterorum & Diaconorum appellatione à Sede Apostolica præceptum fuisse non legimus. De Ecclesiasticis nihilominus priuilegiis in epistolis B. Gregorii legimus ad Dominicum Carthaginensem Episcopum. *Vestra fraternitas*, inquit, *hoc postposita dubitatione retineat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua iura seruamus. Nec cuilibet fauente Christi gratia, vltra quam meretur, impertior. Nec vlli hoc, quod sui iuris est ambitu stimulante derogabo, sed fratres meos honorare per omnia cupio: sicque studeo eos in honorem subuehi, dummodo non sit, quod alteri iure ab altero possit opponi.* Et alibi idem

Greg. epist. 39. lib. 2. 25. q. 2. c de Ecclesiasticis.

Idem ep. 37. lib. 2. 25. q. 2. c. quod verò.

bi idem hinc dicit. *Quod verò dicitis vestris temporibus debere seruari, quæ à meis quoque decessoribus tradita atque custodita sunt: absit hoc à me, vt statuta maiorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo.*

CAPVT XXIII.

Eugenii II. & Leonis IV. decreta. Baron. tom. 9. ann. ad ann. 826.

TANDEM hinc præter antiquas regularum ac legum constitutiones in promptu habemus Synodalia capitula Apostolicorum, EVGENII, anno Imperii decimotertio Domini & genitoris nostri HLVDOWICI, & anno decimo imperii HLOTHARII fratris nostri mense Nouembrio, atque LEONIS IV. anno HLOTHARII trigesimo septimo, & HLVDOWICI nepotis nostri anno quinto mense Decembrio decreta. quibus præcipiunt, vt, *si quispiam Sacerdotum, id est, Episcopus, Presbyter, Diaconus, vel etiam Subdiaconus de quacunque fœmina crimine fornicationis *suspectus, post primam, secundamque & tertiam commonitionem (Metropolitani, vel alterius Episcopi, aut eius, cui subiacere videtur) inueniatur fabulari cum ea, vel aliquo modo conuersari, canonicè iudicetur.* Quapropter vnusquisque Episcopus in tali re studiosè ac diligenter curam habere debet, ne Ecclesia Christi à propriis possit sordidari ministris: quia cum propriam vxorem habere non permittitur, maximè ab omni fœmina sit abstinendus. Et item. *Sacerdos etenim, aut quiuis alius in ordinem Ecclesiasticum prouectus, si in eo scelere inueniatur, quo abiiciendus existat, depositus prouidentia Episcopi bene prouiso loco constituatur, vbi peccata lugeat, & vlterius non committat.* Sic & magnus LEO Papa longè ante hanc constitutionem auctoritate sacræ Scripturæ ad Hilarium Narbonensem decreuit, *vt Presbyteri vel Diaconi lapsi ad promerendam misericordiam Dei, priuatam expetant*

Grat. dist. 81. c. si quispiam.

* suspicatus. Clericis vetitũ versari cum fœminis.

Grat. dist. 81. c. Sacerdos. Pœna clericorum fornicantium.

Leo ep. 92. ad Rusticũ Narb. Episc.

petant secessionem, vbi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.

CAPVT XXIV.

CVM hæc ita se habeant, non est perfunctoriè attendendum vestræ Pontificali auctoritati, & nostræ Imperiali potestati, quid prædecessores nostri de seruandis sacris Legibus, & sanctis Regulis decernentes constituerunt: ex quorum pluralitate, pauca numero, non pauca pondere hic censuimus ponere. De legibus namque VALENTINIANVS, THEODOSIVS, & ARCHADIVS decreuerunt dicentes. *Perpensas Serenitatis nostræ longa deliberatione constitutiones, nec ignorare quenquam, nec dissimulare permittimus.* INTERPRETATIO. Leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere. Et S. CÆLESTINVS paria de sacris canonibus dicit. *Nulli*, inquiens, *Sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare.* Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licẽtia populis permissa frangatur? Quia, vt HILARIVS Papa dicit. *Non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in iniuriam ipsius Domini prosilitur: cũ expectatio fructu nostri ministerij non in latitudine regionum, sed in acquisitione ponitur animarum.* Et item, de legibus, præfati Augusti. *Omnia constituta non præteritis calumniam faciunt, sed futuris regulam ponunt.* INTERPRETATIO. Omnes leges non ea, quæ anteriori tempore facta sunt damnant, sed in futurum obseruanda constituunt.

Leges nulli licet nescire.

Cælest. 1. ep. 3. Grat. d. 38. c. nulli.

Hilar. ep. 2. ad Leone.

CAPVT XXV.

ET hinc SYMMACHVS Papa. *Dum ad Trinitatis instar, cuius vna est atque indiuidua potestas vnum sit per*

Vnum est Sacerdotium Episcoporum. Anaclet ep. 2.

per diuersos antistites Sacerdotium, quemadmodum priorum statuta à sequentibus conuenit violari? Huc accedit, quod hæc, si eueniat sententiarum varietas ad ipsam sacrosanctam Catholicam religionem credimus pertinere. cuius omnis potestas infringitur, nisi vniuersa, quæ à Domini Sacerdotibus semel regulariter statuuntur, perpetua sint. Quod aliâs contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt faciat rata esse quæ gesserit. Quanta enim vicariis beatissimi PETRI Apostoli iudicabitur esse reuerentia, si quæ in sacerdotio præcipiunt, ea hisdem transeuntibus dissoluantur? Hæc igitur seruemus nostris temporibus, tanto gratius, quanto & Ecclesiæ & Imperio erit capacius, & seruando, quæ legaliter ac regulariter gesta sunt, rata esse faciamus, quæ legaliter ac regulariter gesserimus.

Statuta decessorum seruãda.

CAPVT XXVI.

Cæsar summam autoritatem tribuit Papæ.

SVGGERENDVM etiam vestræ summæ auctoritati necessarium credimus, vt de quorundam Episcoporum coërcenda inconsideratione alios decreto generali instruentes cautos efficiatis, vt quorum debent esse matura & perpensa iudicia, non sint præcipites in proferendis sententiis, nec facilè ac indiscretè, neque aliter, nisi iuxta sanctarum Scripturarum tramitem, traditionemque maiorum, & pro euidentibus culpis quemcumque à communione corporis & sanguinis Domini Dei nostri IESV Christi, in quibus post vnicum baptismum præcipuè humanæ salutis reconciliatio & summa consistit, pro suis iniuriis, vel animi sui motibus ac iracundia separent. Quoniam *ira Sacerdotis*, vt sanctus dicit GREGORIVS, *nequaquam debet esse præceps, & perturbata, sed magis ex con-*

Greg. hom. 17. in Euang.

ex consilii grauitate * *metuenda. nec debent temerè indiscussa iudicare, nec passim dicta sine probatione credere, sed auctoris nostri facta pensare. Cui cùm omnia nuda & aperta sint, mala tamen Sodomæ noluit ante iudicare, sicut sacra docet historia, quam probare, nos instruens, ne mala hominum ante præsumamus credere quam probare.* * mitiganda. Idem lib. 19. moral. c. 23. Gen. 18.

Capvt XXVII.

Seqvantvr autem in proferenda iudiciali sententia Sanctorum Romanæ Sedis Pontificũ documenta, Leonis, atq; Gregorii. *Beatissimo Petro,* inquit Leo, *à Christo dicitur. Tibi dabo claues regni cælorum: & quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis. Et quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Transiuit quidẽ etiam in alios Apostolos ius istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commeauit: sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimetur. PETRO enim ideò hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma* * *præponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicunque fertur ex ipsius æquitate iudicium. Nec nimia est, vel seueritas, vel remissio, vbi nihil ligatum, nihil est solutum, nisi quod beatus Petrus, aut ligarit, aut soluerit. Hinc certa consideratione datur intelligi, quia in iudicando non est Petri priuilegium, vbi non ex ipsius fertur æquitate iudicium, est igitur præiudicium, non iudicium, quia non iure dictum, id est, non iustitiæ lege prolatum.* Et sanctus Gregorivs. *Sæpe agitur, vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex vitæ fiat alienæ, vt vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat, cum suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Vnde fit, vt ipse hac ligandi ac soluendi potestate se priuet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subiectorum moribus exercet. Iudicare enim dignè de subditis nequeunt, qui in subiectorum causis sua, vel odia vel gratiam sequuntur. Vnde rectè per prophetam dicitur. Mortificabant animas,*

Leo serm. 3. in anniuers. assumpt.

* proponitur.

Ezech. 13.

mas, quæ non moriuntur, & viuificabant animas, quæ non viuunt. Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat, & non victurum viuificare nititur, qui reum supplicio absoluere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda.

CAPVT XXVIII.

QVI beatissimus Doctor Spiritu sancto repletus passim in dictis suis ostendit, quoniam Episcopus, qui in ligando & soluendo interim arbitrium non sequitur iudicis, ipse ligandi & soluendi potestate, quin & regno Dei se priuat, si alligationis maledictum non iudicio iustitiæ, sed liuore vindictæ depromit, Paulo attestante, qui dicit. *Neque maledici regnum Dei possidebunt*. Quia verò sacra Scriptura duobus modis maledictum memorat: aliud videlicet, quod approbat, & aliud quod damnat: *aliter enim maledictum profertur iudicio iustitiæ, aliter liuore vindictæ. Sancti viri cum* in excommunicationis alligatione *maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto liuidæ vltionis, sed ex iustitia examine erumpunt. Intus enim subtile Dei iudicium aspiciunt, & mala foras exurgentia, quia maledicto* alligandæ excommunicationis *ferire debeant, cognoscunt, & eo* in alligationis ac excommunicationis *maledicto nō peccant, quod ab interno iudicio non discordant.* Contra excommunicationis maledictum liuore vindictæ depromptum voce PAVLI prædicantis admonemur: qui ait. *Benedicite, & nolite maledicere, quia neque maledici regnum Dei possidebunt.* Nam si à quolibet non fortasse ex malitia, sed ex linguæ incuria maledictionis verbum iaculatur in proximum, apud districtum iudicem, à quo de otioso verbo ratio in die iudicii poscitur, damnabilis est ille sermo qui malitia non caret, & pœnalis est ille, qui ab vtilitatis bonita-

1 Cor. 6. Greg. l. 4. moral. c. 5. & 6. 24. q. 3. c. cum sancti.

Rom. 12. 1 Cor. 6.

Matth. 12.

bonitate vacat. pensandum est magnoperè, quanta animaduersione plectenda est ab Episcopo, cuius sermo semper sale, id est, sapientia conditus esse percipitur, iaculata in proximum iniustæ alligationis excommunicatio, quæ potius vocanda est maledictio. Colos. 4.

CAPVT XXIX.

SEQVAMVR itaque Ecclesiæ sanctæ Rectores, quorum dorsa mentium incudes sunt hominũ peccatorum, dicente Psalmista. *Supra dorsum meũ fabricauerunt peccatores.* in separatione à cõmunione & recõciliatione Sacramentorũ Christi, sacrum NICÆNVM Conciliũ, & Africæ prouinciæ canones, SIRICII quoque, & INNOCENTII, atque LEONIS decreta, & epistolam ipsius Leonis ad Theodorum Foroiuliensem Episcopum. Sed & quem de Ecclesiastico ordine clarescentibus grauioribus culpis, gradu priuauerint, communione corporis & sanguinis Christi, vt canones præfixerunt, non priuent. Hæc est enim, Scriptura dicente, *directa via, ita vt recti ambulent in ea, & nec stulti errent per eam.* De iniustè siquidem excommunicantibus, vel excommunicatis quid etiam Lex IVSTINIANA decernat, vestram sapientiam latere non potest.

Psal. 128.

Conc. Paris. sub Lodou. 2.
24. q. 3. c. de illicita.
Iustin. constit. nouel. 123.





NOTÆ ET

CONIECTVRÆ IN HINCMARI EPISTOLAS.

EPISTOLA I. *ad Ludouicum Balbum.*] In Codice MS. erat hæc inſcriptio. EPISTOLA *Hincmari Remorum Archiepiſcopi ad Hludouicum filiũ Regis* KAROLI *de diuerſis vtilitatibus.* Deinde ſequebatur initium epiſtolæ. *Domino Hludouuico Regi,* &c. Eam autem ſcriptam eſſe ad Ludouicũ Balbum Imperatorem, filium Caroli Calui Imperatoris dubium non eſt. Nã Hincmarus in hac ipſa epiſtola Pipinum Regem appellat eius abauum, & Ludouicum Imperatorem auum, qui Caroli Calui fuit pater. Deinde ait huic Ludouico nullum fuiſſe germanum fratrem, quod certè conuenit in Balbum. Denique Aimoinus libro V. de geſtis Francorum cap. 36. fatetur hunc Lud. Balbum conſecratum & coronatum in Regem ab Hincmaro Rhemorum Epiſcopo.

Cap. 4. 2. *MORTVO HLVDOVICO Imperatore, euocauerunt HLOTHARIVM*] Quæ origo ſit ſcripturæ horum nominum, quæ peruetuſtos codices & lapides paſſim inſedit, non eſt dictu procliue. Non probo aſpirationis notam illis nominibus præfixam denotare Dominum, Germanis Herr dictum; cur enim aliis Regum Francorum nominibus, vt Pipini, Caroli, Carolomanni, &c. detracta eſt? Id magis probo priſcis Ethnicorum Regum CHLOTHARII, & CHLODOVEI (his enim

enim litteris ea expressa fuisse testari potest vel vnus hic MS. codex epistolarum Hincmari) nominibus, cum abiecta per baptismum feritate mentis, mitiora successisse vocabula LOTHARII, & LVDOVICI, ac primo quidem abiectam litteram C. remansisse autem aliquandiu H. quod cum aspiratione ex inueterato vsu illa nomina enunciarentur, tum verò labentib⁹ seculis, sublato aspirandi vsu, excidisse tandē & H. Initium verò huius mutationis factum à temporibus CLODOVEI Francorum Regis, postquam à S. Remigio Remensi Episcopo sacris aquis perfusus est, vix ambigo. Nam Hincmarus noster, Remensis item antistes, in vita S. Remigij, Ludouicum appellat Regem Francorum, quem ante baptismum vocarat CLODOVEVM, quod & SVRIVS I. Tomo de Vitis sanctorum ad marginem annotauit. Si quæras cur gemino VV. veteres nomen Ludouici expresserint. Respondeo, quod olim pronunciaretur à Francis, vti nunc adhuc à Germanis **Ludwig.** Vitus Amerpachius in annotat. ad constitutiones præcipuas CAROLI Magni ad id probandum citat codicem peruetustum, & perpetua memoria, vt ille loquitur, dignum qui Ratisbonæ est in monasterio S. Emmerami, in quo erat hoc tetrastichon.

Hic residet Carolus diuino munere cultus,
Ornat quem pietas, & pietatis amor.
HLVDVVIC *iustus erat, quo rex non iustior alter*
Qui genuit prolem hanc tribuente Deo.

3. QVAM *de seniorum suorum, & de sua salute*). Seniorum nomine hoc loco, & crebrò inferius intelligit Dominos. Ex quo vsu arbitror profectum vt Galli dominos vocent *Seigneur*, & Itali *Signori*. Lege Petrum Gregorium lib. 6. Syntagm. iuris vniuersi, capite 11.

 4. NAM

Cap. 6. 4. NAM *Si illi boni Barones post mortem Pippini*] Baronum non vna significatio est. Quæ fuerit apud Francos sub Hincmari sæculum, & postea satis indicat appendix Aimoini lib. 5. de gestis Francorum cap. 52. *Quæ perniciosa factio*, inquit, *zelo & diuersitate baronum, comitum, atq; optimatum regni tanta terram calamitate extinxit.* & cap. 53. *Archiepiscopos, Episcopos, Abbates quoq;, plures etiam optimates & barones sui regni congregari fecit.* BOERIVS ad consuet. Bitur. de iurisd. omn. iud. §. 3. glo. 3. in Gallia putat Barones dici, qui infimæ, mediæ, & summæ coercitionis ius in arce aliqua concessione Principis obtinuerint. OTTO Frisingensis lib. 2. Friderici c 12. Guilielmum Marchionem de Monteferrato inter Italiæ Barones refert. Flau. Blondus lib. 5. Decade 2. *Nam primarij Vrbis, quos nunc Barones, tunc Capitaneos appellabant, Imperatori obses, &c. agit de Friderico Ahenobarbo:* Hector Boethus lib. 2. hist. Scoticæ ait apud Germanos & Scotos esse quasi Vassos vel Vassallos regios. Vide F. Hottom. li. de verbis Feudalibus. & P. Greg. li. 6. Syntagm. c. 10.

5. ET *per exactiones ad Nortmannos affligitur.* Scribo, *ad Nortmannos repellendos*, vt constet sententia.

6. SINE *generali Primorum regni consilio & consensu speciale dare consilium nescio, & consensum deliberare non valeo.* Clarius sic legas. *sine generali* p. r. *consilio sp. dare consilium nescio, &* sine eorundem *consensu deliberare non valeo.* Sed nihil muto.

IN EPISTOLAM II.

DOMNO KAROLO *Imperatori glorioso*] Arbitror hanc epistolam scriptam ad CAROLVM III. Imperatorem, dictum Crassum, duplici de causa. Altera est, quod exemplar

exemplar MS. hanc præferat inſcriptionem. ADMONITIO *Hincmari Remorum Archiepiſcopi ad Karolum Imperatorem filium* HLVDOWICI *Regis de Baioaria.* Conſtat enim ex Reghinone & alijs filiũ fuiſſe Ludouici Germanici, qui frater germanus erat Caroli Calui. Ludouico autem illi in partitione regnorum iam olim ſub annum 842. ceſſiſſe Bauariam, imò omnem Germaniam Orientalem vſq; ad Rheni fluenta teſtantur pleriq; omnes, Reghino. Sigebertus, Marianus Scotus, alij. Altera cauſa eſt, quod Hincmarus huic Carolo commendet filios HLVDOVICI iam vita defuncti, tanquam pupillos ſine patre, & Francorum Reges, ſanguine ei propinquos. quod in nullos alios conuenire videtur, quam in HLVDOVICI Balbi Imperatoris filios, eo anno, quo Balbus è viuis exceſſit, hoc eſt. 880. adhuc adoleſcentes, nempe Ludouicum & Carolomannum atq; etiam Carolum poſthumum tunc infantulum.

2. PROPONANT *eis frequenter verba S. Cypriani*] Hic liber de XII. abuſionibus neq; Cypriani, neq; Auguſtini, cui in tomo 9. operum eius à multis attributus eſt, eſſe poteſt, tum quia ſtilus ab vtroq; alienus, tum quia in citandis ſcripturis ſequitur verſionem B. Hieronymi. Ita ſentit Iacobus Pamelius in argumento huius libri apud Cypr. & Tritthemius in libro de Eccleſ. ſcriptoribus, & Doctores Louan. in tom. 9. Auguſtini. Quis autem eius autor ſit, incertum eſt. Pamelius ſuſpicatur eſſe Ioannis Clymaci. Cap. 2

IN EPISTOLAM III.

AD *Epiſcopos quoſdam*] In Codice MS. erat hæc inſcriptio. ADMONITIO *Hincmari Remorum Archiepiſcopi*

ſcopi ad Epiſcopos & ad regem KAROLOMANNVM *per capitula.* Sed certum eſt hanc epiſtolam ad Epiſcopos tantum datam, qui ab eo iam ſene, & ſuperiorum regum Conſiliario, præcepta quædam petiuerant pro recta inſtitutione noui & iuuenis Regis. totus enim ſermo ad illos dirigitur, de ipſo autem Rege, vt liquet ex initio & fine Epiſtolæ tantum in tertia perſona ſermo inſtituitur. Exiſtimo autem nomine iuuenis Regis denotari CAROLOMANNVM Ludouici Balbi filium, qui poſt mortem patris regnum Franciæ cum fratre Ludouico, (teſte Sigeberto in Chronico ad annum 880.) diuiſit, & annis quinq; regnum tenuit. Obijt autem anno 885. (quo & Hincmarus Archiepiſcopus è viuis exceſſit) cum iam Ludouicus eius frater priori anno obijſſet. vt habet idē Sigeb. Hanc opinationem meam confirmat, quod in fine epiſtolæ Hincmarus dicat, HLVDOVICVM *regem nuper defunctum*, quod de Ludouico fratre aptiſſimè intelligitur. Vnde ſequitur Hincmarum vno ãno ante mortem, ſuam hanc epiſtolam exaraſſe.

Cap. 11. 2. *In memoratis namq; geſtis apud Martyrium S. Macræ.*] Martyrium hoc eſt in territorij Remenſis finibus. Paſſa ibi eſt S. Macra ſub Diocletiano, eiuſq; memoria colitur ad 6. Ianuarij, vt in Martyrologijs Bedæ, Vſuardi, Adonis & Romano annotatum eſt. Petrus de Natal. lib. 2. c. 50. ait paſſam in vrbe Auguſtana. Macrenſis Synodi hoc tempore celebrati meminit in Chronologia Genebrardus.

Cap. 12. Adelhardus Abbas vtriuſque Corbeiæ Gallicæ & Saxonicæ.

3. ADALHARDVM *ſenem & ſapientem Domni* KAROLI *Magni Imperatoris propinquum, & monaſterij Corbeiæ Abbatem inter primos Conſiliarios primũ in adoleſcentia mea vidi.* Hic Adelhardus anno Domni 771. poſt repudiatam à Carolo Magno Bertam filiam Deſiderij Italorum Regis deſerta

deserta aula monasticen profiteri cæpit in monte Cassinate. Nomen eius fastis Ecclesiasticis adscriptum est. Surius enim tom. 1. ad secundum Ianuarij recitat eius vitam ex PASCHASIO Ratberto, sexto post ipsum Corbeiæ gallicanæ Abbate. qui scribit, eum LVDOVICO PIO Imperatori in expiationem peccatorum iniunxisse, vt alteram Corbeiam excitaret in Saxonia; cuius fundamenta iacta sunt anno 822. & in illa noster Adelhardus primus Abbas haud multo post diem clausit extremum, cuius epitaphium habet Baronius tom. 9. annal. Quod si Adelhardus vitam produxit minimum vsq; ad annum 823. potuit certe Hincmarus adolescens eum videre, cum constet Hincmarum sub annum 836. euectum esse ad Archiepiscopatum Remensem.

4. PER *Apocrisiarium, id est, responsalem negotiorum Ecclesiasticorum.* Apocrisarius vox Ecclesiastica est, origine græca. ἀπόκρισις enim responsio, ἀποκρίνομαι respondeo, est. SVIDAS in voce Διονύσιος ὃς ἐγένετο ἐπὶ τῶν ἀποκριμάτων, id est, qui fuit à responsis, vel, qui respondebat: vti nos dicimus, à consilijs, qui consilio interest, & consilium dat. B. Gregorius Magnus, alijq; ante & post ipsum Pontifices Romani, canonumq; interpretes 1. q. 1. c. *conuenientibus*, & c. *significasti. de Electione*, vsurpant pro Legato Papæ, qui vel apud Imperatores, vel in Concilijs loco Papæ responderet, & negotia Ecclesiastica tractaret. Alij latius pro omnium Episcoporum legatis. quo significatu accipitur, Nouell. *quom. opor. Episc. §. si verò non metropolitan.* & §. propterea sancimus. Quod autem Apocrisiarij munus fuerit in CAROLI MAGNI palatio perspicuè hic, & sequent. capitibus HINCMARVS declarat. Lege Iacobi Spiegelij Lexicon Iuris, & P. Gregorium. lib. 49. Syntag. c. 5. Cap. 19

Bb 5. Papæ

Cap. 13. 5. *Papa Siluestro edicto priuilegij tradidit*] Huius priuilegij meminit eodem sæculo Ado in comment. ætatis 6. Godfrid. Viterb. in chron. parte 6. c. 2. Burchar. lib. 2. decret. c. 5. Iuo Carnot. p. 5. c. 49. Leo IX. ep. 1. contra præsumpt. Michaelis Constantinopolitani & Leonis Acrydani Episcop. c. 13. S. Petrus Damianus in disceptatione Synodali inter regium aduocatum & Romanæ Ecclesiæ defensorem. Deinde idem habent actus S. Syluestri à Gelasio Papa approbati in Synodo 70. Episcoporum. vt habetur dist. 15. c. sancta Romana apud Gratianum. Edictum autem Constantini quod exstat dist. 96. esse à Græcis in multis deprauatum docte ostendit Cæsar Baronius tom. 3 annal. ad annum Christi 324.

6. PER *Camerarium videlicet & comitem Palatij*]
Cap. 16. Quod officium fuerit Camerarij, Comitis Palatij, Comitis Stabuli, & Mansionarij Hincmarus exponit paulo inferius. De vario autem horum nominum vsu scripsit P. Gregorius lib. 6. Syntag. cap. 8. Sicut & de *Senescalci*, lib. 47. c. 33. *Saccellarius*, auctore Onuphrio Panuinio in libello de interpretatione vocum Ecclesiasticarum, à saccello pecuniarum dicitur, is nempe, qui militibus stipendia, operarijs & alijs ministris regijs salaria distribuebat. Hodie vocamus Thesaurarium. *Buticularij*, *Scapoardi*, *bersarij*, *veltrarij*, *beucrarij*, barbara nomina sunt.

7. *Locisq; singuli suis*] Sic emendaui, vt sensus constaret. In exemplari MS. erat, *locumque*. Et paulo post eadem de causa, scripsi, *quod interdum*, pro, *vel interdum*.

8: In

8. *In pueris vel Vasallis.* De Vasallis & vassis multa scribit Petrus Gregor. lib. 6. Syntagm. iuris. cap. 11. & ante eum F. Hotom. in commentario de verbis Feudalibus. & Iacobus Spiegelius in Lexico iuris.

9. *Sed bis in anno Placita duo tenerentur.* Voce Placiti intelligit conventum procerum regni. Sic Aimoinus eiusdem æui scriptor lib. 4. de gestis Francorum cap. 109. *Medio mense*, inquit, *conuentus generalis apud Theodonis villam magna populi Francorum frequentia celebratur.* Et mox. *Eminuit in hoc placito piissimi Imperatoris misericordia singularis.* Et ante eum Gregorius Turon. lib. 7. c. 13. histor. Francorum. *Petimus, vt vsque in placito, quod inter se Gunthchramnus, & Childebertus Reges habent, sustineatis.* Lege F. H. in comment. de verbis Feudalibus, & annot. 4. insequentis epist.

IN EPISTOLAM IV.

EPISTOLA IV. *ad Episcopos & Regem Carolomannum*] In exemplari MS. hæc inerat inscriptio. *Admonitio Hincmari Archiepiscopi ad Episcopos, & ad regem* KARLOMANNVM, *quæ fecit in Sparnaco. Per capitula VII.* Non dubito legendum. *Quam fecit in Sparnaco.* Videtur enim Hincmarus hanc epistolam commonitoriam ad Episcopos scripsisse in villa Sparnaco, cum in ea sub annum Domini 884. hoc est paulo ante mortem suam exularet. Qua de re sic scribit Aimoin⁹ lib. 5. de gest. Franc. c. 12. *Pro certo audiens Hincmarus Episcopus Nortmannos venire Remos, cuius homines de potestate Remēsis Episcopi cum Carlo-*

manno erant, vix noctu cum corpore S. Remigii, *& ornamentis Remensis Ecclesiæ, sicut infirmitas corporis eius poscebat sella gestatoria deportatus, & canonicis ac monachis, atque sanctimonialibus hac illacque dispersis vltra Matronam in quandam villã, quæ Sparnacus nominatur, vix fuga elapsus peruenit.* Quod autem hæc epistola tantum scripta sit ad Episcopos, non autem ad regem Carolomannum, liquet ex vltimis verbis epistolæ. *De rapinis*, inquit, *compescendis ex S. Scripturis, &c. collecta fratri huius Regis nostri nuper defuncto per Episcopos misimus.* Loquitur autem de Ludouico vno anno ante Carolomannum, vt habet Sigebertus, defuncto.

Cap. 10. 2. *Prædicationemque maiorum.* Perperam in MS. erat, *prædictionemq; malorum.*

3. *S. Augustinus demonstrat, dicens. Caueat ne Princeps muneribus vel blanditijs cuiusquam scelerati pelliciatur.* Hanc sententiam in Augustino non inuenio. Eius verò, quod mox subiungit, *Et ideò debet omnis iudex cauere ne iustum iudicium vendat aut testis verum testimonium, aut aduocatus iustum patrocinium & iurisperitus verum consilium,* contrarium inuenio in Augustino, cuius hæc sunt verba in epist. 54. ad Macedonium. *Non ideo debet iudex vendere iustum iudicium, aut testis verum testimonium quia vendit aduocatus iustum patrocinium, & iurisperitus verum consilium, illi enim inter vtramque partem ad examina adhibentur, isti ex vna parte consistunt.* Docent enim Theologi & Iureconsulti, vt non liceat vendere veritatem scientiæ, iudicij, consilij, vt v. c. Theologus accipiat pretium vt vera doceat, non falsa, vel Iudex aut aduocatus iustam, & non iniquam sententiam ferat vel tueatur; laborem

laborem tamen docendi, defendendi & aduocandi existimant sine vlla suspicione Simoniæ vendi posse. Quare malim dicere hic mendum esse amanuensis, quàm lapsum auctoris.

4. *Vt nemo ad mallum vel ad placitum cogeretur venire.* c. 14.
Hinc liquet mallum & placitum pro eodem vsurpari. Ad cap. 9.
Vitus Amerpachius in annotat. ad Constitutiones Caroli Magni à Lothario Imperat. editas, ait in Legibus Longobardicis persæpe vtramque vocem coniungi expositionis causa, ac mallum esse vocem origine germanicam. Nam locum indictum vel designatum vocamus **ein mal/** vel **malstat/** vnde aucupes alicubi dicunt, **masten/** hoc est, notare locum. Item ob hanc coniunctionem suspicatur & nomen *placiti*, esse germanicum, & deductum à **platz/** quod significat locum, vel aream. Inuenio vtrumque vocabulum etiam coniungi in capitularibus Caroli Magni. nam in Cap. cuius inscriptio est: *Quæ ad Niumaczd.* hæc sunt verba, ad cap. 17. *Vt nullus ad mallum vel ad placitum infra patriam arma portet, id est, scutum & lanceam.*

5. *Et quia prius per manninas veniebant, excogitauerunt* c. 15.
quidam, vt per bannos venirent ad placita. In constitutionibus capitularibus Caroli Magni, in Capitulari, quod incipit, *Dei causis admonendis.* cap. 19. hæc sunt verba. *Si quis ad mallum legibus mannitus fuerit, & non venerit, si eum sunnis non detinuerit 15. solidis culpabilis iudicetur. Sic ad secundum & tertium; Si autem ad quartum venire contempserit possessio in bannum mittatur.* Vbi Amerpachius ante citatus *mannitum* dici putat, qui est citatus, vel vocatus, à germanico **manen/** vel monendo fortassè dictum. Itaque *mannina*, erunt ipsæ citationes vel monitiones. BANNI significatio notior est. Duo enim significat. edictum, qua die va-

 falli

falli equis armisq; instructi ad comitatum adesse debeant, & mulctam edicto non parentis. Posteriore significatu hic accipitur, & apud Gregor. Turon. libr. 5. hist. Franc. cap. 26. *Bannos iussit exigi,* inquit, *pro eo, quod in exercitum non ambulassent*. Lege Fr. Hotom. de verbis Feudal. & Spiegelium in Lexico iuris.

IN EPISTOLAM V.

EPISTOLA V. *ad diœcesis Rhemensis Episcopos*. Archetypum MS. hanc habuit inscriptionem. *COMMONITIO ET Exhortatio Hincmari ad Episcopos, ac totius Regni primores, vt fidem intemeratam Seniori suo KAROLO seruare deberent, quando Romam perrexit.* Hanc epistolam Hincmarus scripsit ad Episcopos Suffraganeos, tanquam Metropolitanus. Remensem enim Sedem, Metropolitanam fuisse docet Aimoinus lib. 5. de rebus gestis Francorum c. 24.

2. *Ante hos XVI. annos, quando rex noster Domnus KAROLVS.* Quoniam hic agitur de tempore quo CAROLVS Caluus in Italiam abiit, quod contigit teste Aimoino anno 875. Sigeberto verò 886. sedecim ante annis acciderit, quod Sigeb. annotauit accidisse anno 858. dum inquit, *Franci super crudelitate Caroli Regis sui apud Ludouicum fratem eius expostulant, & cum ad regnandum super se contra Carolum inuitant, quod ille inconsultè aggressus turpiter alienis excessit finibus.*

Aimo. l. 5 c. 32.

S. NICASIVS Remorum Episcopus.] De S. Nichasio testatur Surius tom. 7. ad 14. Decemb. & Vincent. Bellouac. lib. 21. c. 37. sui historialis. DE ANIANO Episcopo Aurelianensi, Gregor. Turon. lib. 2. hist. Franc. c. 7. & Surius tom. 6. ad 17. Nouemb. De S. LVPO Trecensi Episcopo, Surius ex MS. codic. tom. 4. ad 29. Iulii. DE

lii. De S. Remigio, noster Hincmarus in eius vita apud Surium tom. 1. ad 13. Ianuar.

IN EPISTOLAM VI.

Epist. VI. *ad eosdem Episcopos Remensis diocæsis.* Inscriptio huius epistolæ, vel potius Tractatus in MS. erat huiusmodi. Responsio *Domni Hincmari de capitulis, quæ ad Episcopos Regni Francorum transmisit Papa* Iohannes, *& de priuilegiis sedium, per capit.* VII.

2. *Ita vt de Nouempopulana, & secunda Aquitanica, quæ prouinciæ longius constitutæ sunt.* De Gallia Nouempopulana in Synonymis Geographicis sic scribit Ortelius. Gallia Nouempopulana apud Sextum Rufum dicitur; etiam in libro Notitiarum, vbi eius vrbs Lapurdum nominatur. Libellus dignitatum, quem Schonhouius edidit, item Antoninus duodecim eius ciuitates nomine numerat. Nouem populos Ausci commendant, & Elusatæ, inquit Ammianus libr. 15. vt legit Hermolaus. in meo excuso legitur. Vasatæ, male fortasse. Hodie forte, *Gascoigne*; Galliæ Aquitaniæ pars, vt Cœnalis vertit. Videtur ab Aimoino monacho, Sidonio & Eginartho in vita Caroli Magni Septimania vocari. Hæc ille. Ait *Arelatensem vrbem Constantinam vocari.* Scaliger in Ausonium suum docet à Fl. Constantino Imperatore ita vocatam. antiquam idem inscriptionem profert, in qua & Mamiliaria dicta est. Vide Ortelium in *Arelate.*

3. S. Remigio *Remorum Durocortorum antiquæ Metropolis Episcopo, quæ præcedentibus temporibus habuit sub se duodecim ciuitates, videlicet Suessionum,* &c. Rhemi Ptolomæo δουροκόττορον dicitur Galliæ Belgicæ vrbs. Straboni δουροκόρτορα. Stephano δουροκόττορος. Cæsari Duro-

Durocortum, vt notauit Ortelius. Demochares in libr. de diuino Missæ sacrificio cap. 15. numerat tantum vndecim ciuitates Episcopales subiectas Archiepiscopo Rhemensi. nec enim numerat Bononiensem, & loco Veromanduorum, ponit Nouiomensium. Idem Gerardus Mercator in tabulis Geographicis Galliæ. *Belgiuagi*, à Cæsare vocantur Bellouaci. *Morinum*, vel Morini, *Ponticum* nomen habent à Ponti villa vel monasterio teste H. Glareano in Cæsarem.

c. 19. 4. *ADEO vt Milo quidam tonsura clericus.*] Idem scribit GREG. II. Pontifex epist. ad Turpinum, quam recitat Baronius tom. 9. ad annum Domini 717. additque S. Rigebertum à CAROLO Martello iniustè Episcopatu Remensi deiectum, & Milonem in locum eius subrogatum. Ac certè communis omnium huius seculi scriptorum querela est, quod Martellus Episcopatus in homines laicos suarum partium studiosos contulerit.

5. *TERTIVS Gregorius VVINFRID cognomento Bonifacium Legatum Apostolicæ Sedis.* Gregorius II. Pontifex cum S. Bonifacium anno Domini 723. è Germania euocasset Româ, ob admiranda eius facta edita intra annos quatuor, eum pridie Kalendas Decembris consecrauit Episcopum, & cum antea Winfridus appellaretur, deinceps Bonifacium appellari voluit, vt habet Villebaldus in eius vita apud Surium tomo 3. & Baron. tom. 9. ad annum 723. Non ergo Bonifacius fuit propriè Winfridi cognomen, sed nomen.

c. 9. 6. *Cui per annos XXV. in eadem prædicatione sine Cardinali sede laboranti.* Certam enim sedem non habuit ab anno Domini 719. quo primum S. Bonifacius Apostolicus Legatus à Gregorio II. in Germaniam missus est, vsque ad 748. quo in publico Concilio auxilio Christianis-

ſtianiſſimorum Principum Carolomanni atque Pipini Epiſcopus Moguntinus factus eſt. Vide tom. 3. Sur. vitam Bonif. lib. 1. c. 37. & Cæſ. Baron. tom. 9. ad annum Domini 745.

7. *SED & cum Ebbo quondam Remorum Epiſcopus.*] Id factum in Synodo habita in Theodonis villa anno 835. annotauit Aimoinus lib. 5. cap. 16. & Sigeb. in chron. Eum verò confugiſſe poſtea in Saxoniam ad S. Anſgarium Hamburgenſem Epiſcopum, ab eoque Eccleſiæ Hildeſienſi præfectum teſtatur Albertus Crantzius lib. 10. metropolis Saxon. c. 30. Caſpar Bruſchius in Catalogo Epiſc. Hildeſienſium. & Demochares de ſacrificio Miſſæ. c. 25. de Epiſcopis Germaniæ. Huic Ebboni ſucceſſiſſe Hincmarum docet idem Demochares c. 14. & liquet ex Synodo apud D. Medardum in ſuburbio Sueſſionenſi, præſide Hincmaro contra Ebbonem celebrato, quæ eſt apud Surium tom. 3. Concil. pag. 469. c. 21.

8. *QVONIAM Imperatorum auctoritate conuocatas generales Synodos.* Auctoritatem conuocandi generales vel œcumenicas Synodos eſſe penes Summum Pontificem Romanum accuratè probat Bellarminus in 4. controu. tomi I. lib. 1. de conciliis cap. 12. cauſaſque affert cur eaſdem aliquando, ipſis tamen aſſentientibus, conuocarint Imperatores. c. 27.

9. *BONIFACIO anno Incarnationis dominicæ DCCLIV. martyrio coronato.* Vilibaldus in vita S. Bonifacii ait coronatum anno ſequenti 55. quam ſententiam probat Cæſar Baron. tom. 9. annal. ad annum 755. Hincmaro tamen conſentit auctor Appendicis ad Epitomen Bedæ. c. 29.

IN EPISTOLAM VII.

EPISTOLA VII.] In archetypo MS. hæc erat epigraphe huius epiſtolæ vel Tractatus. *De Presbyteris crimi-*

 noſis,

nosis, quid sit agendum, de quibus approbatio non est: vnde interrogatum fuit EVGENIO *&* LEONI *quarto tempore* KAROLI *Imperatoris.* Et si tempore CAROLI CALVI quæstio hæc delata sit ad Leonem IV. tamen hanc epistolam scriptam esse tempore CAROLI CRASSI, qui fuit filius LVDOVICI Germanici, sub annum 880. apparet ex cap. 8. vbi ait capitularia CAROLI Magni, quæ ibi recenset per septuaginta & eo amplius annos fuisse seruata.

c. 2. 2. *Si quispiam Sacerdotum, id est, Episcopus,* &c. Gratianus dist. 81. c. si quispiam. his verbis hoc decretum nomine Eugenii citat. *Si quispiam Sacerdotum, id est, presbyter vel diaconus, vel subdiaconus de quacunque fæmina crimine fornicationis suspectus, post primam, secundam, & tertiam admonitionem inueniatur fabulari cum ea, vel aliquo modo conuersari, excommunicetur: fæmina verò canonicè iudicetur.* Idem repetitur in *decretal. de cohab. cleric. & mulier. c. 2.*

c. 12. 3. CÆTERVM, *quoniam quidam quasi in auctoritate profertur.* Disputat hoc loco Hincmarus de Synodalibus quibusdam B. SILVESTRI decretis, quæ habentur in tom. 1. Conciliorum apud Surium. pag. 359. ac si notha essent, & supposititia, sed tamen videntur potius esse legitima & germana, vt censet quoque Cæsar Baronius tom. 3. annalium Ecclesiast. ad annum Domini 324. licet fatendum sit nunc ita esse mendis deformata, (quod animaduertit quoque Baronius & ante eum Surius) ob varietatem vetustorum exemplarium, vt vix vnus versus manserit integer & incorruptus: ac proinde mirum non sit eorum autoritatem in dubium vocatam ab Hincmaro. Sed soluenda sunt quatuor præcipua argumenta, quibus Hincmarus suspicionem suam corroborare conatus est, vt veritas ex eorum dilutione clarius

rius elucescat. PRIMVM est. *Decreta sancti Siluestri, quæ in quodam sermone tantum de gestis sancti Siluestri sine exceptoris nomine descripto, exstant, Catholica Ecclesia inter Synodalia decreta non computat.* II. *Sunt non diuersa solum à sacris canonibus & legibus, sed etiam prorsus aduersa & contraria, vti est illud, quod nullus laicus crimen clerico inferre debeat, & vt presbyter non aduersus Episcopum, non diaconus aduersus presbyterum, &c. det accusationem aliquam.* III. *quod potius testes & accusatores vxores & filios habentes, & Christum prædicantes ad testimonium recipi debeant, quam continentes & religiosi: cum tamen B. LEO nulli ius prædicandi concedat nisi Sacerdoti.* IV. Inter eadem decreta est, *vt testimonium clerici aduersus laicum nemo recipiat.* RESPONDEO, Catholicam Ecclesiam & nunc illa decreta inter Synodalia decreta computare, (habentur enim & in Conciliorum tomis sub nomine decretorum Synodi Romanæ à ducentis & amplius Episcopis celebratæ, & nonnulla à Gratiano in corpore iuris Canonici citantur) ac olim etiam sæculo HINCMARI computasse. Nam NICOLAVS I. in aurea illa epistola ad Michaelem Imperatorem Constantinopol. quæ exstat tom 3. Conciliorum, hæc habet verba. *Consonat huic necessariæ sententiæ sanctus SILVESTER & Magni CONSTANTINI Augusti baptizator dicens. Neq; ab Augusto, neque ab omni clero, neq; à regibus, neque à populo iudex iudicabitur haud dubium quin Ecclesiasticus.* Quæ certè verba sunt extrema actionis secundæ Synodi Romanæ à Siluestro celebratæ cap. 20. in qua & illa, quæ obiicit Hincmarus habentur. Constat autem hunc Nicolaum I. sub annum Domini 860. floruisse, hoc est, σύγχρονον Hincmari fuisse, imò ad Hincmarum epistolam quandam scripsisse, è qua

Obiectiones Hincmari.

Leo ep. 62.

Responsio ad I.

Vide tomos de Epist. Pontif.

quædam citantur apud Gratianum dist. 8. c. mala. Ad II. respondeo hæc non esse aduersa canonibus. Nam idem Nicolavs in eadem epistola non multo post subiicit hæc verba. Hinc *etiam superius memoratus confessor Christi* Silvester *fecit gradus in gremio Synodi, vt non presbyter aduersus Episcopum, non diaconus aduersus presbyterum, non subdiaconus aduersus diaconem, non acolytus aduersus subdiaconem, non exorcista aduersus acolythum, non lector aduersus exorcistam, non ostiarius aduersus lectorem, det accusationem aliquam, neque præsul summus à quoquam iudicabitur. quoniam scriptum est. Non est discipulus super magistrum.*

Matth. 10. Deinde canon ille *vt nullus laicus crimen clerico audeat inferre*, citatur & à Gratiano nomine Concilii Romani. 2. q. 7. c. nullus. & nomine Marcellini Papæ epist. 2. ad Episcopos Orientales. ibid. c. Laico. Deinde apud vetustiores Gratiano, vt Iuonem p. 5. cap. 264. & Burchardum lib. 1. cap. 151. qui citant & cætera hic ab Hincmaro obiecta. Ad III. facilis est responsio. ad testimonium & accusationem potius admittendos coniugatos laicos & Christum prædicantes, id est, Christianos, quam clericos & monachos. Itaque frustra obiicitur testimonium B. Leonis. Deinde locus hic multò aliter legitur in alia formula Conc. Romani longiore, quæ est apud Surium. Ad IV. Respondeo hanc sententiam eodem modo legi in capitulis Hadriani c. 72. in Concilio Triburiensi cap. 4. & ex ipso apud Burchardum lib. 2. cap. 104. & Iuonem p. 6. cap. 278. ac demum etiam apud Gratianum 11. q. 1. c. testimonium. Quomodo autem hæc decreta non repugnent aliis decretis, vel ante vel post à Pontificibus vel Synodis factis, (quod in hanc sententiam impulisse videtur Hincmarum) diligenter exposuerunt apud Gratianum Glossographi

dum

dum docent quando laicis vel clericis liceat crimen inferre clericis, & contra, quando non, ad conciliandos canones in speciem discrepantes.

4. ACTVS B. SILVESTRI *in canone recipiendorum*] Cap. 24. Actus Siluestri, quos approbauit Gelasius non dubium est legitimos esse, vt prolixè defendit CÆSAR Baron. tom. 3. annal. ad añum Domini 315. & 324. licet in multis iam sint, vt & Synodus Romana, deprauati.

5. *Alioquin si nullus laicus aduersus clericum*] Hoc Cap. 25. quintum est argumentum Hincmari contra decreta Siluestri. Sed iam ad illud responsum est, saluis illis Siluestrinis decretis nihilominus Iureconsultos in commentarijs suis satis declarasse, quibus casibus & laico quemuis clericum & clerico laicum liceat accusare. Quod ad numerum testium attinet cap. 3. Synodi Romanæ notatum, arbitramur cum Baronio multa menda maximè in numeris irrepsisse. Et, vt non irrepserint, respondemus nonnulla antiqua decreta labentibus sæculis per consuetudinem contrariam exoleuisse, vel cum melioribus pro ratione temporum, locorum, & hominum, aliarumque circumstantiarum commutata secundum dictum B. Augustini paulo ante ob ipso Hincmaro citatum. Cap. 24.

IN EPISTOLAM VIII.

EPISTOLA VIII.] Huius epistolæ vel Tractatus in MS. hæc erat inscriptio. CAPITVLA *de causa* TEVTFRIDI *Presbyteri qualiter sit agitanda vel diffinienda.*

IN EPISTOLAM IX.

EPIST. IX. *ad Ioannem VIII. Pontif. Maximum.*] Hæc epistola in archetypo hanc habuit Epigraphen.

EPISTOLA CAROLI *Imperatoris ad Papam Ioannem, qualiter de Presbyteris ex criminibus diffamatis iudicaretur, prius in Galliis, & post Tansalpinis regionibus propter seditiones & bella frequentia progenitorum nostrorum temporibus, sacrarum legum, ac regularum notitiam & obseruationem plenè caperent. Per capitula IX.* In qua Epigraphe voces aliquæ deesse videntur. Ego sic suppleo (temporibus *scripta, vt omnes.*)

Cap. 24. 2. ANNO HLOTHARII *trigesimo septimo, &* HLVDOVICI *nepotis nostri anno quinto.* Ni fallor, hæc verba superuacanea sunt in hac periodo. Ludouici enim II. Imperatoris annus quintus, qui fuit Caroli Calui nepos, incidit in annum Domini 860. quo Romæ Pontificatum tenuit Nicolaus I. qui nihil tale, quale his subijcitur, decreuit. Putarem autem locum totum sic distinguendum. *In promptu hab. Synod. capitula Apostolicorum*, EVGENII, *anno Imperii XIII. Domini & genitoris nostri* HLVDOWICI *mense Nouembrio: anno* LEONIS *IV. anno decimo imperij* HLOTHARII *fratris nostri mense Decembrio decreta, quibus præcipiunt, &c.* Hi enim anni vtriusq; Imperatoris, respondent vtriusque pontificis temporibus. Deinde anno 13. Imperij Ludouici I. ab Eugenio II. habitam Romæ Synodum mense Nouembri docet Cæsar Baronius tom. 9. ad annum Domini 826. ex actis ipsius Synodi.

FINIS NOTARVM in Hincmarum.

THEO-

THEODVLPHI AVRELIANENSIS EPISCOPI, HINCMARO QVONDAM COÆTANEI, EPISTOLA.

OPTIMIS, SALVBERRIMISQ. VITÆ CHRISTIANÆ DOCVMENTIS *referta.*

Ex

M.S. Bibliothecæ Vaticanæ Codice excerpta.

ET NVPER AB ILLVSTRISS. CARDINALE CÆSARE BARONIO IN ANNAL. Ecclesiasticorum Tomo nono primum diuulgata.

Quis hic THEODVLPHVS *fuerit proxima Pagina intelliges.*



ELOGIA

Doctorum virorum in Theodulphum Aurelianensem Episcopum.

IOANN. TRITHEMIVS IN LIBRO *De Scriptoribus Ecclesiasticis.*

THEODVLPHVS *Episcopus Aurelianensis ex Abbate Floriacensis Cœnobii ordinis S.* BENEDICTI, *vir in diuinis Scripturis doctus, & in sæcularibus litteris à iuuentute instructus, carmine excellens & prosa. Fertur nonnulla vtroq; stylo composuisse opuscula, sed in manus nostras adhuc minimè venerunt. Hic à Ludouico Imperatore, nescio ob quam suspicionem, innocenter missus in carcerem, hymnum* GLORIA LAVS, *composuit, quem cum in die Palmarum, transeunte Imperatore iuxta carcerem, alta voce cecinisset, adeò Imperatori complacuit, vt statim abire liberum permiserit. Scripsit autem inter cætera diuerso metro.*

Hymnorum. Librum. I.
Epistolarum, Librum. I.
Claruit sub Imperio LVDOVICI *Anno Domini 840.*

SIGEBERTVS GEMBLACENSIS IN *Chronico ad Annum 843.*

HIS *temporibus floruit Theodulphus Abbas Floriacensis, postmodum Episcopus Aurelianensis, de quo refertur, quod illos versus, quos in die Palmarum singulis annis Ecclesiæ Galliarum decantare in vsu habent, ipse composuerit. id est.* GLORIA LAVS ET HONOR. *Quos cum ipse Ludouico Imperatore secus domum, in qua exul detinebatur apud Andeganum, transeunte decantaret, audiens imperator, & misertus illius iussit eum absolui.*

IDEM HABENT

Ioannes Nauclerus Volum. 3. Chronographiæ, Generat 28.
Philippus Bergomas in Supplemento Chronicorum.
Albertus Cranzius Metropolis Saxoniæ libro. 1. c. 27. & 40.
Iudocus Clichtouæus in Elucidario Eccesiastico.
Cæsar Baronius 9. tom. annal. Eccles. ad annum 835.

THEO.



THEODVLPHI AVRELIANENSIS EPISCOPI EPISTOLA.

THEODVLPHVS FRATRIBVS ET COMpresbyteris nostris Aurelianensis Parachiæ Sacerdotibus in Domino Salutem.

OBSECRO vos fratres dilectissimi, vt erga subditarum plebium profectum & emendationẽ vigilantissima cura laboretis: quatenꝰ illis viam salutis ostendentes, & eos verbis & exemplis instruentes, & vos de eorum profectu, & nos de vestro, Domino nostro Iesu Christo auxiliante, fructuosos illi manipulos reportemus. Obsecro etiam fraternitatem vestram, vt hæc capitula quæ ad emendationem vitæ breuiter digessi, assiduè legatis, & memoriæ commendetis. Et eorum, siue sanctarum scripturarum lectione mores componatis, vitam emendetis, & cum subditis plebibus, opitulante Domino, ad regna cælestia pergere certetis. Veraciter nosse debetis, & semper meminisse, quia nos quibus regendarum animarum cura commissa est, pro his, qui nostrâ negligentiâ pereunt, rationem reddituri sumus. Pro his verò quos verbis & exemplis lucrati fuerimus, præmium æternæ vitæ percipiemus. Nobis enim à Domino dictum est: Vos estis Matth. 5.

 sal terræ.

Episcopi Apostolorum, presbyteri LXX. discipulorum locum tenent.

sal terræ. Quod si populus fidelis cibus est Dei, eius cibi condimentum nos sumus. Scitote vestrum gradum nostro gradui secundum & penè coniunctum esse. Sicut enim Episcopi Apostolorum in Ecclesia, ita nimirùm presbyteri ceterorum discipulorum Domini vicem tenent: & illi tenent gradũ sumi Pontificis Aãron; isti verò filiorum ei⁹. Vnde oportet vos semper memores esse tantę dignitatis, memores vestrę consecrationis, memores sacræ, quam in manib⁹ suscepistis vnctionis, vt nec ab eadem dignitate degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciatis, nec manus sacro vnguine delibutas peccando polluatis, sed cordis, & corporis munditiam conseruantes, plebibus exemplum bene viuendi præbentes his quibus præestis ducatum ad cælestia Regna præbeatis.

Sacerdotibus lectio & oratio commendatur.

2. Oportet vos assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi. quia vita viri iusti lectione instruitur, ornatur & assiduitate lectionis munitur homo à peccato iuxtà illum qui dicebat: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Hæc sunt enim arma, lectio videlicet, & oratio, quibus diabolus expugnatur. Hæc sunt instrumenta quibus æterna beatitudo acquiritur. His armis vitia comprimuntur. His alimentis virtutes nutriuntur.

Psalm. 118.

Opus manuum

3. Sed & siquando à lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi, quia ociositas inimica est animæ, & antiquus hostis, quem à lectione, siue ab oratione vacantem inuenerit, facilè ad vitia rapit. Per vsum namque lectionis discetis, qualiter & vos viuatis, & alios doceatis. Per vsum orationis & vobis & his quibus in caritate coniuncti estis, prodesse valebitis. Per manuum

operati-

operationem & corporis macerationem & vitijs alimẽta negabitis, & vestris necessitatibus subuenietis, & habebitis quod necessitatem patientibus porrigatis.

4. Quando more solito ad Synodum conuenitis, vestimenta & libros & vasa sancta cum quibus vestrum ministerium, & iniunctum officium peragatis, vobiscum deferte. Necnon duos, aut tres clericos cum quibus Missarum solemnia celebratis, vobiscum adducite, vt probetur quàm diligenter, quàm studiosè Dei seruitium peragatis.

5. Panes quos Deo in sacrificium offertis, aut à vobis ipsis, aut à vestris pueris coram vobis nitidè, ac studiosè fiant. Et diligenter obseruetur, vt panis, & vinum, & aqua sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissimè, atque studiosè tractentur, & nihil in his vile, nihil non probatum inueniatur. Iuxta illud quod ait scriptura: Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. *Sacrificium Missæ.* *2. Par. 19.*

6. Feminæ, Missam sacerdote celebrante, nequaquam ad altare accedant, sed locis suis stent, & ibi sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat. Memores enim esse debent feminæ infirmitatis suæ, & sexus imbecillitatis: & idcircò sancta quælibet in ministerio Ecclesiæ contingere pertimescant. Quæ etiam laici viri pertimescere debent ne Ozæ pœnam subeant, qui dum Arcam Domini extraordinariè contingere voluit, Domino percutiente interijt. *2. Reg. 6.*

7. Sacerdos Missam solus nequaquã celebret, quia sicut illa celebrari non potest sine salutatione sacerdotis, responsione plebis, admonitione sacerdotis, responsione nihilominus plebis; ita nimirùm nequaquam ab vno debet celebrari. Esse enim debent, qui ei circumstent, *Non debet solus celebrare.*

quos ille salutet, à quibus ei respondeatur, & ad memoriam illi reducendum est illud Dominicum: Vbicumq; fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati, & ego in medio eorum.

Matth. 18.

8. Videmus crebrò in Ecclesijs messes, & fœnum congeri; vnde volumus & hoc penitùs obseruetur, vt nihil in Ecclesia præter vestimenta Ecclesiastica, & vasa sancta, & libros recondatur, Ne forte si alia ibi quam oportet negotia exerceantur, à Domino audiamus: Domus mea domus orationis vocabitur. Vos autem fecistis eam speluncam latronum.

9. Antiquus in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorum vsus fuit, & plerumque loca diuino cultui mācipata, & ad offerendas Deo hostias pręparata cœmeteria siue polyandria facta sunt. Vnde volumus, vt ab hac re deinceps abstineatur, & nemo in Ecclesia sepeliatur. Nisi forte talis sit persona sacerdotis, aut cuiuslibet iusti hominis, quæ per vitæ meritū talem viuendo suo corpori defuncto locum acquisiuit. Corpora verò, quæ antiquitus in Ecclesijs sepulta sunt, nequaquam projciantur, sed tumuli qui apparent profundius in terram mittantur & pauimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, Ecclesię reuerentia conseruetur. Vbi verò tanta est multitudo cadauerum, vt hoc facere difficile sit, locus ille pro cœmeterio habeatur, ablato inde altari, & in eo loco constructo, vbi religiosè, & purè Deo sacrificium offerri valeat.

In templo quis sepeliendi.

10. Non debetis ad Ecclesiam ob aliā causam conuenire, nisi ad laudem Domini, & eius seruitium faciendum. Disceptationes verò, & tumultus, & vaniloquia, & ceteræ actiones ab eodem sancto loco penitùs prohibendæ

In templo quā reuerenter versandum.

bendæ ſunt. Vbi enim Dei nomen inuocatur, Deo ſacrificium offertur, Angelorum frequentia ineſſe non dubitatur: periculoſum eſt tale aliquid dicere, vel agere quod loco non conuenit. Si enim Dominus illos de templo eiecit, qui victimas, quæ ſibi offerrentur emebant, vel vendebant: quantò magis illos iratus inde abiiciet, qui mendaciis, vaniloquiis, riſibus, & huiuſcemodi nugis locum diuino cultui mancipatum fœdant. Matth. 21.

11. Miſſarum ſollemnia nequaquam alibi niſi in Eccleſia celebranda ſunt, non in quibuſlibet domibus, & in vilibus locis, ſed in loco quem elegerit Dominus, iuxta illud quod ſcriptum eſt: Vide ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videris, ſed in loco quem elegerit Dominus, vt ponat nomen ſuum ibi. Deut. 12.

Fœmina nulla habitet cum presbytero.

12. Nulla fœmina cum presbytero in vna domo habitet. Quamuis enim canones matrem, & ſororem, & huiuſcemodi perſonas, in quibus nulla ſit ſuſpicio, cum illo habitare concedant. Hoc nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in obſequio ſiue occaſione illarum veniunt aliæ fœminæ, quæ non ſunt ei affinitate coniunctæ, & eum ad peccandum illiciunt.

Tabernæ vetitæ presbyteris.

13. Obſeruandum vobis eſt, vt & vos ab ebrietate abſtineatis, & vt plebes ſubditæ abſtineant prædicetis, & neque per tabernas eatis bibendo aut comedendo, neque domos aut vicos curioſitate qualibet peragretis, neque cum fœminis, aut cum quibuſlibet impuris perſonis conuiuia exerceatis. Niſi fortè paterfamilias quilibet vos ad domū ſuam inuitauerit, & cum ſua coniuge & prole velut vobiſcum ſpiritali gaudio lætari, & verborum veſtrorum refectionem accipere, & vobis refectionem carnalem caritatis officio exhibere. Oportet enim,

vt si quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis: à vobis reficiatur epulis spiritalibus.

14. Nullus presbyter fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ de alterius presbyteri parrochia persuadeat, vt ad suam Ecclesiam concurrant, relictâ propriâ Ecclesiâ, & suas decimas sibi dent. Sed vnusquisque suâ Ecclesiâ, & populo contentus, quod sibi non vult fieri alteri nequaquam faciat, iuxta illud Euangelicum: Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, hæc eadem facite illis. Quisquis autem contra hæc constituta venerit, aut his monitis nostris reniti tentauerit, aut gradum se sciat amissurum, aut in carcere longo tempore detinendum.

Matth. 7.

15. Hoc quoque modis omnibus prohibemus, vt nullus vestrum alterius clericum solicitet, aut recipiat, quia grauis de hac re in sacris canonibus sententia est.

16. Si quis presbyter inuentus fuerit alicui clerico, aut laico munera dare, aut dedisse, vt Ecclesiam alterius presbyteri subripiat: sciat se pro hac rapina, & sæua cupiditate, aut gradum amissurum, aut in carceris ærumna longo tempore pœnitentiam agendo detinendum.

Paruuli à quolibet parocho baptizentur.

17. Si paruulus ægrotans ad quemlibet presbyterum baptismi gratia de cuiuslibet parrochia allatus fuerit, ei baptismi sacramentum nullo modo negetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectauerit, & ille paruulus absque baptismatis gratia mortuus fuerit: nouerit se ille qui eum non baptizauit, pro eius anima rationem redditurum.

18. Nullus presbyter, seu laicus præsumat calicem, aut patenam, aut qualibet vasa sacra, & diuino cultui

cultui mancipata ad alios vsus retorquere. Nam quicumque de calice sacrato aliud bibit præter Christi sanguinem, qui in sacramento accipitur, & patenam ad aliud officium habet quàm ad altaris ministerium, deterrendus est exemplo Balthasar, qui dum vasa Domini in vsus communes assumpsit, vitam pariter cum Regno amisit. Dan. 5.

19. Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum ad scholam mittere in Ecclesia sanctæ Crucis, aut in monasterio sancti Aniani, aut S. Benedicti, aut S. Lifardi, aut in cæteris de his cœnobiis, quæ nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam id faciendi concedimus. Scholæ etiam in cœnobiis.

20. Presbyteri per villas & vicos scholas habeant. Et si quilibet fidelium suos paruulos ad discendas litteras eis commendare vult, eos suscipere, & docere non renuant, sed cum summa caritate eos doceant, attendentes illud quod scriptum est: Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Cum ergo eos docent, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes caritatis studio sua voluntate obtulerint. Dan. 12. Gratis docebant Presbyteri.

21. Cum ergo omnium sanctarum scripturarum paginæ instrumentis bonorum operum refertæ sint, & per sanctarum scripturarum campos possint inueniri arma, quibus vitia comprimantur, & virtutes nutriantur: libuit nobis huic nostro Capitulari inserere sententiam cuiusdam patris de instrumentis bonorum operum, in qua magna breuitate quid agi, quidue vitari debeat, continetur. In primis Dominum Deum tuum

diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute. Deinde proximum tanquam te ipsum. Deinde non occidere, non adulterare, non facere furtum, non concupiscere, non falsum testimonium dicere, honorare omnes homines, & quod sibi quis fieri non vult, alii ne faciat. Abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum. Corpus castigare, delitias non amplecti, ieiunium amare, pauperes recreare, nudum vestire, infirmum visitare, mortuum sepelire, in tribulatione subuenire, dolentem consolari. A sæculi actibus se facere alienum. Nihil amori Christi præponere, iram non perficere, iracundiæ tempus non reseruare, dolum in corde non tenere, pacem falsam non dare, caritatem non derelinquere: Non iurare, ne fortè periures. Veritatem ex corde & ore proferre: malum pro malo non reddere, iniuriam non facere, sed & factam patienter sufferre. Inimicos diligere, maledicentes non maledicere, sed magis benedicere. Persecutionem pro iustitia sustinere. Non esse superbum, non vinolentum, non multum edacem, non somnolentum, non pigrum, non murmurosum, non detractorem, spem suam Deo committere. Bonum aliquid in se cum viderit, Deo applicet, non sibi. Malum verò semper à se factum sciat, & sibi reputet. Diem iudicii timere, gehennam expauescere, vitam æternam omni concupiscentia spiritali desiderare, mortem quotidie ante oculos suspectam habere. Actus vitæ suæ omni hora custodire. In omni loco Deum se respicere pro certo scire. Cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere, & seniori spiritali patefacere. Os suum à malo, vel prauo eloquio custodire, multum loqui non amare, verba vana aut risui apta non loqui, risum multum aut excussum non amare. Lectiones sanctas libenter audire, ora-

Compendiosa monitio omnium bonorum operum.

re, orationi frequenter incumbere, mala sua præterita cum lachrymis, vel gemitu quotidiè in oratione Deo confiteri. De ipsis malis de cætero emendare, desideria carnis non perficere. Voluntatem propriam odisse, præceptis sacerdotis & præceptoris in omnibus obedire, etiam si ipse aliter quod absit, agat. Memores illius Dominici præcepti: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt: facere nolite. Non velle dici sanctum antequam sit, sed prius esse, quod verius dicatur. Præcepta Dei factis quotidiè adimplere, castitatem amare, nullum odisse, zelum & inuidiam non habere, contentionem non amare, elationem fugere; & seniores venerari, iuniores diligere. In Christi amore pro inimicis orare. Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire, & de Dei misericordia nunquam desperare. Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritalis, quæ cum fuerint à nobis die noctuq; incessabiliter adimpleta, & in die Iudicii reconsignata, illa merces nobis à Domino recompensabitur, quam ipse promisit: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt eum.

Matth. 23.

Isai. 64.

22. Commonendi sunt fideles, vt generaliter omnes á minimo vsque ad maximum orationem Dominicam, & Symbolum discant, & dicendum eis, quod in his duabus sententiis omne Fidei Christianæ fundamentum incumbit; & nisi quis has duas sententias & memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione sæpissimè frequentauerit, Catholicus esse non poterit. Constitutum namque est, vt nullus chrismetur, neque baptizetur, neque à lauacro fontis illius suscipiatur, neque coram Episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi Symbolum & orationem Dominicam memo-

Quid Christianus scire teneatur.

riter tenuerit, exceptis his quos ad loquendum ætas minimè perduxit.

Orandum mane & veſperi.

23. Dicendum illis, vt ſingulis diebus, qui amplius non poteſt, ſaltem duabus vicibus oret, mane ſcilicet, & veſpere, dicens Symbolum, vel orationem Dominicam, vel: Qui plaſmaſti me, miſerere mei, vel etiam: Deus propitius eſto mihi peccatori, & Deo gratias, pro quotidianæ vitæ commeatibus, & quia ſe ad imaginem ſuam creare dignatus ſit, & à pecudibus ſegregare. His

Sancti inuocandi.

actis, & ſolo Deo creatore ſuo adorato, Sanctos inuocet, vt pro ſe intercedere ad Maieſtatem diuinam dignentur. Hæc faciant, quibus baſilicæ locus prope eſt, in baſilica. Qui verò in itinere, aut pro qualibet occaſione in ſiluis aut in agris eſt, vbicumque eum ipſa hora matutina vel veſpertina inuenerit, ſic faciat, ſciens Deum vbique præſentem eſſe, dicente Pſalmiſta: In omni loco dominationis eius. &: Si aſcendero in cœlum, tu ibi es, &c.

Pſal. 102. Pſal. 138.

Dominico Miſſa audienda.

24. Diei verò Dominici, quia in eo DEVS lucem condidit, in eo manna in eremo pluit, in eo Redemptor humani generis ſponte pro ſalute noſtra à mortuis reſurrexit, in eo Spiritum ſanctum ſuper diſcipulos infudit, tanta eſſe debet obſeruantia, vt præter orationes, & Miſſarum ſollemnia, & ea, quæ ad veſcendum pertinent nihil aliud fiat. Nam & ſi neceſſitas fuerit nauigandi, ſiue itinerandi, licentia datur, ita dumtaxat, vt harum occaſione Miſſa & orationes non prætermittantur. Conueniendum eſt ſabbato die cum luminaribus cuilibet Chriſtiano ad Eccleſiam. Conueniendum eſt ad vigilias ſiue ad ad matutinum officium: Concur-

Et offerendum.

rendum eſt etiam cum oblationibus ad Miſſarum ſollemnia, & dum ad Eccleſiam conuenitur, nulla cauſa dici debet,

debet, vel audiri, nulla iurgia sunt habenda, sed tantummodò Deo vacandum est in celebratione videlicet sacrorum officiorum, & exhibitione eleemosynarum, & in Dei laudibus cum amicis proximis, & peregrinis spiritualiter epulandum.

25. Admonendi sunt, vt hospitalitatem diligant, & nulli hospitium præbere detrectent, & si cui forte hospitium præstiterint, nullam ab eo mercedem accipiant, nisi fortè ille, qui à te recipitur, sponte sua aliquid det. Dicendumque illis, qualiter multi per hospitalitatis officium Deo placuerunt, dicente Apostolo: Per hanc enim placuerunt quidam Deo, Angelis hospitio susceptis. & iterum: Hospitales sine murmuratione. Et ipse Dominus ad Iudicium dicturus est: Hospes eram, & collegistis me. Sciant sanè quicumque hospitalitatem amant, Christum se in hospitibus recipere. Nam ille modus hospitalitatis non solum inhumanus, sed etiam crudelis est, quo numquam hospes in domum ante recipitur, nisi prius dandi hospitii merces compensetur, & quod Dominus agere iussit pro perceptione Regni cœlestis, pro acquisitione terrenarum rerum agatur.

Hebr. 13. 1. Pet. 4. Matth. 25. Hospitalitas laudata quæ.

25. Prædicandum est etiam vt periurium fideles caueant, & ab hoc summoperè abstineant, scientes hoc grande scelus esse, & in Lege, & Prophetis siue Euangelio prohibitum. Audiuimus enim quosdam paruipendere hoc scelus, & leuem quodammodo periuris pœnitentiæ modum imponere. Qui nosse debent talem de periurio, qualem & de adulterio, de fornicatione, de homicidio & de cæteris criminalibus vitiis pœnitentiam imponendam. Si quis verò perpetrato periurio aut quolibet criminali peccato, timens pœnitentiæ longam

Matth. 5.

ærumnam, ad confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus est: siue à communione, & consortio fidelium, vt nullus cum eo comedat, neque bibat, neq; oret, neque in suam eum domum recipiat.

27. Dicendum est eis vt à falso etiam testimonio abstineant, scientes & hoc grauissimum scelus esse, & ab ipso Domino in monte Sinai prohibitum, dicente eodem Domino. Non falsum testimonium dixeris. siue: Testis falsus non erit impunitus. Sciat se etiam quisquis hoc perpetrauerit, aut tali pœnitentia purgandum, vt superius dictum est de periurio, aut tali damnatione, & excommunicatione damnandum, sicut superius insertum est. Dicendumque illis est, quod summa, ne dicam stultitia, sed nequitia est pro cupiditate argenti, & auri, aut vestimentorum, aut cuiuslibet rei, aut quod creberrimè contingere solet, propter ebrietatem in tam grande scelus corruere, vt aut septem annis in arcta ærumna sit, aut ab Ecclesia sit repulsus, dicente Domino: Quid prodest homini si lucretur totum mundum, & animæ suæ detrimentum faciat? quippe cum aliis videatur pius existere, sibimet crudelis existat.

Exod. 20.
Prou. 19.
Matth. 16.

28. Hortamur vos paratos esse ad docendas plebes. Qui scripturas scit, prædicet scripturas. Qui verò nescit, saltem hoc, quod notissimum est, plebibus dicat: Vt declinent à malo, & faciant bonum. Inquirant pacem, & sequantur eam: quia oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum, &c. Nullus ergo se excusare poterit, quod non habeat linguam, vnde possit aliquem ædificare. Mox enim, vt quemlibet errantem viderit, prout potest & valet, aut arguendo, aut obsecrando, aut increpando, ab errore retrahat, & ad peragendum bonum opus hortetur. Cum verò Domi-

Psal. 36.

Domino opitulante, ad Synodum in vnum conuenerimus: ſciat nobis vnuſquiſque dicere, quantum Domino adiuuante laborauerit, aut quem fructum acquiſierit. Et ſi quis fortè noſtro indiget adiutorio, nos cum cari- tate admoneat, & nos cum caritate nihilominus ei pro viribus adiutorium ferre non differemus.

29. Admonere debet is fideles, vt aſſiduitatem & ſtudium habeant orandi. Ipſe autem orandi modus talis eſſe debet, vt primùm dicto Symbolo, quaſi Fidei ſuæ recenſito fundamento, dicat quiſquis eſt, tribus vicibus: Qui plaſmaſti me, miſerere mei. & tribus vicibus: Deus propitius eſto mihi peccatori, & compleat orationem Dominicam. Si ergo locus, aut tempus exegerit, deprecetur ſanctos Apoſtolos, & Martyres, vt pro eo intercedant. Et armatâ fronte ſigno Crucis, eleuatis cum corde & manibus, & oculis, Deo gratias agat. Si verò tempus ad hæc omnia peragenda minus ſufficiens fuerit, ſufficiat tantum: Qui plaſmaſti me, miſerere mei. &: Deus propitius eſto mihi peccatori, & oratio Dominica tantùm cum gemitu & contritione cordis. Modus orandi plebeiorum. Inuocandi Sancti. Signum crucis.

30. Omni etenim die Deo in oratione noſtra, aut ſemel, aut bis, aut quanto amplius poſſumus, confiteri debemus peccata noſtra, dicente Propheta: Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitias meas non abſcōdi. Dixi confitebor aduerſus me iniuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Facta etenim confeſſione cum gemitu, & lachrymis Domino in oratione, recitandus eſt pſalmus quinquageſimus, ſiue xxiiij. ſiue xxxi. atque alij ad rem pertinentes, & ſic complenda eſt oratio. Quia confeſſio quam ſacerdotibus fecimus, hoc etiam nobis adminiculum affert, quia accepto ab eis ſalutari conſilio, ſaluberrimis pœnitentiæ Pſalm. 31. Confeſſio peccatorum crebra.

obſeruationibus, ſiue mutuis orationibus peccatorum maculas diluimus. Confeſſio verò, quam ſoli Deo facimus, in hoc iuuat, quia quantò nos memores ſumus peccatorum noſtrorum, tantò horum Dominus obliuiſcitur: & è contrario, quanto nos horum obliuiſcimur, tantò Dominus reminiſcitur, dicente Propheta: Et peccatorum tuorum non memorabor. Tu autem memor eſto, quod Dauid Propheta ſe feciſſe teſtatur, cum dicit: quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Ierem. 34. Pſalm. 50.

31. Confeſſiones dandæ ſunt de omnibus peccatis, quæ ſiue in opere, ſiue in cogitatione perpetrantur. Octo ſunt principalia vitia, ſine quibus vix vllus inueniri poteſt. Eſt enim gaſtrimargia, hoc eſt, ventris ingluuies: ſecundo, fornicatio: tertio, accidia, ſiue triſtitia: quarto, auaritia: quinto, vana gloria: ſexto, inuidia: ſeptimo, ira: octauo, ſuperbia. Quando ergò quis ad confeſſionem venit, diligenter debet inquiri, quomoto, aut quâ occaſione peccatũ perpetrauerit, quod peregiſſe ſe confitetur, & iuxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei perſuaderi, vt & de peruerſis cogitationibus faciat confeſſionem. Debet ei etiam iniungi, vt de octo principalibus vitijs faciat ſuam confeſſionem, & nominatim ei debet ſacerdos vnumquodque vitium dicere, & ſuam de eo confeſſionem accipere.

Confitenda omnia peccata.

Confeſſarius quomodo examinare debeat confitentem.

32. Eſurientes ſatiandi ſunt, ſitientes potandi, nudi operiendi, infirmi, & qui in carcere ſunt viſitandi, & hoſpites colligendi, dicente Domino: Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: Sitiui, & dediſtis mihi bibere, &c. Nam hæc omnia, & in ſe quiſque debet ſpiritaliter agere, & in alijs corporaliter adimplere: quia penè nihil proſunt

Matth. 25.

prosunt hæc omnia ad vitam æternam compensandam, si luxuriosè, superbè, inuidè, & (ne singula replicem) si vitiosè & inordinatè quis viuat, & à ceteris bonis operibus vacet. Qui ergò videt se Christum non habere, qui dixit: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi; & caritatem, quæ est pastus animæ, non habet, esurit quidem; sed si per bona opera Christo adiungit se, & caritatis dulcedine replet, esurientem omninò se pauit. Qui doctrina Spiritus sancti, & scripturarum sanctarum fluentis caret, sitiens est; sed si se fluentis verbi Dei irriget, & mentem suam spiritalis poculi dulcedine ebriet, iste se sitientem potat. Qui videt se iustitia, siue ceteris bonorum operum exhibitionibus nudatum, & induit se iustitia, siue ceteris virtutibus: nudum se proculdubio vestit. Si in lecto vitiorum suorum iacet, & morbo iniquitatis suæ laborat, & funibus peccatorum suorum constrictus est, & vitiorum suorum sordibus obsitus pariter in tenebris iniquitatis suæ, est infirmus quidem; sed si de luto vitiorum per confessionem egreditur, & per pœnitentię lamenta vinculis peccatorum absoluitur, & ad lucem bonorum operum egreditur, infirmũ, & in carcere positum se proculdubio visitat. Si in huius vitæ via videt se laborare, & vitiorum procella quasi quadam aeris intemperiè inquietari, & receptaculum bonorum operum nõ habere, sciat se in itinere positum hospitio egere; at si se ad virtutum domum deducat, & sese in earum tutamine recipiat, hospitem quidem suscipit. Quæ omnia cum sibi spiritaliter exhibet, Christum in se, cuius ipse membrum est, pascit, potat, vestit, visitat, ac suscipit.

Ioan. 6

33. Admonendi sunt fideles sanctæ Dei Ecclesiæ, vt filios

Filii obedientiam debent parentibus.

vt filios suos, & filias suas doceanr parentibus obedientiam exhibere, dicente Domino: Fili honorifica patrem tuum. Nam, & ipsi parentes erga filios suos, ac filias suas modestè debent agere, dicente Apostolo: Et vos parentes nolite ad iracundiam prouocare filios vestros. Nam & hoc dicendũ est eis, vt si illi genitali affectu parcere velint iniurijs filiorum, non has impune Dominus sinit, nisi forte digna pœnitentia exhibeatur, & quia leuius est filijs parentum quælibet flagella suscipere, quàm Dei iram incurrere.

Eccli. 3.

Ephes. 1.

Caritas quæ.

34. Admonendus est populus, quod hæc sit vera caritas, quæ Deum diligit plusquam se, & proximum tamquam se, & quæ nihil vult alij facere, nisi quod sibi vult fieri. Et plura quæ recensere longum est. Nam & quicumque in potu & cibo, & dandis atque accipiendis rebus caritatem tantùm putant: non mediocriter errant, dicente Apostolo: Regnum Dei non est cibus, & potus. Nam & ipsa quando cum caritate faciunt, bona sunt & inter virtutes computanda.

Rom. 14.

Documẽta pro mercatoribus.

35. Admonendi sunt, qui negotijs ac mercationibus rerum inuigilant, vt non plus terrena lucra, quàm vitam cupiant sempiternam. Nam qui plus de rebus terrenis, quàm de animæ suæ salute cogitat, valde à via veritatis aberrat; & iuxta quemdã sapientem, in vita sua perdidit intima sua. Sequendus est enim in hac parte, sicut & in ceteris Apostolicus sermo, qui ait: Et ne quis supergrediatur neque circumueniat in negotio proximum suum: vindex est enim Deus de his omnibus. Sicut enim ab his qui labori agrorum, & ceteris laboribus victum atque vestitum & necessaria vsibus humanis acquirere inhiantes stant, decimæ, & eleemosynæ dandæ sunt: ita his quoque qui pro necessitatibus suis negocijs insistunt,

1. Thess. 4.

insistunt, faciendum est. Vnicuique enim homini Deus dedit artem qua pascatur, & vnusquisque de arte sua de qua corporis necessaria subsidia habet, animæ quoque (quod magis necessarium est) subsidium administrare debet.

36. Hebdomada vnâ ante initium Quadragesimæ confessiones sacerdotibus dandæ sunt, pœnitentia accipienda, discordantes reconciliandi, & omnia iurgia sedanda, & dimittere debent debita inuicem de cordibus suis, vt liberiùs dicant: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et sic ingredientes in beatæ Quadragesimæ tempus mundis & purificatis mentibus ad sanctum Pascha accedant, & per pœnitentiam se renouent, quæ est secundus baptismus. Sicut enim baptismum peccata, ita pœnitentia purgat. Et quia post baptismum peccator denuò non potest baptizari, hoc medicamentum à Domino pœnitentiæ datum est, vt per eam vice baptismi peccata post baptismum diluantur. Septem enim modis peccata dimitti, scripturæ sanctæ demonstrant. Primo in baptismate, qui propter remissionem peccatorum datus est. Secundo per martyrium, iuxta illud quod ait Psalmista: Beatus cui non imputauit Dominus peccatum. Quia iuxta eiusdem Dauid sententiam: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Remittuntur peccata per baptismum, teguntur per pœnitentiam, non imputantur per martyrium. Tertio per eleemosynam, iuxta Danielem qui profano Nabuchodonosor Regi ait: Peccata tua eleemosynis redime in misericordijs pauperum. & illud: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccatum. Et Dominus in Euangelio: Veruntamen date eleemosynam, &

Præparatio ad Quadragesimã

Septem modis peccata dimittuntur.

Psalm. 31.

Ibidem.

Dan. 4.

Eccli. 3

nam, & ecce omnia munda sunt vobis. Quarto si remittar quis peccanti in se peccata sua iuxta illud: Dimittite & dimittetur vobis. Date & dabitur vobis. & illud: Sic & pater vester dimittet vobis peccata vestra, si remiseritis vnicuique de cordibus vestris. Quinto per prædicationem suam quis, & per bonorum exercitium alios ab errore suo conuertat, iuxta illud quod ait Apostolus: Quoniam si conuerti fecerit quis peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & cooperit multitudinem peccatorum. Sexto per caritatem, iuxta illud: Caritas Dei cooperit multitudinem peccatorum per Iesum Christum Dominum nostrum. Septimo per pœnitentiam, iuxta illud quod ait Dauid: Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Luc 6. Marc. 11. Iacob. 5. 1. Pet. 4. Psal. 31.

Quadragesimæ ieiunium.

37. Ipsa autem Quadragesima cum summa obseruatione custodiri debet, vt ieiunium in ea præter dies Dominicos, qui abstinentiæ subtracti sunt, nullatenus resoluatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni nostri, quos cum omni religione, & sanctitate transigere debemus. Nulla in his occasio sit resoluendi ieiunij, quia alio tempore solet ieiunium caritatis causa dissolui; isto vero nullatenus debet. Quia in alio ieiunare in voluntate & arbitrio cuiuslibet positum est: in hoc vero non ieiunare præceptum Dei transcendere est. Et in alio tempore ieiunare præmium abstinenti acquirere est: in hoc vero præter infirmos ac paruulos, quisquis non ieiunauerit, pœnam sibi acquirit, quia eosdem dies Dominus, & per Mosen, & per Eliam, & per semetipsum sacro ieiunio consecrauit.

Infirmi & paruuli excepti à ieiunio.

38. Diebus vero ieiunij eleemosyna facienda est, & cibum vel potum quo quisq; vti debuit, si non ieiunaret, pauperib⁹ eroget: quia ieiunare, & cibos prādij ad cœnā reserua-

reſeruare,non mercedis, ſed ciborum eſt incrementum.

39. Solent plures,qui ſe ieiunare putant, mox vt ſignum audiunt ad Nonam, manducare, qui nullatenus ieiunare credendi ſunt, ſi ante manducauerint, antequã veſpertinum celebretur officium: concurrendum eſt enim ad Miſſas,& auditis Miſſarũ ſolemnib9,ſiue veſpertinis officijs, largitis eleemoſynis, ad cibum accedendũ eſt. Si verò aliquis neceſſitate conſtrictus fuerit, vt ad Miſſam conuenire non valeat, æſtimata veſpertinâ horâ, completâ oratione ſuâ, ieiunium abſoluere debet. Ante veſperas non eſt relaxãdum ieiunium.

40. Abſtinentia verò in his diebus omnium delitiarum eſſe debet, & ſobriè, & caſtè viuendum. Qui verò ouis, caſeo, piſcibus,& vino abſtinere poteſt,magnæ virtutis eſt. Qui autem his, aut infirmitate interueniente, aut quolibet opere, abſtinere non poteſt,vtatur. Tantum vt ieiunium vſq; ad veſperum ſolemniter celebret: & vinum non ad ebrietatem, ſed ad refectionem corporis ſui ſumat. A caſeo vero,lacte, butyro,& ouis abſtinere,& non ieiunare,dementiſſimum eſt, & omni ratione ſemotum. Vini enim ebrietas,& luxuria prohibita ſunt, non lac & oua. Non ait Apoſtolus: Nolite comedere lac & oua, ſed, nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Epheſ. 5.

41. Singulis diebus Dominicis in Quadrageſima, præter hos,qui excommunicati ſunt, ſacramenta Corporis, & ſanguinis Chriſti ſumenda ſunt, & in Cœna Domini, & in Paraſceue,in vigilia Paſchæ, & in die Reſurrectionis Domini penitùs ab omnibus communicandum, & ipſi dies Paſchalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi ſunt. Communio crebra in Quadrageſima.

42. In his ieiuniorũ dieb9 nullę lites,nullę cõtẽtiones eſſe debẽt, ſed in Dei laudib9, & in opere neceſſario perſiſtendũ. Arguit enim eos, ꝗ contẽtiones & lites Qua-

Esai. 58. dragesimæ tempore exercent, & qui debita à debitoribus exigunt, Dominus per Prophetam, dicens: Ecce in die ieiunij vestri inueniuntur volũtates vestræ, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè.

A coniugali actu abstinendũ

43. Abstinendum est enim in his sacratissimis diebus à coniugibus, & castè & piè viuendum, vt sanctificato corde & corpore isti sancti dies transigantur, & sic perueniatur ad diem sanctum Paschæ: quia penè nihil valet ieiunium, quod coniugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, & eleemosynæ non commendant.

44. Admonendus est populus, vt ad sacrosanctum sacramentum Corporis & sanguinis Domini nequaquam indifferenter accedat, nec ab hoc nimium abstineat; sed cum omni diligentia eligat tempus, quando aliquamdiu ab opere coniugali abstineat, & vitijs se purget, virtutibus exornet, eleemosynis, & orationibus insistat: & sic ad tantum sacramentum accedat. Quia sicut periculosum est, impurum quemque ad tantum sacramentum accedere, ita etiam periculosum est ab hoc prolixo tempore abstinere, salua ratione eorum qui excommunicati non quando eis libet, sed certis temporibus communicant, & religiosis quibuscumque sanctè viuentibus, qui penè omni die id faciunt.

Religiosi pæne quotidie communicant.

Missa sollemnis audienda.

45. Vt Missæ quæ per dies Dominicos peculiares à sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, vt per eas populus à publicis Missarum solemnibus, quæ hora tertia canonicè fiunt abstrahatur, quia pessimus vsus est apud quosdam, qui in diebus Dominicis, siue in quibuslibet festiuitatibus mox vbi Missam celebrari, etiamsi pro defunctis sit, audierint, abscedunt, vt per totum diem à primo

primo mane ebrietati, & comessationi potius quàm Deo deseruiant.

46. Admonendus est populus, vt ante publicum peractum officium ad cibum non accedat, & omnes ad sanctam matrem Ecclesiam Missarum solemnia, & prædicationem audituri conueniant; & sacerdotes per Oratoria nequaquam Missas nisi tam cautè ante secundam horam celebrent, vt populus à publicis solemnitatibus non abstrahatur. Sed siue sacerdotes, qui in circuitu vrbis, aut in eâdem vrbe sunt, siue populus, vt prædiximus, in vnum ad publicam Missarum celebrationem conueniant, exceptis Deo sacratis fœminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris monasterii contineri.

FINIS EPIST. THEODVLPHI AVREL. EPISC.



CAROLI MAGNI CONSTITVTIONES PRÆCIPVÆ, TAM ECCLESIASTICÆ, QVAM POLITICÆ.

A HLOTHARIO IMP. EIVS NEPOTE, HINCMARI sæculo in epitomen redactæ.

NVPER

EX MS. CODICE COENOBII TEGHERNseensis in BAVARIA *euulgatæ,*

ET

VITI AMERPACHII NOTIS breuiter illustratæ.

QVARVM

LECTIO ad multa loca in Epistolis HINCMARI *intelligenda non parum iuuabit.*





CONSTITVTIONVM CAROLI MAGNI EPITOME.

ANNO feliciter vndecimo regni Domni nostri (*a*) Karoli gloriosissimi Regis in mense Maii (*b*) factum Capitulare, qualiter congregatis in vnum synodali Concilio Episcopis, Abbatibus, virisque illustribus, Comitibus, vna cum piissimo domino nostro secundum Dei voluntatem de causis opportunis consenserunt decretum.

NOTÆ.

(a) *Carolus regnauit in Francia, hoc est in Gallia & Germania 46. annos, & factus est Imperator anno 33. regni sui Francici, Longobardici 28. post Christum natum 801. Hinc apparet has constitutiones factas fuisse Francis, & aliis Germanis, qui tum illis paruerunt, non Italis, & Longobardis, in quos nondum habebat imperium Carolus.*

(b) *Hic est scriptum in archetypo*, facto capitulare, *sed imperfecto, & incongruo sensu.* Capitulare *vox est noua, & significat id, quod hoc tempore ordinationem, aut recessum vocant, veteres appellabant Decretum, Consilii sententiam, leges.*

INCIPIT DE METROPOLITANIS.

VTI (*a*) Suffraganei Episcopi secundũ Canones subiecti sint, & ea, quæ erga ministerium * illorũ emendanda cognoscant, libenti animo emendent, atq; corrigant.

In leg. Lõgob. c. de ep. & cler. * *illorum* pro *suum* dicitur. Can. 25. Concil. Chalced.

NOTA.

(a) *Suffraganei sunt episcoporum velut vicarij non à suffragiis, id est notis illis creandorum magistratuum, vt nonnulli putant, sed ab auxiliis ferendis, & obeundis alienis muneribus. Tales fuerunt olim Chorepiscopi, vt apparet ex Concilio Neocæsar. & 4. epistola decret. Damasi Papæ, quam diligenter, vellem legerent Episcopi nostri, præsertim Germani. Dicti sunt hi à loco. Vulgo locum tenentes, generaliter vicarii vocantur. Significat etiam auxiliarem Episcopum, & inferiorem Archiepiscopum, vt c. Exposuit, extra de dilation. & alibi. & infr. Cap. Item in eodem Concilio.*

CAP. II. DE EPISCOPIS.

Vbi præsentes Episcopi ordinati non sunt, sine tarditate ordinentur.

CAP. III. DE MONASTERIIS.

Vt, vbi regulares fuerunt, secundum regulam viuant. Nec non & monasteria puellarum ordinem sanctum custodiant, & vnaquæque Abbatissa in suo monasterio sine intermissione resideat.

NOTA.

Hoc obseruent, qui contendunt, monasteria fuisse olim scholas, & pædagogia. Tametsi multo vetustiores libri, & quidem S S. Patrum ostendant, monasticam professionem adoleuisse tanquam vna cum Ecclesia.

CAPVT IV.

* *Illorum*) pro *sua*, & *infra parrochia*) pro *in suis parrochiis*.

Vt Episcopi de presbyteris, & clericis infra * illorum (*a*) parrochia potestatem habeant secundum canones.

NOTÆ.

(a) *Parrochia dicitur hic in neut. gen. Alioqui fæmin. gen. est vsitatius, & est factum nomen à* παροικίας, *quod significat viciniam*

ciniam, cohabitationem. Sic legitur in epistola Synodi Sardic. γράψαντες καὶ εἰς τὴν ἑκάστου παροικίαν.

CAPVT V.

Vt Episcopi de incestuosis hominibus emendandi licentiam habeant, (a) seu & de viduis infra sua parrochia potestatem habeant (*b*) corrigendi.

NOTÆ.

(a) *Seu) poterat omitti aut est positum, pro imò, Sicut Germanicè nonnunquam dicimus* oder auch / *vt sit huius imitatio.*

(b) *Hic erat scriptum*, corrigendum, *sed malè, nisi præponatur*, ad.

CAPVT VI.

Vt nulli liceat alterius clericum recipere, aut ordinare in aliquo gradu.

CAP. VII. DE DECIMIS.

Vt vnusquisque suam decimam donet, atque per iussionem Pontificis (*a*) dispensentur.

NOTÆ.

(a) *Decimæ per syllepsin, aut est, legendum dispensetur, vt est in legib. Longob. Tit. de decimis.*

ITEM DE DECIMIS.

De decimis, vt dentur, & dare nolentes, secundum quod anno præterito denunciatum est, à ministris Reipubl. exigantur, id est, elegantur quatuor, siue octo optimi homines, vel, pro vt opus fuerit, de singulis plebibus iuxta qualitatem vniuscuiusque plebis, vt ipsi inter sacerdotem, & plebem testes existant, vbi datæ, vel non datæ fuerint. Hoc ideò, ne ibi

Tribuitur hæc constit. Imp. Lothario lib. 3. leg. Longo, Tit. de decimis. Vide finem huius operis.

ne ibi iuramentum aliquod faciendi necessitas contingat. Non tamen ideo * tantos testes mittendos dicimus, vt * ipsi semper omnes in dandis decimis præsentes esse pariter necesse sit, sed, vt, dum pluribus committitur, minus grauetur. * in duobus autem, si adfuerint, sufficere credimus.

* Tantos pro tot, sicut Græci vtuntur suo τοσοῦτος. Solœcism. in casu pro ipsos. * Iuxta hoc 2. Corinth. 13 in ore duorum, aut trium, &c.

Negligentes autem amoueantur á presbyteris ecclesiarum vsque ad tertiam vicem, vt ipsam decimam dent; quod si contempserint, ab introitu Ecclesiæ prohibeantur, &, si hoc non emendauerint, à ministris reipublicæ * districti singuli per caput sex solidos Ecclesiæ * componant, & insuper decimam dare cogantur. Nam si iterum contemptores extiterint, tunc per publicam authoritatem domus, vel casæ eorum (a) hiusentur quo vsque pro ipsa decima sicut supra dictum est, satisfaciant. Quod si denuò rebelles, vel contradictores esse voluerint, & super ipsam hiusam sua authoritate intrare præsumpserint, tunc à ministris reipublicæ in custodia mittantur, vsque, dum ad iudicium publicum producantur, & ibi secundum legem contra Comitem, vel partem publicam componant. Reliqua autem, vt supra dictum est de decimis, & VI. Solidis contra Ecclesiam, satisfaciant.

* *Districti*, hoc est, coacti. *per caput*, id est pro se, & est pleonasmus.
* *Componant*, hoc est numerent. soluant, vt m[illegible].
* Dura est oratio, pro *in re ipsius Ecclesiæ satisfaciant*, vt etiam contra comitem, vel partem publicam.

NOTA.

(a) Hiusentur, *id est arrestentur; vt barbarum barbaro exponam Etsi enim Budeus ab* ἐξείσκω *deriuat, ego tamen puto esse aliud, siue à recte sit factum, siue sit vetus aliquod Germanicum vocabulum: Hiusare autem; & hiusam opinor ab eo esse, quod adhuc in plerisque partibus Germaniæ* Husar *id est prædiū, fundus, agri tantum, quantum vni rustico ferè satis est ad rem familiarem; in legib. Longob. legitur Giffentur, & Guiffa. Dicitur per quandam de-*

dam deflexionem pro eo, quod latine diceretur fortaſſe, addicere, adiudicare, poſſidere, occupare; aut oppignorare, obligare debitori, vel reipublicæ.

CAPVT VIII.

Vt homicidæ, aut cæteri rei, qui legibus mori debent, ſi ad eccleſiam confugeriut, non excuſentur, neq; eis ibidem victus detur. In legib. Longob. c de reuerentia Eccleſiæ

CAPVT IX.

Vt latrones de (a) infra immunitatem iudices ad Comitis (b) placita præſentent, & qui hoc non fecerit, beneficium, & honorem perdat.

Similiter & vuaſſus noſter, ſi hoc non impleuerit, beneficium, & honorem perdat, &, qui beneficium non habuerit bannum ſoluat.

NOTÆ.

(a) *Puto* de infra immunitatem *eſſe dictum pro*, ex immunitate, *id eſt, loco, in quo facinoroſus eſt tutus, & à veteribus dicitur aſylum, à non prehendendo, vel abſtrahendo* (b) Placita *ſunt vel iuriſdictiones, vel iudicia, vel conuentus ad diſceptandas cauſſas, inſtituti, vt ſæpe hæc vox habetur in legib. Longobard. vbi & Tit. eſt de his, qui ad placitum venire coguntur, & iure Canonico. Videtur autem à vocabulo Germanico* Platz *id eſt area facta, & hoc vel ideo, quod in legib. Long. aliquoties habet additum nomen* malum, *expoſitiue, quod non video quid ſignificet, niſi, quod nos dicimus* ein mal/ *vel* malſtat. *i. locus indictus, vel deſignatus. Vnde accupes noſtri* malen/ *Dicunt, hoc eſt locum notare.* Mallum.

CAPVT X.

(a) De eo, qui periurium fecerit, nulla redemptione, niſi manum perdat.

Quod ſi accuſator contendere voluerit de ipſo periurio ſtent ad crucem; & ſi iurator vicerit, lege ſua accuſator emen-

Esai. 58. dragesimæ tempore exercent, & qui debita à debitoribus exigunt, Dominus per Prophetam, dicens: Ecce in die ieiunij vestri inueniuntur volûtates vestræ, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè.

A coniugali actu abstinendũ

43. Abstinendum est enim in his sacratissimis diebus à coniugibus, & castè & piè viuendum, vt sanctificato corde & corpore isti sancti dies transigantur, & sic perueniatur ad diem sanctum Paschæ: quia penè nihil valet ieiunium, quod coniugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, & eleemosynæ non commendant.

44. Admonendus est populus, vt ad sacrosanctum sacramentum Corporis & sanguinis Domini nequaquam indifferenter accedat, nec ab hoc nimium abstineat; sed cum omni diligentia eligat tempus, quando aliquamdiu ab opere coniugali abstineat, & vitijs se purget, virtutibus exornet, eleemosynis, & orationibus insistat: & sic ad tantum sacramentum accedat. Quia sicut periculosum est, impurum quemque ad tantum sacramentum accedere, ita etiam periculosum est ab hoc prolixo tempore abstinere, salua ratione eorum qui excommunicati non quando eis libet, sed certis temporibus communicant, & religiosis quibuscumque sanctè viuentibus, qui penè omni die id faciunt.

Religiosi pæne quotidie communicant.

Missa sollemnis audienda.

45. Vt Missæ quæ per dies Dominicos peculiares à sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, vt per eas populus à publicis Missarum solemnibus, quæ hora tertia canonicè fiunt abstrahatur, quia pessimus vsus est apud quosdam, qui in diebus Dominicis, siue in quibuslibet festiuitatibus mox vbi Missam celebrari, etiamsi pro defunctis sit, audierint, abscedunt, vt per totum diem à primo

primo mane ebrietati,& comessationi potius quàm Deo deseruiant.

46. Admonendus est populus, vt ante publicum peractum officium ad cibum non accedat, & omnes ad sanctam matrem Ecclesiam Missarum solemnia, & prædicationem audituri conueniant; & sacerdotes per Oratoria nequaquam Missas nisi tam cautè ante secundam horam celebrent, vt populus à publicis solemnitatibus non abstrahatur. Sed siue sacerdotes, qui in circuitu vrbis, aut in eâdem vrbe sunt, siue populus, vt prædiximus, in vnum ad publicam Missarum celebrationem conueniant, exceptis Deo sacratis fœminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris monasterii contineri.

FINIS EPIST. THEODVLPHI AVREL. EPISC.



CAROLI MAGNI CONSTITVTIONES PRÆCIPVÆ, TAM ECCLESIASTICÆ, QVAM POLITICÆ.

A HLOTHARIO IMP. EIVS NEPOTE, HINCMARI sæculo in epitomen redactæ.

NVPER

EX MS. CODICE COENOBII TEGHERNseensis in BAVARIA *euulgatæ,*

ET

VITI AMERPACHII NOTIS breuiter illustratæ.

QVARVM

LECTIO ad multa loca in Epistolis HINCMARI *intelligenda non parum iuuabit.*





CONSTITVTIONVM CAROLI MAGNI EPITOME.

ANNO feliciter vndecimo regni Domini nostri (*a*) Karoli gloriosissimi Regis in mense Maii (*b*) factum Capitulare, qualiter congregatis in vnum synodali Concilio Episcopis, Abbatibus, virisque illustribus, Comitibus, vna cum piissimo domino nostro secundum Dei voluntatem de causis opportunis consenserunt decretum.

NOTÆ.

(a) *Carolus regnauit in Francia, hoc est in Gallia & Germania 46. annos, & factus est Imperator anno 33. regni sui Francici, Longobardici 28. post Christum natum 801. Hinc apparet has constitutiones factas fuisse Francis, & aliis Germanis, qui tum illis paruerunt, non Italis, & Longobardis, in quos nondum habebat imperium Carolus.*

(b) *Hic est scriptum in archetypo*, facto capitulare, *sed imperfecto, & incongruo sensu.* Capitulare *vox est noua, & significat id, quod hoc tempore ordinationem, aut recessum vocant, veteres appellabant Decretum, Consilii sententiam, leges.*

INCIPIT DE METROPOLITANIS.

VTI (*a*) Suffraganei Episcopi secundũ Canones subiecti sint, & ea, quæ erga ministerium * illorũ emendanda cognoscant, libenti animo emendent, atq; corrigant.

In leg. Lõgob. c. de ep. & cler. * *illorum* pro *suum* dicitur. Can. 25. Concil. Chalced.

NOTA.

(a) *Suffraganei sunt episcoporum velut vicarij non à suffragiis, id est notis illis creandorum magistratuum, vt nonnulli putant, sed ab auxiliis ferendis, & obeundis alienis muneribus. Tales fuerunt olim Chorepiscopi, vt apparet ex Concilio Neocæsar. & 4. epistola decret. Damasi Papæ, quam diligenter, vellem legerent Episcopi nostri, præsertim Germani. Dicti sunt hi à loco. Vulgo locum tenentes, generaliter vicarii vocantur. Significat etiam auxiliarem Episcopum, & inferiorem Archiepiscopum, vt c. Exposuit, extra de dilation. & alibi. & infr. Cap. Item in eodem Concilio.*

CAP. II. DE EPISCOPIS.

Vbi præsentes Episcopi ordinati non sunt, sine tarditate ordinentur.

CAP. III. DE MONASTERIIS.

Vt, vbi regulares fuerunt, secundum regulam viuant. Nec non & monasteria puellarum ordinem sanctum custodiant, & vnaquæque Abbatissa in suo monasterio sine intermissione resideat.

NOTA.

Hoc obseruent, qui contendunt, monasteria fuisse olim scholas, & pædagogia. Tametsi multo vetustiores libri, & quidem S S. Patrum ostendant, monasticam professionem adoleuisse tanquam vna cum Ecclesia.

CAPVT IV.

** illorum*) pro *sua*, & *infra parrochia*) pro *in suis parrochiis*.

Vt Episcopi de presbyteris, & clericis infra * illorum (a) parrochia potestatem habeant secundum canones.

NOTÆ.

(a) *Parrochia dicitur hic in neut. gen. Alioqui fæmin. gen. est vsitatius, & est factum nomen à παροικίας, quod significat viciniam*

ciniam, cohabitationem. Sic legitur in epistola Synodi Sardic. χράψαντες καὶ εἰς τὴν ἑκάστου παροικίαν.

CAPUT V.

Vt Episcopi de incestuosis hominibus emendandi licentiam habeant, (a) seu & de viduis infra sua parrochia potestatem habeant (b) corrigendi.

NOTÆ.

(a) *Seu) poterat omitti aut est positum, pro imò, Sicut Germanicè nonnunquam dicimus* **oder auch** / *vt sit huius imitatio.*

(b) *Hic erat scriptum*, corrigendum, *sed malè, nisi præponatur*, ad.

CAPUT VI.

Vt nulli liceat alterius clericum recipere, aut ordinare in aliquo gradu.

CAP. VII. DE DECIMIS.

Vt vnusquisque suam decimam donet, atque per iussionem Pontificis (a) dispensentur.

NOTÆ.

(a) *Decimæ per syllepsin, aut est, legendum dispensetur, vt est in legib. Longob. Tit. de decimis.*

ITEM DE DECIMIS.

De decimis, vt dentur, & dare nolentes, secundum quod anno præterito denunciatum est, à ministris Reipubl. exigantur, id est, elegantur quatuor, siue octo optimi homines, vel, pro vt opus fuerit, de singulis plebibus iuxta qualitatem vniuscuiusque plebis, vt ipsi inter sacerdotem, & plebem testes existant, vbi datæ, vel non datæ fuerint. Hoc ideò,

Tribuitur hæc consti. Imp Lothario lib. 3. leg. Longo, Tit. de decimis.

Vide finem huius operis.

dam deflexionem pro eo, quod latine diceretur fortasse, addicere, adiudicare, possidere, occupare; aut oppignorare, obligare debitori, vel reipublicæ.

CAPVT VIII.

Vt homicidæ, aut cæteri rei, qui legibus mori debent, si ad ecclesiam confugeriut, non excusentur, neq; eis ibidem victus detur. In legib. Longob. c de reuerentia Ecclesiæ

CAPVT IX.

Vt latrones de (a) infra immunitatem iudices ad Comitis (b) placita præsentent, & qui hoc non fecerit, beneficium, & honorem perdat.

Similiter & vuassus noster, si hoc non impleuerit, beneficium, & honorem perdat, &, qui beneficium non habuerit bannum soluat.

NOTÆ.

(a) *Puto* de infra immunitatem *esse dictum pro*, ex immunitate, *id est, loco, in quo facinorosus est tutus, & à veteribus dicitur asylum, à non prahendendo, vel abstrahendo* (b) Placita *sunt vel iurisdictiones, vel iudicia, vel conuentus ad disceptandas caussas, instituti, vt sæpe hac vox habetur in legib. Longdbard. vbi & Tit. est de his, qui ad placitum venire coguntur, & iure Canonico. Videtur autem à vocabulo Germanico* Platz *id est area ficta, & hoc vel ideo, quod in legib. Long. aliquoties habet additum nomen* malum, *expositiue, quod non video quid significet, nisi, quod nos dicimus* ein mal/ *ve.* malstat. *i. locus indictus, vel designatus. Vnde accupes nostri* malen/ *Dicunt, hoc est locum notare.* Mallum.

CAPVT X.

(a) De eo, qui periurium fecerit, nulla redemptione, nisi manum perdat.

Quod si accusator contendere voluerit de ipso periurio stent ad crucem, & si iurator vicerit, lege sua accusa-

tor emendetur. Hoc verò de minoribus caussis obseruandum. De maioribus verò rebus, aut de statu ingenuitatis secundum legem custodiant.

NOTA.

Se sciente Græco more, pro *sciens*.

(a) *In legibus Longob. c. de periurijs ita habetur initium huius legis,* De eo, qui periurium fecerit, se sciente, nullam redemptionem habeat, nisi manum perdat, & emendare studeat. *Et rectè propterea, quod oratio, & sensus est perfectus.*

CAPVT XI.

(a) De vindicta, & iudicio in latronib. facto Episcoporum absque peccato Comitis esse dicunt, si tamen vt absq; inuidia, aut occasione mala, & nihil aliud ibi interponatur, nisi vera iustitia ad perficiendum. Et si per odium, aut malum ingenium, nisi per iustitiam faciendum hominem * diffecerit, honorem suum perdat, & legibus, contra quem iniuste fecit, secundum (b) pœnam, quam intulit, emendet.

* *Diffecerit* id est interfecerit, aut fecerit, vt non sit.

NOTÆ.

(a) *Prior pars huius constitutionis ita legitur lib. 1. leg. Long. c. de furtis, & seruis fugacibus.* De vindicta, & iudicio facto in latronibus, vt testimonio episcoporum absq; peccato comites facere possunt (*possint mallem*) ita tamen, vt absq; inuidia, aut alia occasione mala, & nihil aliud interponatur, nisi vera iustitia perficienda, & pace confirmanda.

(b) Pœnam, quam) *L. libras auri optimi componat, medium regi, medium hæredib. defuncti. l. fin. tit. de conuicijs lib. 1. leg. Longobar. Posterior pars huius legis est in leg. De duobus furtis, Tit. De furt. & seruis fugac. L. 1. leg. Longobard.*

CAPVT XII.

Quæ bonæ memoriæ genitor noster in sua placita constituit, sic & nos conseruare volumus.

CAPVT

CAPVT XIII.

De rebus verò Ecclesiarum, vnde nunc pensiones exeunt. Decima, & nona sint soluta. Vnde antea non exierint, similiter nona, & decima detur, atq; casatis (a) quinquaginta solido. I. & de casatis xxx. medio solido, & de viginti tremisse. & precarijs, vbi modo sunt, renouentur, & vbi non sunt, scribantur. Et sit discretio inter præstarias de verbo nostro factas. & inter eas, quæ spontanea voluntate de ipsis reb. Ecclesiarum faciunt.

NOTA.

(a) *Hic per rasuram erat scriptum,* quinquaginta, *fortasse melius legeretur,* sexaginta, *vt esset proportio numerorum, siue pensiones casarum significantur, siue quid aliud. Est enim totus locus obscurus, & corruptus, vt opinor. Tremisse videtur positum pro triente, hoc est tertia parte solidi, Seu. 4. numulis, vt est cõmune precium, & æstimatio solidi in leg. Longob. tit. de quantit. sol. Et quid si primo casatis, etiam præponeretur præpositio de, vt significentur Nonæ, & Decimæ renouandæ pro numero casarum, aut aruorum (suspicor enim casatum esse Germanicum, et si à latino deflexum, gesat. aut rectius* Kesat. *i. satum) partim pecunia, partim opera, quæ velut libere seruilis est, ac iam* **frondienst/ Hoffdienst/** *appellatur. Et sic pro* precarijs, *legendum esset,* præstarijs.

CAPVT XIIII.

De (*a*) truste facienda nemo præsumat.

NOTA.

(a) *In legib. Longob. Tit. de iterantibus. i. iter facientibus, ita habetur. De truste facienda, vt nemo præsumat venienti mansionem vetare, & quæ necessaria sunt, sicut vicino suo, ei vendat.* Vbi **truste/** *videtur significare iter, aut profectionem, quam nunc postam vocant, nisi quis mauult esse* **trost.** *i. consolationem, quæ præstatur peregrinis per hospitalitatem, Simile quiddam habetur c. 42. Concilij Remens.*

CAPVT XV.

De cerarijs, & tabularijs, atque (a) castularijs, sicut de longo tempore fuit, obseruentur.

NOTA.

(a) Castularius, *nostrum est, à cast. i. cista, quæ tamen vox & latina, & Græca est, vt aliæ multæ.*

CAPVT XVI.

De Sacramentis (a) per geldonia inuicem coniurantibus, & nemo facere præsumat. Alio verò modo de illorũ eleemosynis, aut de incendio, aut de naufragio, quamuis conuenientia faciant, nemo in hoc iurare præsumat.

NOTA.

(a) *Melius in leg. Longob. Tit. de aggressione in vic. f.* De Sacramentis per Guildioniam ad inuicem coniurandis, vt nemo facere pręsumat, *alio vero modo* de illorũ (*f. coniurantium*, & illorum, *pro suis*) alimonijs, aut de incendio, aut de naufragio, quamuis conuenientiam faciant, nemo in hoc iurare præsumat. *Videtur autem guildionia factum à* villen/ *voluntate, &* thon/ *facere, vt nunc* villkür/ *dicimus. Videntur autem sodalitates coniuratæ, aut coniurati fratres, vt nunc vocantur, prohiberi.*

CAPVT XVII.

De iterantibus, qui ad palatium, aut alicubi pergunt, vt eos cum collecta nemo sit ausus 1. salire.

NOTA.

(a) *Assilire habetur in Tit. de iteran. Leg. Long. l. 3. vbi sequens lex est cum hac continuata, & collecta) est multitudo, aut armata manus, globus etiam dicitur in historijs.*

CAPVT XVIII.

Vt nemo alterius herbam defensionis tempore tollere præsumat, nisi in hostem pergendo, aut missus noster sit. Qui aliter facere præsumit, emendetur.

CAPVT

CAPVT XIX.

(*a*) De tholoneis. Qui iam antea furmanniti fuerunt, nemo tollat, nisi ibi, vbi antiquo tempore præsumat.

NOTA.

(a) *In leg. Longob. L.3. Tit. de Ep. & cle. ita legitur*, De tholloneis, quæ iam ante forbannita fuere, vt nemo tollat, nisi vbi antiquo tempore consuetudo fuit. *Videtur autem vox* Tolloneum, *facta non à græco teloneum, sed à tollo, aut potius à* thol, *i. tributo saxonica pronunciatione*, furmanniti, *autem, quæ lectio magis placet, quam altera, est nostrum* **fürmant/** *i. admoniti. Sic diuino. Titulus capitis est coniunctus cum lege, vt sæpe in hoc opere.*

CAPVT XX.

De mancipijs. * Qui venduntur & in præsentia Episcopi, vel Comitis, aut in præsentia archidiaconi, & centenarij, siue vicedomini, aut iudicis, comitis, ante bene nota testimonia, & foras marcha nemo mancipium vendat. Qui hoc fecerit, * tantas vices bannum soluat, quanta mancipia vendit. Etsi non habet precium * in vuadio per seruum semetipsum donet, vsq; dum ipsos bannos soluat.

* Habetur paulo aliter l. 2. leg. Longob. Tit. Qualiter mancipiorum venditio fiat.
* i. toties.
* *In Vadio.* i. in bonis.

CAPVT XXI.

(*a*) De prunias, vt nullus foras nostro regno vendere præsumat.

NOTA.

(a) *Puto hic scribendum* pruncis, *vt habetur l.3. leg. Lon. Tit. de bruncis extra. no. Im. n. u. sic. n. ibi scriptum est. Quid autem, si esset nostrum* **Panzer/** *aut tentorium. Certum est. n. ad armaturam, pertinere, vt inf. in Tit. Item Capitulare c. vt Baugas, & tit. De lege Ripuarense, c. De armatura.*

CAPVT XXII.

Si comes in suo ministerio iustitias non fecerit, missum nostrum de sua causa *(a)* somniare faciat, vsque dum iusticiæ ibidem factæ fuerint. Etsi *(b)* vuassus noster iusticias non fecerit, tunc & comes, & missus ad ipsius causam sedeant, & de suo viuant, quousque iusticias fecerint.

NOTÆ.

(a) *Extat hæc lex Tit. de off. iud. l. 2. Leg. Longob. vbi tamen,* somniare facit, *est scriptum. Hic esset melius somniare faciat, pro, laboret, vigilet, nisi fallor.* (b) *Quid autem sit proprie* Vassus, *nescio, nisi est dux inferior, aut secretarius, vt nunc vocant, à* **vissen.** *i. sciendo, aut* **Base.** *i. cognata, vocibus nostratibus nonnihil demutatis, vt in multis fecerunt Itali, & Galli.*

CAPVT XXIII.

(a) Si quis pro faida precium recipere non vult, tunc ad nos sit transmissus, & nos eum dirigamus, vbi damnum minime facere possit. Simili modo &, qui pro faida precium soluere voluerit, nec iustitiam exinde facere in tali loco eum mittere volumus, vt per eum maius damnum non crescat.

NOTA.

(a) *Extat hæc lex rub. de faidosis, & ar. inf. significat autem* faida *inimicitiam, & est à nostro* **feind.**

CAPVT XXIIII.

Habetur rub. de furtis & seruis fug. l. 1. leg. Longob.

De latronibus ita præcipimus obseruandum, vt per primam vicem non moriantur, sed oculum perdant.

De secunda vero culpa nasus ipsius latronis abscindatur.

De tertia verò culpa, si non emendauerit, moriatur.

ITEM

ITEM CAPITVLARE, QVOD FActum est in (a) Aquis palatio publico Anno xx.

REgnante Domino nostro Iesu Christo in perpetuum, ego Carolus, gratia Dei, eiusque misericordia donante, rex & Rector regni Francorũ, & deuotus sanctæ Ecclesiæ defensor, humilisque adiutor, omnibus Ecclesiasticæ pietatis ordinibus, seu secularis potentiæ dignitatibus in Christo domino Deo æterno perpetuæ pacis, * & beatissimis salutem. Considerans pacifico * piæ mentis intuitu, vna cum sacerdotibus, & consiliarijs nostris abundantem in nos, nostrumq; populum Christi regis clementiam, & quàm necessarium est non solum toto corde, & ore, & pietate agere gratias Deo incessanter, sed etiã continua bonorũ operum exercitatione eius insistere laudibus, quatenus, qui nostro regno tantos contulit honores, sua protectione nos, nostrumque regnum in æternum conseruare dignetur, * Quapropter placuit nobis vestrã rogare solertiam (b) ô pastores Ecclesiarum Christi, & doctores gregis eius, clarissima mundi luminaria, vt vigili cura, & sedula admonitione populum Dei ad pascua vitæ æternæ ducere studeatis, & errantes oues bonorum exemplorum, seu adhortationum humeris intra Ecclesiasticæ firmitatis muros reportare * satagatis, ne lupus insidians aliquem canonicas sanctiones transgredientem, (c) vel paternas traditiones vniuersalium conciliorum excedentem, quod absit, inueniens deuoret. Ideo magno deuotionis studio admonẽdi, & adhortãdi sunt, imo, & compellendi, vt firma fide, & infatigabili perseuerantia (d) intra paternas sanctiones se cõtineãt, in quo opere, & studio sciat certissime sanctitas vestra, nostrã vobis cooperari diligẽtiam. Quapropter et nostros ad vos direximus (e) missos, qui ex nostri

* Beatissima esset melius.

* Hic erat scriptum, pacificæ copia mentis intuitu.

* ἀνακόλουθον est ad præcedẽtia, cõsiderans pacifico piæ mentis int.

* Satagimini hic erat in scripto codice.

minis authoritate vna vobiscum corrigerent, quæ corrigenda essent. Sed & aliqua Capitula ex canonicis institutionibus, quæ magis nobis necessaria videbantur, subiunximus. Ne aliquis, quæso, huius pietatis admonitionem esse præsumptuosam iudicet, (f) qua nos errata corrigere, superflua abscindere, recta cohortari studemus, sed magis beneuolo caritatis animo suscipiat. Nam

4 Reg 23. legimus in regnorum libris quomodo Sanctus Iosias regnum sibi à deo datum, circumeundo, corrigendo, admonendo ad cultum veri Dei studuit reuocare, non vt me eius sanctitati æquiparabilem faciã, sed, quod nobis sunt vbique sanctorum semper exempla sequenda, & quoscunq; poterimus ad studium bonæ vitæ in laudem, & gloriam domini nostri Iesu Christi congregare, necesse est. Quapropter, vt prædiximus, aliqua Capitula notari iussimus, vt simul hæc eadem vos admonere studeatis, & quæcunq; vobis alia necessaria esse sciatis, vt & ista, & illa æquali intẽtione prædicetis, nec aliquid, quod vestræ sanctitati, populo Dei vtile videatur, omittite, * vt pio studio nos admoneatis, quatenus & vestra solertia, & subiectorum obedientia æterna felicitate ab omnipotente Deo remuneretur.

* Vides imperatorem in spiritualibus, vt vocant, ab authoritate, ac iudicio Episcoporum pendere?

NOTÆ.

(a) In Aquis. *intelligit eam ciuitatẽ, quæ nũc vocatur Aquisgranum. Vtitur & Vrsperg. nomine simplici in historia Caroli Magni, vt pleriq; alij.*

(b) *Hoc nõ sapit ijs, q nihil faciũt authoritatẽ Ecclesiæ, et, vt in petra, sacerdotio, Capite, ac simil. b. ita in luminib. nihil distinguunt.*

(c) *Vide hic reuerentiam tanti principis erga generalia Concilia.*

(d) *Et hoc est nonnullis nostro tempore valde insipidum.*

Audi, Fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legẽ matris tuæ, vt addatur gratia Capiti tuo, & torques collo tuo. Prou. 1. & ne trans-

ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Prouerb. 20.

(*e*) Missos,*id est, legatos, aut Commissarios, à mittendo. gloss. In c. 1. de immunit. Eccles. dicit esset vulgare Italicum. in recentioribus historiis pro ferculo etiam vsurpatur missus.*

(f) *Obseruent hunc locum & episcopi, & principes, vt communibus inter se studiis ecclesiis præsint, & neutri alienos contenant, ac vtriq; pro suis viribus, & officio. ne possit hoc in eos dici. optat ephippia bos piger, optat arare caballus. ac semper habeant in conspectu maiorum vestigia, nec temerè aliquid mutent.*

OMNIBVS.

Sunt enim aliqui, qui, culpis exigentibus, ab episcopo proprio excommunicantur, & ab aliis ecclesiasticis, vel laicis præsumptuosè in communionem accipiuntur, quod omnino sanctum Nicænum Concilium, simul, & Chalcedonense, nec non & Antiochenum, atque Sardicense, fieri prohibent.

EPISCOPIS.

Item habetur in eodem Concilio, vt eorum, qui ad ordinandum veniunt, fides, & vita prius ab episcopo diligenter discutiantur, & sic ordinentur. *De hac re habes egregiè in 123. Nouel. Iustin.*

OMNIBVS.

Item in eodem Concilio, nec non & Antiocheno, simul & Chalcedonensi, vt fugitiui clerici, & peregrini à nullo recipiantur, nec ordinentur sine commendatitiis litteris, & sui episcopi, vel Abbatis licentia.

OMNIBVS.

Item in eadem Synodo interdictum est presbyteris, & (*a*) diaconibus, vel omnibus, qui in clero sunt, mulierem habere in domo sua propter suspicionem, nisi matrem, aut sororem, vel eas tantum personas, quæ suspiciones effugiunt.

NOTA.

(a) *Diacones frequenter veteres dixerunt, cum ex origine dicendum esset diaconi. significat autem διάκονος ministrum.*

OMNIBVS.

Item in eodem Concilio, seu in decretis Papæ Leonis, nec non in canonibus,* qui dicuntur Apostolorum, sicut & in lege Dominus ipse præcepit omnino omnibus, interdictum est ad vsuram aliquid dare.

* In Archetypo est, *qua*, pro *qui*.

EPISCOPIS.

Auditum est aliquos presbyteros * missas celebrare, & non communicare, quod omnino in Canonibus Apostolorum interdictum esse legitur, vel quomodo dicere rectè potest, si non communicauerit, (*a*) *sumpsimus Domine Sacramenta?* hæc verò per singula Capitula instituta (*b*) in Nicæno Concilio legere potestis, seu in aliis sanctorum patrum synodalibus edictis.

* Obserua missas, & communicationem celebrantium.

NOTÆ.

(a) *Vide, quomodo Imp. expenderit verbum,* sumpsimus, *& quomodo a nobis possit expendi.* (b) *In scripto codice est, (instituta Nicano Concilij) sed manifesto vitio.*

OMNIBVS.

In Antiocheno Concilio (*a*) de his, qui damnati sunt á Synodo, vel à suo Episcopo, & postea ministrare præsumunt, præcipitur, vt nullus audeat eis communicare. Si quis verò eis communicat, (*b*) simili sententiæ subiaceat, sicut & damnatus.

NOTÆ.

(a) *Hic est in scripto codice,* quòd hi) *pro* his) *confusissima constructione, & nullo certo sensu.*

(b) Simili) *pro ita*) *vel* sicut) *pro, cui*) *ac* ita simili) *pro eidem.*

EPISCO-

EPISCOPIS.

Item in eodem Concilio, vt ad Metropolitanum Episcopum suffraganei Episcopi respiciant, & nihil noui audeant facere in suis parrochiis, sine conscientia, & consilio sui Metropolitani, nec Metropolitanus sine eorum consilio.

SACERDOTIBVS.

Item in eodem (*a*) Concilio simul & Acironensi, vt * Chorepiscopi cognoscant modum suum, nihil faciant absque licentia Episcopi, in cuius parrochia habitant. * Hic est scriptum *cor Episcopi*, sed male.

NOTA.

(a) *Nihil tale admodum inuenitur nec in Chalcedonensi, nec in Ancyrano Concilio, passim tamen hoc alibi reperias, vt Can. 57. Synodi Laod. Quod autem per Acironense intelligat Ancyranum, c. 41. ab hoc sequens indicat.*

OMNI CLERO.

Item in eodem Concilio, vt Episcopus, vel quilibet ex clero sine consilio, vel literis Episcoporum, vel Metropolitani non audeant (*a*) regalem dignitatem pro suis causis clamare, sed in communi Episcoporum Concilio causa eius examinetur. Can. 11. & 12.

NOTA.

(a) Regalem dignit. clamare, *id est, petitionibus, & implorationibus auxilii fatigare, seu cruciare. Videtur autem legendum* ad regalem dig.

EPISCOPIS.

Item in eodem Concilio, simul & in Sardicensi, nec non & in decretis Innocentii Papæ, vt nullus Episcopus in alterius parrochia ordinationes aliquas audeat efficere, vel negotia peragere, quæ ad eum non pertinent.

EPISCO-

EPISCOPIS.

Item in eodem Concilio, vt Episcopus eius Ecclesiæ curam habeat, ad quam ordinatus est.

EPISCOPIS.

Item in eodem Concilio, nec non & Chalcedonensi, vt conprouinciales Episcopi cum suo Metropolitano bis in anno propter causas Ecclesiæ Concilia celebrent.

EPISCOPIS.

In Concilio Laodicensi, nec non in Africano præcipitur, vt monachi, & clerici tabernas non ingrediantur edendi, vel bibendi causa.

CLERICIS.

* c primo. extra de feriis. Et recte adscribitur ibi alii Concilio.

* Item in eodem Concilio, vt à vespera vsque ad vesperam dies dominica seruetur.

OMNIBVS.

(a) Item in eodem Concilio, vt ignota angelorum nomina nec fingantur, nec nominentur, nisi illorum, quos habemus in authoritate, ij sunt Michael, Gabriel, Raphael.

NOTA.

(a) *Non habetur in libris vsitatis, quod est argumentum Conciliorum acta non vbique integra esse.*

CLERICIS, ET NVNNANIBVS.

Can. 44. Item in Concilio, quod non oporteat mulieres ad altare ingredi.

NOTA.

(a) *Caput nō conuenit, cum canon generaliter loquatur de mulieribus, & cap. sit de Clericis, & Nunnanibus. Ita enim & alibi appellātur sacræ virgines vocabulo sumpto à Germanis per translationem, quod propriè significat suem fœminam castratam, sicut econtra*

econtra ferè nos Græca voce nominamus equos castratos ab iis, qui se castrant propter regnum Dei.

SACERDOTIBVS.

Item in eodem Concilio, vt (*a*) cocloarii, malefici, incantatores, vel incantatrices fieri non sinantur.

NOTA.

(a) *Per* cocloarios *intelligo petauristas, circulatores, & saccularios, idq́; nostra voce. Tales enim ludiones* Cocler *vocamus.*

OMNIBVS.

Item in eodem Concilio, nec non in Sardicensi, quod non oporteat in villulis, vel in agris Episcopos constitui. Can. 57.

SACERDOTIBVS.

Item in eodem Concilio, vt Canonici libri tantum legantur in Ecclesia. Can. vlt.

CLERICIS, ET MONACHIS.

In Concilio Chalcedonensi, vt non oporteat Episcopos, aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari, quia vtrique deponendi sunt, & qui ordinant, & qui ordinantur, nec non &, qui mediator est inter eos. Can. 2.

OMNIBVS.

Item de eadem re in Canonibus Apostolorum legitur, quam hæresim iam ipse princeps Apostolorum in Simone mago terribiliter damnauit. Can. 30. Act. 8.

(a) *Nota, quod Petrus dicitur à Carolo M. princeps Apostolorũ.*

OMNIBVS.

Item in eodem Concilio infra duo Capitula, nec non & in decretis Leonis Papæ, vt nec monachus, nec clericus in sæcularia negotia transeat, & vt seruum alterius nullus sollicitet ad clericalem, vel monachicum ordinem sine voluntate, & licentia domini sui promouere. Can. 3. & 4.

SACERDOTIBVS.

Can. 5. Item in eodem Concilio infra duo capitula, nec non & in Sardicensi, vt nec Episcopi, nec clerici transmigrentur de ciuitate in ciuitatem.

OMNIBVS.

Can. 6. Item in eadem Synodo, vt nullus absolutè ordinetur sine pronunciatione & stabilitate * loci.

NOTA.

* *Titulum vulgo vocant. 70. d. c. Neminem. & c. Episcopus, extra de praeben. & dig.*

OMNIBVS.

Can. 4. & 7. Votum. Item in eodem Concilio, vt clerici, & monachi in suo proposito, & voto, quod Deo promiserunt, maneant.

SACERDOTIBVS.

Can. 10. Item in decretis Innocentii Papæ de eadem re, vt monachus, si ad clericatum probatur, propositum monachicæ professionis non amittat.

OMNIBVS.

Can. 9. Item in eodem Concilio, vt, si clerici inter se negotium aliquod habuerint, à suo Episcopo diiudicentur, non à sæcularibus.

OMNIBVS.

Can. 18. Item in eodem Concilio, vt nec clerici, nec monachi conspirationes, vel insidias contra pastorem suum faciant.

OMNIBVS.

Can. 21. Item in eodem Concilio, vt laici Episcopos, aut clericos non accusent, nisi prius eorum discutiatur existimationis opinio.

OMNI-

OMNIBVS.

Item in eodem Concilio, vt loca, quæ ſemel Deo dedicata ſunt, vt monaſteria ſint, maneant in perpetuo monaſteria: nec poſſunt vltra fieri ſæcularia habitacula. Can. 24.

OMNIBVS.

In Concilio Carthaginenſi primo omnium, vt fides ſanctæ Trinitatis, & Incarnationis Christi, paſſionis, reſurrectionis, & aſcenſionis in cœlos diligenter omnibus prædicetur. C. 1. & m. 2. C. 1.

NOTA.

Non inueniuntur hi canones in vno Concilio Carthag. Sed ſparſim in his, & aliis, maximè in 4. *Carth.*

OMNIBVS.

Item in eodem de prohibenda auaricia, vt nullus alienos fines vſurpet, vel terminos patrum tranſcendat.

OMNIBVS.

Item in eodem de his, qui in periculo conſtituti ſunt, & conuertunt ſe ad Deum, vt canonicè inquirant reconciliationem, & canonicè reconcilientur.

OMNIBVS.

Item in eodem, vt illi, qui non ſunt bonæ conuerſationis, & eorum vita eſt accuſabilis, vt non audeant Epiſcopos, vel maiores natu accuſare.

OMNIBVS.

Item in eodem, vt, qui excommunicato præſumptuoſe communicauerit, excommunicetur & ipſe.

SACERDOTIBVS.

Item in eodem Concilio infra duo Capitula, vt nullus preſbyter contra ſuum Epiſcopum ſuperbire audeat.

OMNIBVS.

Item in eodem, vt clerici, & ecclesiastici ordinis, si culpam incurrerint, vt apud Ecclesiasticos iudicentur, non apud Sæculares.

OMNIBVS.

Item in eodem, vt, qui commodauerit pecuniam, pecuniam accipiat; si speciem aliam, eandem speciem, quantum dederit, accipiat.

OMNIBVS.

Can. 11. In Concilio Africano, vt virgines Deo sacratæ à grauioribus personis diligenti custodia seruentur.

EPISCOPIS.

Can. 41. Item in eodem, vt non liceat Episcopo principalem Cathedram suæ parrochiæ negligere, & ad aliquam Ecclesiam in sua diœcesi magis frequentare.

EPISCOPIS.

Can. 50. Item in eodem, vt falsa nomina martyrum, & incertæ sanctorum memoriæ non venerentur.

OMNIBVS.

Can. 68. Item in eodem, (a) vt nec vxor à viro dimissa alium accipiat virum, viuente viro suo, nec vir aliam accipiat, viuente vxore priore.

NOTA.

(a) *Huius canonis ratio est, quod alioqui sons pars posset etiam aliud matrimonium contrahere, viuente insonte. Nam aut manet copula, aut non manet. Si non manet, vtrique pariter licet iterum contrahere, cum hac parte adulteris non sit hoc prohibitum. Si manet, insonti etiam non licet. Huic autem non licet. Ergo & alteri non licet, idque propter copulæ durationem. Loquitur autem canon generaliter, ac in alteram partem, cum præter causam adulterii coniunx dimittitur, nemo dubitat. Sic verba Christi,*

Christi, & Pauli, 1. Corinth. 7. & Mileuitanum Concilium intellexit c. 17. Matth. 19.

EPISCOPIS.

Item in eodem, vt probati à Metropolitano iudices non ſpernatur. C. 89.

OMNIBVS.

Item in eodem infra duo capitula, vt viles perſonæ non habeant poteſtatem accuſandi, &c, ſi in primo crimine victi ſunt falſum dicere, in ſecundo non habeant poteſtatem dicendi. C. 96. & 97.

OMNIBVS.

Item in eodem, vt virgines non velentur ante 25. annos, niſi rationabili neceſſitate cogente. C. 93.

NOTA.

In Aphricano Concilio potius declaratur. 26. Canon tertij Concil. Carth. quam hoc conſtituitur.

OMNIBVS.

In Concilio Gangrenſi, vt nulli liceat oblata, quæ ad pauperes pertinent, rapere, vel fraudare.

NOTA.

C. 11. Sed de contemptu excipientium pauperes conuiuio, quam ἀγάπην vocarunt Gracè, non de interceptione ſimpliciter, etſi huc reduci poteſt.

OMNIBVS.

Item in eodem, vt Eccleſiaſtica ieiunia ſine neceſſitate rationabili non ſoluantur. C. 19.

SACERDOTIBVS.

(a) In Concilio Acironenſi inuectum eſt in eos, qui cum quadrupedibus, vel maſculis contra naturam peccant, dura, & diſtricta pænitentia. Quapropter Epiſcopi, & presbyteri, quibus iudicium pænitentię iniunctum eſt, conentur omnimodis hoc malum à conſuetudine

prohibere, vel abſcindere. (*b*) In Concilio Neocæſarienſi, vt nullatenus presbyter ordinetur ante trigeſimum ætatis ſuæ annum quod dominus Ieſus non prædicauit ante trigeſimum annum.

NOTÆ.

(a) In Concilio Aciron) *C. 15. Vbi puto principium poſterioris trāſlationis deprauatum eſſe, ac legenda ſic eſſe Græca verba, περὶ τῶν ἀλόγως διαγόντων, omiſſo τι, & διάγονται, quæ habentur in vſitatis Codicibus, ac ideo in vtraque verſione additam disiunctiuam, ſiue verſantur, quod participium διαγόντων ſit ambigui temporis. Quamquam rectius præteritum ſignificat.*

(b) In Con. Neoc.) *C. 11. In Nouell. Iuſt. alicubi, niſi fallor, 35. anni requiruntur, ac vtinā obſeruaretur talis aliqua diligentia, & ſeuerius ab Epiſcopis regerentur clerici, vt debent, ac vbiq; iubentur in ſacris Canonibus.*

OMNIBVS.

In decretalibus Siricij Papæ, vt alterius ſponſam nemo accipiat.

NOTA.

C. 4. 27. q. 2. De coniugali. Hic Papa ſedulo reſtitit Manichæis, vt alys hæreticis, ac vixit tempore Gratiani, & Valentiniani, ante annos 1130.

ITEM EPISCOPIS, MONAchis, & virginibus.

ITem eiuſdem, (*a*) vt monachi, & virgines ſuum propoſitum omnimodis obſeruent.

NOTA.

(a) *C. 6. Vbi Monachorum fornicatio ſacrilega contagio vocatur, & eorum coniugia, niſi fallor, illiciti complexus, & prohibiti publicis legibus, & iure Eccleſiaſtico. In ſequente vero capite probatur cælibatus ſacerdotum, ſed caſtus, eo, quod in veteri*

teſtamento

testamento sint iussi casti esse, id est, abstinere à proprijs vxoribus in suæ vicis administratione, & ideo permissum eis tantum coniugium, quod nulli, nisi ex tribu Leui, potuerunt esse sacerdotes, ne periret hæc tribus.

OMNIBVS.

In decretalibus (*a*) Innocentij Papæ, vt pax detur, omnibus confectis Christi sacramentis. C. 1. ep. 1.

NOTA.

(a) *Hic rexit Ecclesiam sub tempore Arcadij, & Honorij FF. Impp. An. Dn. vt nonnulli scribunt, 423. Cæterum pax hic significat osculum pacis, non vt alibi ferè, Eucharistiam.*

SACERDOTIBVS.

Item eiusdem, vt * nomina publicè non recitentur ante precem sacerdotalem.

NOTA.

* *C. 2. & nomina significant memorationem eorum, pro quibus fit oblatio, vt ibi dicitur.*

EPISCOPIS ET SACERDOT.

Item eiusdem, vt nulli sacerdotum liceat ignorare sanctorum Canonum instituta.

EPISCOPIS.

In decretis Leonis Papæ, sicut & in Sardicensi Concilio, vt Episcopi alterius clericum ad se non sollicitent, nec ordinent. C. 18.

EPISCOPIS.

Item eiusdem, vt nullus Episcopus seruum alterius ad clericatus officium sine domini sui voluntate promouere præsumat, & hoc Gangrense Concilium prohibet. C. 5.

EPISCOPIS.

Item eiusdem, vt, si quis sacerdotum contra constituta decretalia præsumptuose agat, & corrigi nolens, ab officio suo submoueatur.

EPISCO-

EPISCOPIS.

C. 15. & 22. In decretis Gelasij Papæ, vt nullus Episcopus viduas velare præsumat.

Hæc enim, dilectissimi, pio studio, & magna dilectionis intentione vestram vnanimitatem admonere studuimus, quæ magis necessaria videbantur, vt sanctorum Patrum canonicis institutis inhærentes præmia cum illis æternæ felicitatis accipere mereamini Scit namque prudentia vestra, quam terribili anathematis censura feriantur, qui præsumptuose contra statuta vniuersalium conciliorum venire audent. Quapropter & vos diligentius admonemus, vt omui intentione illud horribile execrationis iudicium (a) vobis cauere studeatis, & magis canonica instituta sequentes, & pacifica vnitate nitentes ad æterna pacis gaudia peruenire digne mini. Sunt quoque aliqua Capitula, quæ nobis vtilia huic præcedenti admonitioni subiungere * visa sunt.

Vobis, abundat. Non enim dicimus latine caueo mihi periculum, sed, caueo periculum, vel caueo mihi à periculo.

NOTA.

(a) Visa sunt, *prouisum est*, aut subiungere, *positum est pro subiunctu, vel ad subiungendum, vel vt subiungerentur, vel subiungi.*

OMNIBVS.

Primo omnium, vt fides catholica ab Episcopis, & presbyteris diligenter legatur, & omni populo prædicetur, quia hoc primum præceptum est domini Dei omnipotentis in lege. Audi Israhel, quia dominus Deus tuus Deus vnus est, & (a) vt ille diligatur ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima, & ex tota virtute nostra.

NOTA.

(a) *Deut. 6. & Ioan. 8. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Quia*

Quia vero Deus videri non potest, loquitur per prophetas, apostolos, & eorum successores in expositione scripturæ, & ordinationibus ad pietatem seruientibus. Hinc est, quod dicitur in Luca, Qui vos audit, me audit, & 1. Iohan. 4. Qui nouit Deum, audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos. Luc. 10.

OMNIBVS.

Vt pax sit, & concordia, & vnanimitas cū omni populo Christiano inter Episcopos, Abbates, Comites, iudices, & omnes vbique seu maiores, seu minores personas: quia nil Deo sine pace placet, nec munus sanctæ oblationis ad altare, sicut in Euangelio, ipso domino præcipiente, legimus, quia & illud secundum mandatum est in lege, diliges proximum tuum sicut te ipsum. Matth. 5. reconciliare fratri tuo. Leuit. 19.

NOTA.

Ioh. 13. Mandatum nouum do vobis, vt dil. inuic. & tota prima epistola Iohan. plena est talib. præceptis non legalibus, sed spiritualibus, hoc est, quæ tantum à credentibus in Christum, & habentibus sp. s. fieri possunt meritorie.

Item in Euangelio, beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Et iterum in hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. In hoc enim præcepto discernuntur filij Dei, & filij diaboli, quia * filij diaboli semper dissensiones, & discordias mouere satagunt. Filij autem Dei semper paci, & dilectioni student. Matth. 5. Ioann. 13. * Hic se contemplentur hæretici, & schismatici, iuxta hoc Io ann. 8. ille homicida erat ab initio. Psalm. 57.

OMNIBVS. Deut. 16.

Vt quibus data est potestas iudicandi, recte iudicent sicut scriptum est. Iuste iudicate filij hominum. Non in muneribus quia munera excæcant corda prudentium, & subuertunt verba iustorum. Non adulatione, nec in consideratione personæ, sicut in Deuteronomio dictum Deut. 6. Deut. 1.

est, Quod iustum est iudicate, siue ciuis sit ille, siue peregrinus, nulla sit distantia personarum: quia Dei iudicium est. Primo namq; iudici diligenter discenda est lex à sapientibus populis composita, ne per ignorantiam à via veritatis erret, &, dum ille rectum intelligat iudicium, caueat, ne aut per adulationem aliquorum, aut per amorem cuiuslibet amici, aut per timorem alicuius potentis, aut propter premium à recto iudicio declinet. Et honestum nobis uidetur, vt iudices ieiuni causas audiant, & discernant.

OMNIBVS.

Leuit. 9. Exodi. 20. Deut. 5. Item habemus in lege, Domino pręcipiente, non periurabis in nomine meo, nec polluces nomen domini Dei tui, nec assumes nomen Domini Dei tui inuanum. Ideo omnino admonendi sunt omnes diligenter, vt caueant periurium, non solum in * sancto Euangelio, vel in altari, seu in sanctorum reliquijs, sed in communi loquela. Quia sunt alij, qui per caritatem, & veritatem iurant, & cauent * se à iuramento nominis Dei, & nesciunt, quia idem est Deus, quod est Caritas, & veritas, dicente Iohanne Apostolo, quia Deus Caritas est. Item ipse dominus in Euangelio, Ego sum via, & veritas, & vita. Ideo, qui in veritate & caritate iurat, in Deo iurat. Item cauendum est, ne pharisaica superstitione aliquis plus aurum honoret, quam altare, ne dicat ei Dominus, (a) stulte, & cæce, quid est maius, aurũ, an altare, quod sanctificat aurum? Sed & nobis videtur honestum, vt qui in sanctis habet iurare, hoc ieiunus faciat cum omni honestate, & timore Dei, & sciat se rationem redditurũ Deo vniuscuiusq; iuramenti, vbicunq; sit, siue intra Ecclesiam, siue extra Ecclesiam, (b) & vt paruuli sine rationabili ætate non cogantur iurare, sicut (c) Gunebodigni faciunt.

*Il est cum iuratur per SS. Euangelia, quæ consuetudo adhuc durat.
* Se pro sibi.
1. Iohan. 4. Iohan. 14.
Matth. 23.

ciunt, & qui ſemel periuratus fuerit, nec teſtis ſit poſthæc, nec ad ſacramentum accedat, nec in ſua cauſa, vel alterius iurator exiſtant.

NOTÆ.

(a) *Matth. 23. Apte eſt hoc vſurpatum cum ſuperſtitio non ſit in cultu, aut obſeruatione rerum externarum ſimpliciter, ſed cũ reſpectu, & collatione, hoc eſt, ſi non ſeruentur gradus, & leuiora grauioribus aut præferantur, aut habeantur paria. Sicut in eodẽ loco ſequitur.* Et reliquiſtis, quæ grauiora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam, & fidem, Hæc oportuit facere, & illa non omittere.

(b) Gunebodigni) *vocabulo ſuperimpoſitum eſt hic* Guntbodigni) *Sed neutrum eſt in c. Paruuli. 22 q. 5. vbi etiam habentur hæc verba, ſignificatur autem gens aliqua vel populus, vel familia, nec vox à noſtratibus abhorret.*

(c) *22. q. 4. c. ſi quis. Et c. paruuli. Et mitigat, aut corrigit hic Canon præcedentem legem c. 10. De eo, qui periur.*

OMNIBVS.

Item habemus in lege domini mandatum, non auguramini, & in Deuteronomio, nemo ſit, qui ariolos ſciſcitetur, vel ſomnia obſeruet, vel ad auguria intendat. Leuit. 19. Deut. 18.

Item ne ſit maleficus, nec incantator, nec pythonis conſultor. Ideo præcipimus, vt * caucolatores, & incantatores, & tempeſtarij, vel obligatores, non fiant, & vbicumque ſunt, emendentur vel damnentur.

NOTA.

* Cauculatores, *Cocler, vt ſupra c. Item in eodẽ Con. vt cocloarij. Male ſcriptũ eſt in archety,* caucolatores. *Porro* tempeſtarij ſunt *obſeruatores tempeſtatum, vt fulguratores, & qui apud Senecam χαλαζοφύλακες. i. grandinis obſeruatores appellãtur. obligatores forte ſunt, qui pacta faciunt ſuperſtitioſa, vt nunc ſagæ, cum dæmonibus, aut etiam cum bonis ſpiritibus.*

Item de arboribus, vel petris, vel fontibus, vbi aliqui ſtulti luminaria, vel alias obſeruationes faciunt, omnino mandamus, vt iſte peſſimus vſus, & Deo execrabilis, vbicunq; inuenitur, tollatur, & deſtruatur.

OMNIBVS.

Leuit. 19.

Item prædicare neceſſe eſt quantum malum ſit odium, vel inuidia, quia in lege ſcriptum eſt. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publice arguas eum.

1 Ioann. 3. Matth. 18.

Item Iohannes Euangeliſta, qui odit fratrem ſuũ homicida eſt. Item in Euangelio, ſi peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum, & cætera quæ ibi leguntur. De Auaritia autem legimus Apoſtolum dicentem, Auaritia, quæ eſt idolorum ſeruitus, cauenda.

Coloſ. 3. 1. Tim 6. Exod. 20. Deut. 5. Num 35.

Item de concupiſcentia legitur, quod ſit radix omnium malorũ, & in lege, non concupiſces rem proximi tui.

Item vt homicidia infra patriam, ſicut in lege Domini interdictum eſt, nec cauſa vltionis, nec auaritiæ, nec latrocinandi fiant, & vbicunque inuenta fuerint, à iudicibus noſtris ſecundum legem ex noſtro mandato vindicetur, & non occidatur homo, niſi, lege iubente.

OMNIBVS.

* De furtis L. de duobus furtis, & ſeq. L. 1. leg Long. Et de prohibit. Napt. L. vt epi ſcopi, & L. illud præterea. L. 2. Exod. 20.

* Item & furta, & iniuſta cõnubia, nec non & falſa teſtimonia, ſicut ſæpe rogauimus, prohibete diligenter, ſicut & lex domini prohibet, & hoc cum magno ſtudio admonete, vt filij honorent parentes ſuos, quia ipſe dominus dicit, honora patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

SACERDOTIBVS.

Vide miſſarum celebrationes.

Vt Epiſcopi diligenter diſcutiant per ſuas parrochias presbyteros, eorũ fidem, baptiſma, & miſſarũ celebrationes.

tiones, vt & fidem rectam teneant, & baptisma Catholicum obseruent, & missarum preces bene intelligant, & vt Psalmi dignè secundum diuisiones versuum modulentur, & Dominicam orationem ipsi intelligant, & omnibus prædicent intelligenda, vt vnusquisque sciat, quid petat à Deo, & vt, Gloria patri, cum omni honore apud omnes cantetur, & ipse sacerdos cum sanctis angelis, & populo Dei communi voce, Sanctus, Sanctus, Sanctus, decantet. Et omnimodis dicendum est presbyteris, & diaconibus, vt arma non portent, sed magis * se confidant in defensione Dei, quàm in armis.

* *Se*, abundat, & est Germanismus, sich verlassen.

ALIQVID SACERDOTIBVS, ALIquid omnibus.

Item placuit nobis admonere reuerentiam vestram, & vt vnusquisque vestrum videat per suas parrochias, vt Ecclesia Dei suum habeat honorem, simul & (*a*) altaria secundum suam dignitatem venerentur, & non sit domus Dei, & altaria sacrata peruia canibus, & vt vasa sacrata Deo cum magna veneratione habeantur, & vt sacrificia sacrificata cum magna diligentia ab eis colligantur, * quæ dignis cum honore seruentur, & vt sæcularia negotia, vel vaniloquia in Ecclesiis non agantur, quia domus Dei domus orationis debet esse, non spelunca latronum, & vt intentos habeant animos ad Deum, quando veniunt ad missarum solennia, & vt non exeant ante completionem benedictionis sacerdotalis.

* Hic est in archetypo, *quæ degnis vel cum*. O sæculum, ô Germania.

NOTA.

(a) *Vide, sit domus Dei, & altaria, non altare. Vt nunc passim altaria destruuntur in templis, vix vno relicto: q. Missa non sit incruenta victima. vt. Gregor. Nazian. eam appellat.*

SACERDOTIBVS.

Sed & hoc flagitamus vestram * almitatem, vt ministri altaris Dei suum ministerium bonis moribus ornent, seu alii Canonici obseruantiæ ordines, vel monachi, præpositi, congregationes, obsecramus, vt bonam, & probabilem habeant conuersationem, sicut ipse Dominus in Euangelio præcepit. (*a*) Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est, vt & eorum bona conuersatione multi pertrahantur ad seruitium Dei, & non solum seruilis conditionis infantes, sed iam ingenuorum filios aggregent, sibique socient, &, vt schola legentium puerorum fiat. Psalmos, notas, cantus, computum, gratiam per singula monasteria, vel Episcopia, & libros Catholicos bene emendate, quia sæpe, * dum bene aliqui Deum rogare cupiunt, sed per inemendatos libros male rogant, & pueros vestros non sinite eos vel legendo, vel scribendo corrumpere, &, si opus est, Euangelium, psalterium, & missale scribere, perfectæ ætatis homines scribant cum omni diligentia.

Math. 5.

* Aut dum) hic, aut, sed) abundat.

Dignissima Christiano principe admonitio.

NOTA.

(a) *Nota, quod lux, & opera coniunguntur. Hæc sunt velut testimonia quædam, seu fructus illius, id est, doctrinæ, quæ nascitur in pectore, non in ore, vt est Hypocritarum, & pseudoprophetarum, qui vtrique simulant probitatem, sed illi sæpe sine falsa doctrina, hi nunquam, ac ideo perniciosiores: ab Apostolis hæretici appellantur. Et hoc est, quod Christus iubet eos cognosci ex fructibus suis. Non enim fructus significant propriè doctrinam, cum dicantur intus lupi, & foris oues per antitethon, ac internum cognosci nequeat sic per externum. Si ergo falsos prophetas, hoc est falsam doctrinam, significant lupi, vestimenta ouium verarum simulatio-*

mulationem, id est, sana doctrinæ speciem, non potest doctrinæ fructus esse prophetæ, quo noscitur, nisi falsa doctrina vera est fructus, aut contra falsæ vera, vel etiam adultera suiipsius. Huc pertinet, quod Christus in hoc loco manifestè loquitur de operibus pietatis, & perturbatoribus eorum cum aliis leuioribus, aut ipsorum etiam inter se. Omnia ergo, quæcumque vultis, vt faciant vobis, &c. Et intrate per angustam portam. Idque ante verba. Attendite à falsis proph. Et post hæc dicit, non intraturos, nisi, qui faciant voluntatem patris eius, iubetque tales operum præposteros Magistros à se discedere, vt operantes iniquitatem. Quod si quis dicat prophetæ fructum esse doctrinam, vt tunica sarctoris est opus, responderi debet, Christi similitudinem de arbore meliorem esse, imo artium similitudines huc non quadrare, cum abuti quis eis possit, virtute, & probitate non item. Sicut enim arbor, si est bona, malos fructus non potest ferre, cum eius actio sit naturalis, ita iustus non potest iniustè facere, hoc est, Iustitia non potest male vti, & econtra. Conuenit hoc planè cum Augustini doctrina de bonis maximis, vt habetur lib. 2. sent. d. 26. Ac, vt maximè valerent similitudines artium, tamen simplices æque, ac non facile possunt falsos doctores à veris diiudicare, non possunt doctrinam à doctrina discernere, cum plerumque falsa veris, & vera falsis inuoluant, ac discentem oporteat credere, vt ille inquit. Facit ad hoc omnium veterum huius loci expositio, & quod alibi dicitur, cum cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt, & quod Christus in Euangelistis iubet suos discipulos cauere à fermento Pharisæorum, ac manifeste intelligit fermento doctrinam. Est enim hic locus illius expositio, nec iidem significantur per Pharisæos, & Hypocritas. Cum hi possint esse, vt non sint Pharisæi simul, Contra illi non possint esse, nisi vna sint hypocritæ. Alteri sunt lupi, alteri ventres. Consentiant ferè SS. PP. in Concil. Magunt. c. 18.

SACER-

SACERDOTIBVS.

Simul & hoc rogare curauimus, vt omnes, vbicunque sunt, qui se voto monachicæ vitę constrinxerint, monachicè, & regulariter omnimodis secundum votum suum viuant, secundum quod scriptum est, Vota vestra reddite Domino Deo vestro, & iterum, melius est non vouere, quàm non reddere, & vt ad monasteria venientes, secundum regularem ordinem primo in pulsatorio probentur, & sic accipiãtur, & qui ex sæculari habitu in monasteria veniunt, non isti foras ad ministeria monasterii mittantur ante, quam intus bene erudiantur, &, vt monachi ad sæcularia placita non vadant. Similiter qui ad clericatum accedunt, quod nos nominamus Canonicam vitam, volumus vt illi Canonicè secundum suam regulam omnimodis viuant, & Episcopus illorum regat vitam, sicut Abbas monachorum.

Prou. 75. Eccles. 5. & passim in veteri test.

De placitis vide supra. Vita Canonica, vita clericorum.

NOTA.

Hæc omnia pulchrè scilicet nostro tempore seruantur. Quid igitur aliud, quam grauem pœnam, expectamus, nisi totis animis ad Deum conuertamur, agamus pœnitentiam, & deprecemur culpam?

OMNIBVS.

Vt æquales mensuras, & rectas, & pondera iusta, & æqualia omnes habeant, siue in ciuitatibus, siue monasteriis, siue ad dandum in illis, siue ad accipiendum, sicut in lege Domini præceptum habemus. Item in Salomone, Domino dicente, pondus, & pondus, mensuram, & mensuram odit anima mea.

Leuit. 19. Deu. 25. Prou. 20.

OMNIBVS.

Et hoc nobis competens, & venerabile videtur, vt hospites, & peregrini, & pauperes susceptiones regulares, & Ca-

& Canonicas per loca diuersa habeant. Quia ipse Dominus dicturus * erit in remuneratione magni diei, hospes eram, & suscepistis me. Et Apostolus hospitalitatem laudans dixit, per hanc quidam placuerunt angelis hospitio susceptis.

* *Erit.* pro est. Matth. 25. Ad Heb. 13.

EPISCOPIS ET ABBATIBVS.

Auditum est aliquas Abbatissas contra morem sanctæ Dei Ecclesiæ benedictiones cum manus impositione, & signaculo sanctæ Crucis super capita virorum dare. Nec non & velare virgines cum benedictione sacerdotali, quod omnino vos, sanctissimi patres, in vestris parrochiis interdicendum esse scitote.

CLERICIS.

Vt illi clerici, qui se fingunt habitu, vel nomine monachos esse, & non sunt, omnimodis videtur corrigendos, atque emendandos esse, vt vel veri monachi sint, vel veri Canonici.

NOTA.

Solœcismus, & hyperbaton. Sic rectè diceretur, videtur, vt illi clerici, &c. omnimodis corrigantur, atque emendentur. Omnimodis) *vt sæpe in hoc libello alibi, ponitur pro omnibus modis) aduerbialiter, & inusitate.*

OMNIBVS.

Item & pseudographa, & dubiæ narrationes, vel omnino, quæ contra fidem Catholicam sunt, vt epistola pessima, & fallacissima, quam transacto anno dicebant aliqui errantes, & in errorem alios mittentes, quod de cœlo cecidisset, nec credantur, nec legantur, sed comburantur, nec in errorē per talia scripta populus mittatur, sed soli canonici libri, & Catholici tractatus, & sanctorum authorum dicta legantur, & tradantur.

Vide impostu-ram, & audaciā hæreticorum.

O Carole quid faceres nunc si reuiuisceres, & imperares.

ALIQVID SACERDOTIBVS, ALIquid omnibus.

Item (*a*) vt isti mangones, & (*b*) cogciones, qui sine omni lege vagabundi vadunt, per istam terram, non sinantur vagari, & deceptiones hominibus agere. Nec isti nudi cum ferro, qui dicunt se data sibi pœnitentia, ire vagantes, melius videtur, vt si aliquid inconsuetū, & capitale crimen commiserint, in vno loco permaneant laborantes, & seruientes, & pœnitentiam agentes, secundum
* Sibi) pro eis. quod * sibi Canonicè impositum sit.

NOTA.

(a) Mangones *barbare dicuntur, qui latine dicuntur in veteri iure venaliciarii. Pro deceptoribus hic generaliter videtur poni. Sic &* (b) *Cogciones aut pro impostoribus, aut pro fatuis, a nostro* Geck/ *vel* Gauch/ *& hæc à Cuculo, quod à Græco κοκκῦξ deriuatum est.*

OMNI CLERO.

Vt cantum Romanum pleniter discant: ordinaliter per nocturnale, vel graduale officium peragatur, secundum quod beatæ memoriæ genitor noster Pipinus rex (*a*) decretauit, vt fieret, quando (*b*) Gallicanum tulit, & ob vnanimitatem Apostolicæ sedis, & sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam.

NOTA.

(a) *Puto hic legendum,* decreuit, *&* (b) *per Gallicanum (erat etiam hic in membrana scriptum, vt vera lectio, Galligam) intelligi leges Gallicanas, id est, Gallis latas, quod ipse, & alij temporum illorum capitulare vocant.*

OMNIBVS.

Statuimus quoque, secundum quod & in lege (*a*) Dominus præcepit, vt opera seruilia diebus Dominicis non agan-

agantur, sicut & bonæ memoriæ Genitor meus in suis synodalibus edictis mandauit, id est, quod nec viri ruralia opera exerceant, nec in vinea colenda, nec in campo arando, vel fœnum secando, vel sæpem ponendo, nec in syluis * stirpare, vel arbores cædere, vel in petris laborare, nec domus construere, nec hortum laborent, nec ad placita conueniant, nec venationes exerceant: Et tria carraria opera licet fieri in die Dominico, Id est (*b*) ortalia carra, vel victualia, vel si forte necesse erit corpus cuiuslibet ducere ad sepulchrum.

* *Stirpare* puto positum pro putare, vel ablaqueare.

NOTÆ.

(a) *De Sabbatho præcepit, quod Ecclesia pro libertate sua commutauit in proximũ diem & ad declarandum suum ius contra Iudæos, & ad celebrandum eum diem, in quo Christus resurrexit, vnde & Dominicus appellatur.*

Quid si carra omittatur, & pro ortalia *legatur tortalia, sicut in manuscripto codice t, litera voci* ortalia *est in fronte superposita? Possent aut intelligi fortasse instrumenta iudiciorum Capitalium, hoc est, machinæ, quorum vsus est tum in custodiendis, tunc in torquendis facinorosis.*

Item fœminæ opera textrilia non faciant, nec capillent, vestitus non consuant, vel * acupictile faciant, vel lanam carpere, nec linum (*a*) battere, nec publicè vestimenta lauare, vel verueces tondere habeant licitum, vt omnimodis honor, & requies diei Dominicæ seruetur. Sed ad missarum solennia, ad ecclesias vndique conueniant, & laudent Dominum in omnibus bonis, quæ nobis in illa die fecit.

* Hic erat scriptum aquopictile.

NOTA.

(a) Battere) *est Germanicũ ab eo, quod nos iam dicimus* **bessern**

fern / Saxones betteren. *Constat autem ex aliis vetustis monumentis, Francicam linguam priscam similiorem Saxonicæ præsenti fuisse, quam ei, qua nunc vtuntur Franci nostrates, aut meridionaliores populi Germaniæ. Ressen id his temporibus apud nos dicitur. Potest etiam accipi pro eo, quod nos dicimus* brechen / *aut* schwingen / *hoc est frangere, aut ventilare, seu fractum, & contusum linum verberando purgare, & ita fortasse melius, cum sic vsurpatum inueniatur & alibi, & L. Si quis homini lib. de his, qui insidiendo, vel s. & c. 1. Leg. Longob. adeoq; in vernaculo vsu adhuc sit apud Italos.*

OMNIBVS.

Sed & vestrum videndum est dilectissimi, & venerabiles pastores, & rectores Ecclesiarum Dei, vt presbyteros, quosquos mittitis per parrochias vestras ad regendum per Ecclesias populum Deo seruientem, vt rectè, & honestè prædicent, & non sinatis noua, vel non canonica aliquos ex suo sensu, & non secundum scripturas sacras fingere, ac prædicare populum. Sed vosmet ipsi vtilia, honesta, & recta, &, quæ ad vitam ducunt æternam, prædicate, aliosque instruite, vt hæc eadem prædicent.

Quomodo sint docendi populi de fide Christiana. Trinitas.

Primum omnium prædicandum est omnibus generaliter, vt credant patrem, & filium, & spiritum sanctum vnum esse Deum omnipotentem, æternum, inuisibilem, qui creauit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, & vnam esse deitatem, substantiam, & maiestatem in tribus personis patris, & filii, & spiritus sancti.

Incarnatio filij.

Item prædicandum est, quomodo Dei filius incarnatus est de spiritu sancto, & ex Maria semper virgine, pro salute & reparatione humani generis passus, sepultus, & tertia die resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlos, & quomodo iterum venturus sit in maiestate diuina iudicare omnes homines secundum * merita propria, & quomo-

quomodo impij pro sceleribus suis cum diabolo in ignẽ æternum mittuntur, & iusti cum Christo, & sanctis Angelis suis in vitam æternam.

NOTA.

(a) *Quomodo secundum merita Carole? an fidei solitudinem ignorauisti? an vero creditum est, illis temporibus Christi quidem beneficium, ac meritum esse infinitum, sed in nobis fidem non sufficere, ac spiritum sanctum ignem, caritatem, donum Dei, spiritualem vnctionem dici potius, & cani, quam fidem?*

Item diligenter prædicandum est de resurrectione mortuorum, vt sciant, & credant in iisdem corporibus premia meritorum accepturos.

Item cum omni diligentia cunctis prædicandum est, pro quibus criminibus deputentur cum diabolo in æternum supplicium. Legimus enim Apostolum dicentem, manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immundicia, luxuria, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Ideo hæc eadem, quæ magnus prædicator Ecclesiæ Dei sigillatim nominauit, cum omni studio prohibete. Intelligentes, quam sit terribile illud, quod dicit, quia, qui talia agunt, regnum Dei non consequuntur. Sed omni instantia admonete eos de dilectione Dei & proximi, de fide, & spe in Deo, de humilitate, & patientia, caritate, & continentia, de benignitate, & misericordia, de eleemosynis, & confessione peccatorum suorum, &, vt debitoribus suis secundum dominicam orationem sua debita dimittant: Scientes certissimè, quod, qui talia agunt, regnũ

Galat. 5.

Nihil ne de sola fiducia, reiectis á societate iustificationis operibus inusitata subtilitate?

ſidebunt,& hoc ideo diligentius iniungimus veſtræ Caritati,quia ſcimus temporibus nouiſſimis * pſeudo doctores eſſe venturos, ſicut ipſe Dominus in Euangelio prædixit & Apoſtolus Paulus ad Timotheum teſtatur. Ideo dilectiſſimi toto corde præparemus nos in ſcientia veritatis,vt poſſimus contradicentibus veritati reſiſtere, &, diuina donante gratia, * verbum Dei creſcat, & currat,& multiplicetur in profectum ſanctæ Eccleſiæ, & ſalutem animarum veſtrarum, & laudem, & gloriam nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Math. 24.
1. Tim. 4.
2. Theſ. 2.

NOTÆ.

* *Et propheta es Carole? Quos verò demonſtras? Monachóſne, an tam varias ſectas noſtrorum temporum? Satis hoc declaras in aliјs tuis conſtitutionibus.*

* *Quod verbum Carole? Solàne fides, contemptus ordinis Chriſmatis, extremæ vnctionis, ſacrificij Miſſæ, & ceremoniarum Eccleſiæ.*

Pax prædicantibus,gratia obedientibus,& gloria domino Deo noſtro Ieſu Chriſto amen. Anno dominicæ incarnationis D. CC. LXXXIX. indictione XII. anno XX. regni noſtri actum eſt huius legationis edictum in Aquis grani palatio publicè, data eſt hæc carta die decimo Kal. Aprilis.

De Monachis * Girouagijs,vel ſarabattis II. Item Ca. de Anachoretis. melius eſt, vt hortentur in congregatione permanere, quam animos eorum alicubi ambulare tentent.

NOTA.

Puto Giruagijs,& ſarabattis germanica vocabula eſſe,alterum ab errando, & curru,alterum à valde,& cum difficultate tranſeundo, ac vtroq; ſignificari circumcelliones, & mendicos. Anachorita,

rita, verò Græcum est, ab ἀναχωρεῖν secedere, & significat proprie monachum. i. solitarium, quales in Ægypto fuerunt, & apud nos Einsidel, *à solitarie sedendo id est versando.*

III.

Vt non parui pendentes sint pastores animarum sibi commissarum, nec maiorem curam habeant de lucris terrenis, quàm de animalibus sibi commissis.

IIII.

De obedientia, quæ Abbati exhiberi debet, & vt absque murmuratione fiat.

Vides hic non tantum scholas fuisse monasteria discentium literas, & pietatem, sed præcipuè cœtus ad cultum diuinũ destinatos.

V.

De Decanis, & Præpositis, vt eorum mutatio secundum regulam fiat.

VI.

De cellarijs monasterij, vt non auari mittantur, sed quales regula præcipit.

VII.

Vt, vbi corpora sanctorum requiescunt, aliud oratorium habeatur, vbi fratres secrete possint orare.

VIII.

De Eulogijs,

IX.

De susceptione hospitum, sicut regula continet.

X.

De vestimentis Monachorum, vbi superfluum est, abscindatur, &, vbi minus, augeatur.

XI.

De nouiter venientibus ad conuersationem, vt secundum

Vide regula & probatio

secundum regulam probentur, & non antea suscipiantur, nisi, sicut regula iubet. Et nullus cogatur inuitè repromittere, & de obedientia, & de stabilitate permanēdi, sicut regula habet,

Hæc diligenter eo..sidera contra hostes Monasticæ.

XII.

De filijs nobilium, qui * offeruntur.

* *Offeruntur*, id est, in monasterium dautur, ac Deo consecrātur.

XIII.

De ordinando Abbate.

XIIII.

De fratribus in via directis.

XV.

Vt nullus Abbas pro susceptione Monachi premium * quærat.

* Hic inscripto libro est, *non quaras*, sed male, vt pleraque alia.

XVI.

Vt disciplina monachis regularis imponatur, non secularis. Iidem non orbentur, (*a*) nec mancationes alias habeant, nisi ex authoritate regulæ.

NOTA.

(a) *id est, ne ita puniantur adimendis rebus, & mutilandis membris, vt prophani aut seculares puniuntur, sed vt regula præscribit.*

ITEM CAPVT I.

Vt comites pupillorum, & orphanorum causas primum audiant, & in venationē non vadant illo die, quādo placitum debent custodire, nec ad partum.

NOTA.

Obseruent hanc legem Principes, & alij nobiles ordinum superiorum, & discant ab hoc Heroe, non satis esse causarum cognitionem cou-

nem consiliarijs committere, nec praeesse alijs tantum, esse in splendore, ac delicijs versari. Partum *aut in hoc loco videtur esse Germanicū vocabulum & significare ludicrum certamen, cuiusmodi fortasse nunc est vulgare, quod* partten) *vocant, & videtur esse factum à partibus, aut partiendis certaturis.* Placitum *vero* custodire, *est interesse iudicio, causas audire, ac dijudicare.*

II.

De sacramento fidelitatis, quod nobis, & filijs nostris iurare debent, quod his verbis contestari debet. Sic promitto ego ille partibus domini mei Caroli regis, & filiorum eius, quia fidelis sum, & ero diebus vitæ meæ sine fraude, vel malo ingenio. Al. de sacramētis fidelitatis causa &c.

III.

De monasterijs, vbi Nunanes sine regula sedent, volumus, vt in vno loco congregatio fiat regularis, & Episcopus præuideat, vbi fieri possit, &, vt nulla abbatissa foras monasterio exire præsumat sine nostra iussione, nec sibi subditas facere permittat, & earum claustra sint bene firmata, & nullaten⁹ ibi vini leodd's scribere, vel mittere præsumat, & de pallore earum propter sanguinem nouationem. *foras* abundat. *Facere* f. hoc, id est exire,

Nota.

Hic locus est obscurus, & corruptus. Opinor autem prohiberi admonitiones, quæ fiant à temulentis mulieribus de pallido colore monialium corrigendo per sanguinis nouationem, aut minutionem (ita. n. erat etiam hic adscriptum, & si non integre minuationem) velut instrumentum luxus, & lasciuia, vt vini leodd's nomen sit Germanicū, à viue (quod latinum est in nostra lingua, & lodde, *vili, aut nihili muliere, vt dicimus* Lodesack/ Wein-

 schlauch/

schlauch, *& similia. Deinde post verbum* præsumat) *&, coniunctionem puto abijciendam, & pro* sanguinem, *scribendum* sanguinis.

IIII.

De tabulis, vel codicibus requirendis, & vt nullus in psalterio, vel Euangelio, vel in * alijs rebus sortiri præsumat, nec diuinationes aliquas obseruare.

* f. talibus, aut sacris.

V.

Vt nullus glorietur per iniustitiæ rationem aut conquirere aliquid, aut continere.

VI.

Vt illæ disciplinæ, quæ propter legem conseruandam sunt constitutæ, propter premium non dimittantur.

NOTA.

Vt permittere sacerdotibus concubinas, aut scorta, laxare publica ieiunia priuati quæstus caussa, & similia facere, quæ species quædam Simoniæ sunt, ac seuerissime prohibita in Conciliis, & Sac. Canonibus

VII.

Vt audiant Episcopi baptisterium presbyterorum, vt secundum morem Romanum baptizent.

NOTA.

Puto scribendum adeant (. *f. cum baptisant*) *& hoc ideo, quia baptisterium* (βαπτιστήριον) *significat vas, in quo baptisatur, quem fontem vocamus, qui certe non potest audiri de forma baptismi.*

VIII.

De calceamentis secundum Romanum vsum.

IX.

Vt in diebus festis, vel dominicis omnes ad Ecclesiam veniant, & non inuitent presbyteros ad domos suas ad missam faciendam.

NOTA.

NOTA.

Vides hic non intra quadringentos annos incepisse missas celebrari sine communicantibus, vt vocant? Non est enim credibile omnes omnibus diebus festis eo tempore sumpsisse Eucharistiam, nec dicitur hic ad communicandum, sed ad faciendam missam.

X.

Omnino prohibendum est omnibus ebrietatis malum, & istas coniurationes, quas faciunt per Sanctum Stephanum, aut per nos, aut per filios nostros, prohibemus, & præcipimus, vt Episcopi, vel Abbates non vadant per casam miscendo. Ebrietas, Coniurationes.

NOTA.

Per casam, *puto intelligi diuersorium, aut aliam publicam domum, ac vetari Episcopos, & Abbates profanis cœtibus se admiscere.*

XI.

De eo, quod missi nostri prouidere debent ne forte aliquis * clamor super Episcopum, vel Abbatem, vel Abbatissam, vel Comitem, seu super qualemcunque gradum sit, & nobis renunciare.

* Est Germanismus Das nit ein Geschrey wer/ oder sey. Et intelligitur de sinistra fama.

XII.

De iniustis Theloneis.

XIII.

De manu leprosi.

XIV.

Vt monachi, & qui in sacerdotali gradu constituti sunt, ad secularia negotia non transeant. * De reliquis tonsuratis detur spacium vsque in synodum nostram.

* Vides hic veterem consuetudinem in gradibus aut ordinibus clericorum?

XV.

Cuplascanum forte vocat gregem, aut cętum canum venaticorum, à cupien ii copulando.

Vt Episcopi, & Abbates, & Abbatissæ cuplascanum non habeant, nec falcones, nec accipitres, nec ioculatores.

XVI.

De pauperibus in plateis, vel quadruuijs iacentibus, vt ad Ecclesiæ, & illorum confessiones donentur.

NOTA.

Id est pauperes explorentur, qui digni sint auxilio, qui non sint, vt (Ecclesiæ) *vox proprie significet fidelem populum, non templum, vti sæpe significat, etiam apud veteres, nisi quis velit pauperes ad templa debere mendicare, vt nunc est consuetudo, sed ita esset* (Ecclesiam) *legendum, &* confessiones *duriter cohæreret.*

XVII.

* Teucuria puto Germanicū esse tecke/ tegmen.

Vt super altaria * tecuria fiant, vel laquearia.

XVIII.

Vt clocas non baptizent, nec cartas per perticas pendant, propter grandinem.

NOTA.

Cloca *manifeste nostrum est, ac significat tintinabulum dicatum rebus sacris, quæ campanas vulgo vocamus, ac prohibetur hic superstitio, non aliqua legitima, & Ecclesiastica benedictio, vel consecratio non superstitiosa.*

XIX.

Vt missi nostri prouideant beneficia nostra, quomodo sint condirecta, & nobis renunciare * faciant.

* *Hic erat verbum* (sciant) *ita correctum, in quo videtur phrasis Germanica esse, vt est etiam in voce missi,* geschickte/ *legati, Apostoli.*

De le-

X X.

De leprosis, vt se non intermisceant aliî populo Christiano. Et omnino missis nostris præcipimus, vt bona, quæ * aliis per verbum nostrum docent facere, factis in se ipsis ostendant.

* Aliis) *pro alios, vti alio) scriptum erat in praecedentibus, vbi nos alij) posuimus, correcto solæcismo.*

INCIPIT CAPITVLARE, QVALITER præcepit Dominus Rex de quibusdam caussis.

PRimo cap. de * Xenodochiis iussit, vt, quicunque Xenodochia habent, si ita pauperes pascere voluerint, & consilio facere, quomodo ab antea fuit, habeant ipsa Xenodochia, & regant ordinaliter, & si hoc facere noluerint, ipsa dimittant, & per tales homines in antea sint gubernanda, qualiter Deo, & nobis exinde placeant.

NOTA.

* *Vbique ferè nomen Xenodochium) per s. erat scriptum vitiosè. Est enim deriuatum à ξένος, hospes, & δοχεῖον, receptaculum; hospitale vulgò dicitur, & à nostris eadem voce, vt fit, mutilata,* Spital. *Quamquam nunc generaliter hæc vox vsurpatur non tantum pro domo, in quam recipiuntur hospites, aut peregrini, sed etiam pauperes ciues, & hoc magis Ptochodochium esset vox propria. Tametsi adhuc habentur in quibusdam locis vera Xenodochia, vt Nurnbergæ, si non fallor.*

I I.

De Ecclesiis baptismalibus, vt nullatenus eas laici homines tenere debeant, sed per sacerdotes fiant, sicut ordo est, * gubernatæ, & neq; ipsi pagenses negligentiam habeant de hoc, quod ibidem facere debeant, & illi sacerdotes sic regãt, quomodo ordo Canonicus expos[c]eret.

* Fiant gubernatas) *erat scriptum, sed malè.* fiant gubernatæ) *autem positum est pro* gubernentur. *Et illi pro nostro articulo,* **die**) *quo tamen latini carent omnino.*

III.

De aduocatis sacerdotum, volumus pro Ecclesiastico honore, & illorum reuerentia aduocatos habeant.

IV.

De diuersis generationib⁹ hominũ, qui in Italia commanent, volumus, vt, vbicunq; culpa cõtigerit, vnde faida crescere potest, propter eas fatigationes hominis illius, contraq; culpã secundum ipsius legẽ, cui negligentiam commisit, emendet. De vero statu ingenuitatis, aut aliis querelis, vnusquisq; secundum suam legem seipsum defendat.

Quia actor sequitur forum rei.

V.

De compositionibus quæ ad palatium pertinent, si comites ipsas causas commouerint ad requirendum, illam tertiam partem ad * eorũ recipiant opus, duas verò ad palatium. Et, si per suam negligentiam remanserint, & missus dominicus ipsas causas cœperit inquirere, tunc volumus, vt * ipse comes illam tertiam partem non habeat rectum integritãte ad palatium veniat.

* *Eorum*) pro suum.

NOTA.

* Comites habeant) *puto hic legendum, vt numeri conueniant, & pro,* rectum, *opinor scribendum,* sed cum.

VI.

De monasteriis, & Xenodochiis, quæ per diuersos comites esse videntur, vt regalia sint, & quicunq; ea habere voluerit, per beneficium dono regis habeat.

Hic *regales,* & *eas,* non minus inepte.

NOTA.

Hic erat scriptum ineptissime, De monasteria, & Senedochia,

chia, *qui, &c. Videtur autem velle, vt Monasteria, & Xenodochia, quæ sita sunt in comitatibus, pertineant ad vnum aliquod iudicium, & potestatem regiam.*

VII.

De rebus per diuersos comites volumus, vt ad placitum pertineant. Idem generaliter hic præcipitur.

NOTA.

Placitum, *id est iudicium, administrationem regiam, de qua voce alibi.*

VIII.

Si cui res in eleemosyna datæ sunt, & ipse mortuus fuerit ante, quam eas dispenset, tunc missus Dominicus vna cum Episcopo parrochiæ illa * conquiret, qualiter in domini regis mercede ipsa eleemosyna fiat * facta, & infra xxx. noctes impletæ esse debent,

NOTA.

Hic erit scriptum conredit *nulla sententia, nos diuinando,* conquiret, *in huius locum posuimus nemini suum iudicium præripientes.* * Fiat facta *pro fiat puto esse dictum Germanica phrasi, & hoc pro collocetur*, in mercede) *autem, pro, ad vtilitatem.*

IX.

De filia, cuius pater per manum arrogatoris homines seruos suos iussit fieri liberos, & quia contra legem esse videtur, instituimus, vt ipsa in tertiam portionem.

NOTA.

Hæc lex habetur in Tit. de eo, quod pater necesse hab. L. 2. leg. Longob. integra. Desunt enim hic in fine verba, de præfatis rebus iterum introire liceat, & sic ipsa est positum pro ipsi. Adscribitur etiam ibi lex Pipino. Cæterum vox arrogatoris hic impropriè posita est, pro prætore fortasse, aut alio, qui confirmat libertates.

Placuit

X.

Placuit inserere, vbi lex erit, præcellere consuetudinem, & nulla consuetudo superponatur legi.

NOTA.

Præcellere consuetudinem. *s. eam, id est, vt lex præcellat consuetudinem. Est enim per se hoc ambiguum, vt facile est videre perito sermonis.*

XI.

Commeatum) potestatem, seu permissionem.

Placuit etiam nobis, vt, quæcunque fœmina potestatem habet per commeatum viri sui vendere, habeat potestatem & donare.

XII.

De mancipiis palatii nostri, & Ecclesiarum nostrarum, nolumus mundium recipere, sed nostra ipsa mancipia habere.

NOTA.

Vox Mundium *sæpe occurrit in legg. Longob. & plerumque significat tutelam, vnde Mundualdi, vel Mundoaldi, hoc est tutores, ab administranda tutela. Item* formunden/Mundlin *voces planè Germanicæ. hic significat potestatem generaliter.*

XIII.

Placuit nobis, vt * illos liberos homines comites nostri ad eorum opus seruile non opprimant, & quicunque hoc fecerit, sicut iudicandum habemus, emendet.

NOTA.

* Illos, *abũdat, ac est imitatio Germanici articuli,* die freyen. *Hoc obseruent & præfecti principum, & ipsi principes, qui profectò, nisi aduigilent ipsi quoque diligenter, non sunt excusati.*

XIV.

De rebus, quæ (a) Hildegardę reginæ traditæ fuerunt, volu-

volumus, vt fiant (*b*) descriptæ breues, & ipse breues ad nos fiant adductæ.

NOTA.

(*a*) *Hanc duxit è Sueuorum gente, repudiata filia Desiderij regis Longobardorum.* (b) *Porro loco verborum* descriptæ breues, *erat positum* discreptæ breue, *sed male, vt ipse lector videt. Breue autem, quo vocabulo adhuc vtuntur Pontifices Romani, puto Germanicum esse, ac significare literas Ita enim Saxones dicunt* ein breue *nos, vt pleraque alia durius* ein brieff, *in quibusdam Saxonicis etiam* ein briep, *hoc est litera.*

XV.

Non est nostra voluntas, vt homines Placentini per * eorum præceptum de curte palatii nostri illaldiones recipiant. * Id est, suum.

NOTA.

Per Illaldiones *puto hic significari ministros, & esse vocem nostratem* Ehalten. *Alibi Aldiones.* Curtem *verò, quam latini cortem, aut cohortem vocauerunt.*

XVI.

De fugitiuis, qui in partibus Beneuenti, & Spoleti, siue Romania, & Pentapoli, qui confugium faciunt, & reddantur, & sint reuersi ad proprium locum. Tit. de fur. & ser. fugac. lib. 1. leg. Long. circa finem.

XVII.

Sicut consuetudo fuit sigilla, & epistolas prendere, & vias, vel portas custodire, ita nunc * sit factum.

NOTA.

In tit. de cerar. & cart. l. 3. leg. Long. est eadem lex, & ibi scribitur sigillos, & epistolas, ego puto scribendum sigilla, & cætera conuenire, vt de literis, quæ passim portantur, authoritate publica inspiciendis loquatur. * Sit factum autem) *est dictum pro fiat, vt in præcedente lege,* sint reuersi) *pro reuertantur.*

CAP. QVÆ AD*NIVMACZD.

VNusquisque in suo misatico maximam habeat curam ad præuidendum, & ordinandum, ac disponendum, secundum voluntatem Dei, & secundum iussionem nostram.

NOTA.

** Sic est in scripto codice, & non possum diuinare quid sit, nisi est nomen alicuius ducis, vt sit nostrum* **niemants.** *id est, nemo relatum in quandam latinitatem, & à (legendum est pro* ad. *Iocosum autem fortè fuit nomen, vt sæpe habent in Aulis quale apud Homerum est Vlyssis* οὔτις, *id est, nemo, & Vlrici Hutteni Poema simile Germanicum sanè festiuum his temporibus circumfertur?*

II.

Faciant promittere) promittant.

De sacramento, vt hi, qui antea fidelitatem partibus nostris non promiserunt, promittere faciant, & insuper omnes denuo repromittant.

III.

Vt ea, quæ inter filios nostros propter pacis Concordiam statuimus, pleniter omnes consentire debeant.

IV.

Vt prædicti missi per singulas ciuitates, & monasteria virorum, & puellarum præuideant, quomodo, aut qualiter in domibus Ecclesiarum ornamenta Ecclesiis emendata, vel restaurata esse videantur, & diligenter inquirant de conuersatione singulorum, vel quomodo emendatum habeant, quod iussimus de eorum lectione, & cantu, cæterisq; disciplinis, &* ecclesiasticæ regulæ pertinentibus.

* Pro *ad Ecclesiasticam.*

IV.

Vt singuli Episcopi, Abbates, & Abbatissæ diligenter consi-

considerent Thesauros Ecclesiasticos, ne propter perfidiam, aut negligentiam custodum aliquid de vasis, reliquo quoque thesauro perditum sit, quia dictum est nobis quod negociatores, Iudaei, nec non & alii gloriantur, quod quicquid eis placeat, possint ab eis emere.

NOTA.

Nunc esset opus non legibus, quae multa sunt egregia, sed ipso Carolo contra bonorum Ecclesiasticorum Harpyias, aut Scyllas potius, & Charybdes.

V.

Volumus, vt aequaliter missi nostri faciant de singulis causis, siue de * Heribanno, siue de aduenis, siue de caeteris quibuslibet causis. De aduenis volumus, vt, qui iam diu coniugati sunt per singula loca, vt ibi maneant, & sine causa, vel sine aliqua culpa non fiant eiecti, fugitiui vero, & latrones redeant ad propria loca. * id est, eiiciantur. Germanismus.

NOTA.

Heriban. fuit pœna. L X. vt habetur lege, Quicunque liber homo, &c. rub. de exercit. & his, qui 1. h. l. 1. leg. Long. & rub. de Heribanno l. 3. Item infra in addi. ca. l. 2.

VI.

Auditum habemus, qualiter & comites, & alii homines, qui nostra beneficia habere videntur, comparant sibi proprietates de ipso nostro beneficio, & faciunt seruire ad ipsas proprietates seruientes nostros de eorum beneficio, & * curtes nostrae remanent desertae, & in aliquibus locis ipsi vicinantes multa mala patiuntur.

NOTA.

Hic est in Archetypo, curtes nostras desertas, *manifesto errore. Non enim possum credere, quod sic ipsi Impp. scripserint.*

VII.

Sunt Lupi, quibus oues committuntur.

Audiuimus, quod aliqui reddāt beneficium nostrum ad alios homines in proprietatem, & in ipso placito, dato precio, comparant ipsas res iterum sibi * in alode, quod omnino cauendum est: quia, qui hoc faciunt, non benè custodiunt fidem, quam nobis promissam habent. Et, ne fortè in aliqua infidelitate inueniantur, qui hoc faciunt, per eorum voluntatem ad aures nostras talia opera illorum non perueniunt.

NOTA.

* In Alode, *id est, in proprietatem, vt hæreditarium, liberum, & immune: Hinc est Allodium iuris consultorum. Videtur à nostro esse* all, *) id est, omne, totum, quasi, quod pleno iure habetur. parum ad rem facit, quod hic nonnulli de laudatino, & laudenio fabulantur.*

VIII.

Sunt & alii, qui iustitiam legibus recipere debent, & in tantum fiunt in quibusdam locis * fatigati, vt, qui, dum suam iustitiam per fideiussorem manus tradunt, ita aliquid, vel paruum possint habere, & fortiores suscipiant maiorem portionem.

NOTA.

* *Hæc Lex valde fuit deformata, nec vllum certum sensum habuit. Ego pro mea libertate, vt fit in morbis deploratis qualecunque remedium adhibui, quod eruditi non ægreferent. Legitur autem isthic,* fatigatus, quidum illorum, &c. *Pro eo, quod ego feci,* fatigati, vt suam. *In fine est,* portiorem *) pro portionem. Quis autem in his verbis potest esse sensus? Prohiberi autem videtur sui iuris traditio, quæ fit per extractionem litium à præfectis priuati commodi gratia, absterritis actoribus, & contentis modico. Sic & nostris temporibus facere solent illæ Harpyæ.*

De men-

IX.

De mendicis, qui per patrias discurrunt volumus, vt vnusquisque fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio, aut de propria familia enutriat, & non promittat alicubi ire mendicando, & vbi tales inuenti fuerint, nisi manibus laborent, nullus ei quicquam tribuere, præsumat.

NOTA.

Vtinam hæc lex diligenter obseruaretur. Fit enim, dum nemo scit, qui sit dignus auxilio, non raro, vt etiam nihil accipiant, qui verè sunt egentes, aut multa pereant pijs, ac alatur pigritia, & sceleratissima quorundam vita confirmetur. Notus est libellus Germanicus de imposturis, & flagitijs Mendicorum, cuius author se tantum appellat Expertum in trufis, i. Deceptionibus. Iudæi sunt nobis hac parte meliores, idq lege Dei præscribente, pertinet huc tertia pars bonorum Ecclesiasticorum, vt notum est ex multis Synodis.

X.

De Teloneis, & cispaticis, sicut in alia capitula ordinauimus, teneant id, vt vbi antiqua consuetudo fuit exigantur, &, vbi noua fuerint inuenta, destruantur.

NOTA.

Opinor Cispaticis *vocem esse nostram* Zinspar/*siue, vt nunc, dantem pensionem significat, siue pensionem ipsam, pro illis fortasse temporibus. facta est autem à census latino, detorta significatione ab Euangelista etiam, qui, vt Græco, est vsus.*

XI.

Vsura est, vbi amplius requiritur, quam detur, verbi gratia, si dederis solidos 10. & amplius requisieris, vel, si dederis modium frumenti, & * iterum super aliud exegeris.

NOTA.

* Iterum) *abundat*, & ſuper) *aduerbium hic eſt. Latinum eſſet, & præter hoc aliud exegeris.*

XII.

Ad Philip. 1.

Cupiditas in malam partem fere vſurpatur, ſecus de verbo cupio, & concupiſco.

Cupiditas in bonam partem poteſt accipi, & in malam, in bonam iuxta Apoſtolum, cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto, & in pſalmo, concupiuit anima mea in atria domini.

XIII.

Anacoluthon.

Eccle. 18.

Cupiditas verò in malam partem accipitur, qui ſupra modum res quaſlibet iniuſtè appetere vult iuxta Salomonem, poſt concupiſcentias tuas non eas.

XIIII.

1. Thim. 6.

Auaritia eſt alienas res appetere, & adeptas nulli largiri, & iuxta Apoſtolum hæc eſt radix omnium malorum.

XV.

Turpe lucrum exercent, qui per varias circumuentiones lucrandi cauſa inhoneſtè res quaſlibet congregare decertant.

XVI.

Turpe lucrum.

Fœnus eſt, qui aliquid præſtat; iuſtum fœnus eſt, qui amplius non requirit, niſi quantum præſtitit. Quicunque. n. tempore meſſis, vel tempore vindemiæ non neceſſitate, ſed propter cupiditatem comparat annonam, aut vinum, verbi gratia, de duobus denarijs comparat modium vnum, & ſeruat vſque dum iterum venundare poſſit contra denarios quatuor, aut ſex, & amplius, hoc turpe lucrum dicimus. Si autem propter neceſſitatem comparat, vt ſibi habeat, & alijs tribuat, hoc negocium dicimus.

Contra denarios q. pro denariis decem.

NOTA.

NOTA.

Fœnus eſt, qui aliq. &c.) *impropriè dictum eſt qui fænus exercet, cum is, qui accipit ab alio pecuniam, aliquid præſtat, ſ. prater ſortem. Etſi legendum puto, cui aliquid præſtatur. Sic de ſequentibus.* Iuſtum fœnus eſt, &c.) *iudicari debet, & velle Carolum eſſe differentiam inter fænus generaliter, & iuſtum fænus ſpecialiter, vt hic eſt poſitum.*

Notate hoc diligenter, qui annonæ caritatem publicè propter veſtrum lucrum introducitis, & vos magiſtratus, qui tantam turpitudinem contra leges toleratis.

XVII.

Conſiderauimus itaq; vt præſenti anno, quia per plurima loca fames valida eſſe videtur, omnes Epiſcopi, Abbatiſſæ, optimates, & comites, ſeu domeſtici, & cuncti fideles, qui beneficia regalia tam de rebus Eccleſiaſticis, quam de reliquis habere videntur, vt vnuſquiſq; de ſuo beneficio ſuam familiam nutricari faciat, & ſua proprietate propriam familiam nutriat, &, ſi Deo donante, ſuper ſe, & ſuper familiam ſuam aut in beneficio, aut in dote annonam habuerit, & venundare voluerit non carius vendat, niſi modium de auena denarijs duobus, modium de hordeo * contra denarios tres, modium vnum de * ſecale contra denarios IIII. modium vnum de frumẽto parato contra denarios. VI. & ipſum modium ſit, quod omnibus habere conſtitutum eſt, vt vnuſquiſque habeat æquam menſuram, & æqualia modia. Vide modia

NOTÆ.

* Contra denar.) *pro, tribus denariis, vt paulo ante, & in ſequentibus.* * *Deinde* ſecale *eſt frumentum, quod plurimum in Germania naſcitur, ac dicitur alioqui farrago, vt eſt in Plin. l. 18. c. 16. noſtri vocant alibi* Rocken / *ſpeciali nomine, alibi*

alib. Korn */ generali &* Rocken */) fortasse à farrago est factum, abiecta prima syllaba, & mutatis paululum vocalibus in cæteris syllabis.*

I.

De mallo & placito supra est dictum.

Vt nullus ad mallum, vel ad placitum infra patriam arma portet, id est, scutum, & lanceam.

II.

De latronibus quicunque post * missam sancti Ioannis latroni mansionem dederit, si Francus est, cum XII. similib⁹ Francis iuret, se latronem eum fuisse, non scisse, licet pater eius sit, aut frater, vel propinquus, si hoc iurare non potuerit, & ab alio conuictus fuerit, quod latronem in hospitio suscepisset, quasi latro, & infidelis iudicetur, quia latro, & infidelis est noster, & Francorum, &c. qui illum suscepit, similis est illi. Si autem audiuit, quod latro fuisset, & tamen non scit * pro firmiter, aut iuret solus, quod nunquam eum audisset nec per veritatem, nec per mendacium latronem, aut sit paratus, si ille de latrocinio postea uictus fuisset, vt similis damnetur.

* *Pro firmiter* pro, abundat. | aut aduerbium est positũ pro, *nomine firmo.*

NOTA.

* Missa *vocant Mercatum, aut Nundinas celebriores, vt sunt his temporibus Francfortensis, Nordlingensis, & similes. Vnde & nostrum* meß */ aut Saxonice* miß. *Videtur autem huc translatum vocabulum à sacrificio Christianorum, quod puto sic dictum esse, non à voce Hebræa, vt Capnion voluit, & nunc multi nimium studiosi nouitatis opinantur, nec à missa, id est dimissa multitudine congregata, cum ineptum esset dicere sacerdotem,* ite, missa est *) in tribus verbis, mutato numero, & persona ad eundum cætum, sed aut à missa hostia, hoc est, delata in conspectum, vel ad altare cæleste, vt significatur in 4. lib. Sententiarum*

tiarum dist. 24. Mittit. n. Ecclesia Christum in hoc mysterio, velut legatum, & deprecatorem ad patrem, ac offert ei, hoc est ostendit hoc tantum filij beneficium, admonet eum huius, per id eum placare studet, orat eum pro viuis, & mortuis, non mactat iterum, non crucifigit, vt blasphemi calumniantur, Et valet hoc ex opere operato, vt loquuntur in scholis, id est ex institutione diuina, non ex opere operantis. i. non, quia fit hoc à sacerdote, cui sæpe est exitio, sicuti sumentibus indigne. Aut quia vox hæc vsurpata est, cum iam corrumpi latinitas cepisset, generaliter, pro actu velut publico, sicut Græci liturgiam vsurpauerunt, & in recentioribus historijs latini missum à mittendo, id est agendo, inflexo vocabulo nonnihil ad generalitatem. Sed ita aut verbum, est) *perfectionem significat, aut participium aliquod, vt* facta vel celebrata) *intelligi debet.*

III.

Vt nullus comparet caballum, bouem, & iumentum, vel alia, nisi illum hominem cognoscat, qui eum vendidit, aut de quo pago est, vel vbi manet, aut quis est eius senior.

IIII.

De aduenticijs autem, cum missi nostri ad placitum venerint, habeant scriptum, quanti aduenticij sunt, in illorum missatico, & de quo pago sunt, & nomina eorum, & qui sunt eorum seniores.

In archetypo, est *aut* & deinde quantum.

NOTA.

Missaticum *puto vocari literas, in quibus datur alicui testimonium de profectione, & mandato, quas decretales, & concilia vetera vocant* formatas, *recentiora verò, & aulæ credentias, aut credentiales, omnia barbara.*

Similes direximus missos in Aquitaniam, & in Longobardiam,

gobardiā, vt omnes fugitiuos, & aduenticios ad nostrum placitum adducant, quicunq; ista Capitula habet, ad alios missos transmittat, qui non habent, & nulla excusatio de ignorantia fiat, & hoc missi nostri ante natiuitatem Domini cognitum faciant.

Incipiunt Cap. excerpta de Canone.

Vt per singulos annos synodus bis fiat.

NOTA.

De his egregie statutum est in Synodis, etiam postremis, vt Constant. & Basileensi, verum non diligenter actum est. Et hoc est ferè, quod nunc ita concutitur Ecclesia.

II.

Qualis ad sacerdotium, vel sacros ordines, secundum quod in Canone legimus, venire non potest.

NOTA.

Qui nullum habet impedimentum, nec naturæ, nec fortunæ, nec maculæ. Vt vulgo in iure Canonico, & Theologorum disputationibus. 4. sentent. recitantur.

III.

Vt nequaquam inter duos metropolitanos prouincia diuidatur.

IIII.

Ne in vna ciuitate duo sint Episcopi, & de vicarijs Episcoporum.

V.

De his supra, & passim in conciliis, & iure Canonico.

Quod non oportet ordinationes Episcoporum diu differre.

VI.

De ordinatis Episcopis, nec receptis.

Quod

VII.

Quod non oporteat solute quoslibet ordinare.

VIII.

De seruo, si nesciente domino suo fuerit ordinatus.

Oportet Episcopum irreprehensibilem esse &c. 1. Tim. 3.

IX.

Quod non liceat clericum in duabus ciuitatibus ministrare, nec Abbates plurima monasteria, aut cellas habere.

X.

Ne de vno loco ad alium transeat Episcopus sine decreto Episcoporum, velut clericus sine iussione episcopi sui.

XI.

De peregrinis Episcopis, & clericis.

XII.

De literis peregrinorum, & clericis sine literis ambulantibus.

Sunt tantum capita Canonum, vt sæpe alibi.

XIII.

Quales, vel pro qualibus culpis quis secundum Canonicam institutionem * degradetur de officio sacerdotali.

* nota verbum *degradare*.

XIV.

De expulso ab Ecclesia, & excommunicatione, vel damnato ab officio.

XV.

De ordine Ecclesiastico, & officio missæ, & reliquijs sanctorum, & oratorijs villaribus.

Et hic recitantur solum capita Canonum.

XVI.

De altaribus non consecrandis, nisi lapideis.

XVII.

De confirmatione cum Chrismate.

Vide confirmationem, vide Chrisma.

XVIII.

De Baptismo.

XIX.

De Pascha, & die Dominico, & reliquis festiuitatibus.

XX.

De ieiunio, & quadragesima, vel letanijs.

NOTA.

Lætaniæ *significant supplicationes publicas, hoc est precationes ad Deum, & sanctos, cum aut itur ex templis in templa, aut circũ itur extra, vel intra templa, vt habet ad huc in vsu Catholica, & orthodoxa Ecclesia.*

XXI.

Vt festiuitates præplures non, nisi in ciuitatibus, aut in vicis publicis teneantur.

NOTA.

Hic erat scriptum præplaras. *Quid autem hoc est obsecro? deinde,* inciuitates, *&* vicos publicos.

XXII.

De hoc officio.

XXIII.

Vt omnes fideles communicent, & ad missas * perstent in Synodali deprecatione.

* In hoc loco habebatur, *perste & vt* nulla etiam lectione integra, non tantum nullo sensu.

INCIPIT CANON
Sancti Syluestri.

FEcit hos gradus in gremio Synodi, vt non Presbyter aduersus Episcopũ, non diacon⁹ aduersus presbyterum,

rum, non subdiaconus aduersus diaconum, non acolythus aduersus subdiaconum, non exorcista aduersus acolythum, non lector aduersus exorcistam, nec ostiarius aduersus lectorem det accusationem aliquam. & non damnabitur præsul sine 72.* testibus, neque presul summus à quoquam iudicabitur, quoniam scriptum est, non est discipulus super magistrum.

* Hic est inscripto codice, *testes* & *à quenquam*, barbare.

N O T A.

Acoluthos rectè scriberetur. Est autem ab ἀκολουθεῖν, factum nomen, & significat ministrum altaris infra Hypodiaconum proximè constitutum.

Presbyter autem, nisi in XLIV. testimoniis, non damnabitur, * Diaconus autem cardine * constructus Vrbis Romæ nisi 37. non condemnabitur. Sed diaconus, acolytus, exorcista, lector nisi, sicut scriptum est, in 7. * testimoniis filios habentes, & vxorē, & omnino Christum prædicantes. Sic datur mystica veritas.

* Hic legebatur *testimonia*.

N O T A.

* *Videtur intelligere Diaconum, qui nunc appellatur Cardinalis, & fortasse debet scriptū esse* constitutus *pro* constructus.

MISSI.

*Vt iudices, siue fiscales freda non exigant priusquam * facinus componatur.*

* *Facinus* videtur accipi generaliter pro facto, siue controuersia.

HOc quoque iubemus, vt iudices nominati, siue fiscales de quacunque * libet causa freda non exigant priusquam facinus conponatur, Si quis autem per cupiditatem ista transgressus fuerit, legibus (*a*) componatur, (*b*) fredum autem non illi iudici tribuat, cui culpam commisit, sed illi, qui solutionem recipit, tertiam partem coram testibus fisco tribuat, vt pax perpetua stabilis permaneat.

* *Libet*, otiosè ponitur, aut legi debet *de qualibet*.

NOTA.

Significatur non debere Pœnam, seu multam, quam fredum appellat. fortasse, quod propter turbatam pacem publicam exigatur, & detur magistratibus, aut iudicibus, à nostro **frid**) *appellant, accipi ante, quam negocium principale sit compositū.* (a) *Porro verbum*, componatur) *in secundo loco videtur significare, puniatur, &* (b) *deinde verba,* fredum autem non il.) *de litigante, non de iudice puto intelligi debere.*

I.

Hic erat scriptum, *da s. nt,* vbi nos, *data sunt*, posuimus. * *Solidus*, hic legitur in scripto codice.

Capitula, quæ ad legem data sunt de occisione Clericorum, Qui subdiaconum occiderit C C C. * solidos componat, Qui diaconum C C C C. qui presbyterum, D C. qui episcopum D. C C C C. qui monachum, C C C C. solidis culpabilis iudicetur.

I I.

Si quis immunitate damnum aliquod fecerit D C. solidos componat.

NOTA.

Liber manuscriptus habebat, in munitatem. *Sed male, quod vel constitutio, si quis de reuerent. Eccles. seu in. l. 2. leg. Longob. indicat, quæ est cum hac eadem, Sed paulo aliter scripta. Cæterum de immunitate supra est dictum.*

Regum) erat pro *reum*.

Si autem homo furtum, aut homicidium fecerit, vel quodlibet crimen foris committens infra immunitatem fugerit, mandet comes illi episcopo, vel abbati, qui eum tenuerit, vt reddat ei reum. Si ille contradixerit, & eum reddere noluerit in prima contradictione 15. Solid. culpabilis iudicetur. Si ad secundam inquisitionem eum reddere noluerit 30. Solid. culpabilis iudicetur. Si nec ad tertiam consentire voluerit, quidquid reus damni fecerat, totum ille, qui eum infra immunitatē retinet, nec

net, nec reddere vult, soluere cogatur, & ipse comes *ueniens licentiam habeat ipsum hominem infra immunitatem quærendi, vbicunque eum inuenire potuerit. Si autem statim in prima inquisitione comiti responsum fuerit, quod reus infra immunitatem quidem fuisset, sed fuga lapsus, statim iuret, quod ipse eum ad iustitiam cuiuslibet diffaciendam fugere non fecisset, & sit ei in hoc satisfactum. Si autem intranti in ipsam immunitatem * comiti collecta manu quilibet resistere tentauerit, comes hoc ad regem, vel ad principem deferat, ibiq; iudicetur, & sicut ille, qui in immunitate damnum fecit DC. Solid. componere debuit. Ita [illegible] comiti collecta manu resistere præsumpsit, DC. Solid. culpabilis iudicetur.

* Hic *[illegible]*, legit codex legum longo. in Gallia editus.

Diffaciendam, id est, impediendam.

*]Hic est *commi-ti*) scriptum.

III.

Si quis ad Ecclesiam confugium fecerit, in ipso atrio ipsius Ecclesiæ pacem habeat, nec sit necesse Ecclesiam ingredi, & nullus eum inde per vim abtrahere præsumat, sed liceat ei confiteri, quid fecit, & inde per manus bonorum hominum * ad discussionem in publicum perducatur.

NOTA.

* *Hic legitur in leg. Longo. loco iam citato, vbi & hæc lex habetur, & tribuitur Ludouico Imp.* in discutione, *sed non recte.*

IV.

Si quis hominem in iudicio iniuste, contra alium altercantem adiuuare per malum ingenium præsumpserit, atque inde coram iudicibus, vel comitibus increpatus fuerit, & negare non potuerit: 15. Solidis, culpabilis iudicetur.

Hic arrigite aures Causidici, qui τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιοῦσι.

V.

Si quis libertate sua fuerit interpellatus, & timens, ne in seruitium cadat, aliquem de propinquis suis, per quem

quem se in seruitium casurum timet, occiderit, id est, patrem, matrem, patruelem, auunculum, vel quamlibet huiusmodi propinquitatis personam, ipse, qui hoc perpetrauit, moriatur, agnatio eius, & consanguinitas in seruitium cadat, & si negauerit se illum occidisse ad nouem vomeres ignitos iudicio domini examinandus accedat.

Hoc fit propter præsumptionẽ, vt vocant.

NOTA.

Hæc lex habetur tit. de parric. l. 1. leg. Longob. Quomodo autem sit facta examinatio ad ignitos vomeres, & ad feruentem aquam, intelligi potest ex lege, si quis ex leui. De homicid. lib. ho. l. 1. leg. Longob. Hoc genus [illegible]lorationis est prohibitum in iure Can. vt habetur c. Menan. 2. q. 5. & c. Consuluisti. q. 6.

VI.

Qui res suas pro anima sua ad casam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram testibus legitimis, &, quæ hactenus in hoste factæ sunt traditiones, de quibus nulla est quæstio, stabiles permaneant. Si verò aliquis alii res suas tradiderit, & in hostem profectus fuerit, & ille, * cui res traditæ sunt, interim mortuus fuerit, adhibitis testibus, coram quibus traditio facta est, res suas recipiat. Si autem & ipse mortuus fuerit, hæredes eius legitimi res traditas recipiant.

* Hic erat scriptum, [illegible].

VII.

Si quis per chartam ingenuitatis conuictus fuerit, aut 15. Solid. compo. aut 15. ictus ab scabiniis, qui causam prius iudicauerunt, accipiat.

VIII.

Optimus quisq; in pago, vel ciuitate in testimonium assumatur, & cui is, contra quem testari debet, nullum crimen possit indicere.

NOTA.

NOTA.

Indicere *) id est obiicere, ac fortasse ita legi debet.*

ITEM CAPITVLARE.

I.

De causis admonendis, de Ecclesiis emendandis, & vbi in vno loco plures sunt, quam necesse * sint, vt destruantur, quæ necessariæ non sunt, & aliæ construantur.

NOTA.

* Sint *pro sit est positum. Non enim dicimus latine, Ecclesia sunt necesse, nec etiam Ecclesia est necesse, Tametsi dicimus, Ecclesiam vel Ecclesias esse est necesse. Non male autem legeretur*, necessariæ.

II.

Vt presbyteri non ordinentur prius, quam examinentur, & excommunicatio passim, & sine causa non fiat.

NOTA.

Fiant, *erat scriptum, sed manifesto errore.*

III.

Vt missi nostri scabinios, aduocatos, notarios per singula loca eligant, & eorum nomina quando reuersi fuerint, secum scripta deferant.

IV.

De his, qui legem seruare contempserint, vt per fideiussores ad præsentiam regis deducantur.

V.

Vt illi, qui heribannum soluere debent, coniectum faciant ad haribannatorem.

NOTA.

De heribanno supra, & sunt 60 solidi (coniectum faciant) pro coniiciant. s. haribannum, hoc est pecuniam eam deponant, aut numerent ei, qui nomen etiam inde habet.

VI.

De fugitiuis & peregrinis, vt distringant, vt scire possimus, qui sint, aut vnde venerint.

NOTA.

Fortasse distringantur *est legendum, & hoc pro, diligenter obseruentur, & explorentur, aut certè* distinguantur, *hoc est secernantur ab aliis.*

VII.

Vt bauga, & brunnias condantur negociatoribus.

NOTA.

Puto legendum bruncis, *vt supra ostendi Ca. XXI. circa principium, vbi & de significatione vocabuli quadam sunt annotata. Opinor &* bauga *nostrum esse nomen,* baw *id est ædificium, ac significari hoc loco domunculas, quibus mercatores vtuntur in Emporiis, tanquam tentoriis, quæ adhuc non dissimili admodum voce in Misnia, & vicinis locis* puda *appellantur.*

VIII.

Vtinam esset hoc & apud nos, & quidē in moneta quoq;

De mensuris, vt secundum iussionem nostram æquales fiant.

IX.

Vt non mittantur testimonia super vestituram domini Pipini regis.

NOTA.

Hoc est, nisi fallor, ne vocetur in quæstionem confirmatio Pipini patris nostri, adeoq; authoritas regia labefiat.

X.

Vt nec colonus, nec Fiscalinus possint alicubi traditiones facere.

NOTA.

Id est, alienare, quæ ad regem pertinent, si rectè intelligo.

Vt nul-

X I.

Vt nullus præſumat hominem ad iudicium mittere, niſi iudicatum fuerit.

N o t a.

Puto ſcribendum, indicatum, *hoc eſt niſi præmonitus fuerit, ſicut eſt conſuetudo fori.*

X I I.

Vt liber homo, qui in monaſterio regulari comam depoſuerit, & res ſuas ibidem delegauerit, promiſſione facta, ſecundum regulam firmiter teneat.

N o t a.

Aut promiſſionem factam videtur legendum, vt referatur ad verbum, teneat, aut hoc verbum eſt abſolute accipiendum, vt, cum nos dicimus, er ſoll halten/ *ſit conſtans, fidem ſeruet.*

X I I I.

Vt omnia debita, quæ ad partem regi ſolui debent, ſolid. x i i. denariorum ſoluant, excepto freta, quæ in lege Salica conſcripta eſt, illa iiſdem ſolid. quibus cæteræ compoſitiones ſolui debent, componatur.

N o t a.

Hic videntur poni duo genera ſolidorum, quorum alterum continuerit 12. denarios, alterum 60. vt legitur lib. 2. leg. Longob. de quantitate ſolidorum l. 1. Tametſi fortaſſe 40. ibi rectius legeretur, vt & alibi, & in Concil. Remenſi c. 41. inuenitur. Cæterum freta *eſt, quam alioqui fredam, & fredum vocant illa ſecula, nec eſt idem cum banno, cum in legg. Longob. hæc duo ſemel, atque iterum coniungantur, vt diuerſa. Et puto fretam eſſe pœnam, quæ ſoluitur pro violata pace, vt ſupra etiam iudicaui, à qua dicitur per Synecdochen. Dicunt enim Saxones* fred/ *quam nos* frid/ *appellamus. Lex autem Salica videtur a Salingis populo veterum Francorum dicta. Huius author ſcribitur fuiſſe Faremundus rex Francorum. Habetur hæc lex etiã in rub. iam citata, ſed corrupta.*

X I V.

Vt omnia, quæ vuadiari debent, iuxta quod in lege continetur pleniter, secundum ipsam legem reuuadiata fiant, & postmodum vel dominus rex, vel ille, cuius causa est, iuxta quod ei placuerit misericordiam faciat.

Nota.

Vuadiare puto factum à Guadia, voce, quæ sæpe occurrit in leg. Longob. & significat, nisi fallor, pignus, quod datur, mota lite de possessione, cum fideiussore sacramentali, vt colligi potest ex leg. si quis alij Guad. cum sequente de debit. & Guadim. l. 2. ll. Longob. & l. si quis alij, &c. Qualiter se quisque de f. d. eod. lib. Videtur etiam nostra vetus vox esse wat / *quæ significat vestes, & arma, id est munimenta corporis, vt in his* leinwat / niderwat / hergewet. *Pro hac nunc vtuntur voce* geretr *aut* dinglich / *id est, recula, abstricto nonnihil generali vocabulo. Nostrum autem videtur à latino vestis, factum, sicut huic similis,* hees, *&* hæ *omnes à Græco* ἐσθής.

X V.

De Episcopis, abbatibus, comitibus, qui ad placitum nostrum non venerunt.

X V I.

Vt nullus ebrius suam causam in mallo possit conquirere, nec testimonium dicere, nec placitum comes habeat, nisi ieiunus.

X V I I.

Vt nullus præsumat alium cogere ad bibendum, nisi, quod ei necesse fuerit.

Nota.

Hic erat scriptum ad hibendum, *sed contextus postulat*, ad bibendum, *scribere*, *& res pulchrè conuenit cum nostrorum homi-*

hominum consuetudine. Est autem nostra phrasis, man soll niemant zwingen mehr zu trincken/denn er mag) *non quod cogi possit aliquis etiam id, quod potest (pro appetit) bibere, sed quod nec sit inuitandus, aut irritandus ad id, quod ei conuenit, aut satis est, quod hic necesse est dicitur, vt etiam in verbo,* cogere *sit figura.*

XVIII.

De missis nostris discurrentibus, vel cæteris hominibus iter agentibus, vt * nullus mansionem contra dicere præsumat. * S eis. & statuimus, aut simile aliquid.

XIX.

De canibus, qui in dextro armo tonsi sunt, vt homo, qui * eum habuerit, cum ipso cane in præsentia regis veniat.

NOTA.

* Eum, *pro*) *talem, cum plurale sit antecedens, & is sit relatiuum.*

XX.

Vt populus interrogetur de Capitulis, quæ in lege nouiter addita sunt, & postquam omnes consenserint, subscriptiones, & manufirmitiones suas in ipsis capitulis faciant.

NOTA.

Veteris Romanæ libertatis vestigium, quod populi (Romanum intelligo) consensus adhibetur. Cæterum pro manufirmitiones *legi debet,* manufirmationes, *vt vox hac sit præcedentis expositio.*

XXI.

Vt nullus ad placitum banniatur, nisi, qui causam suam quærere debet, exceptis scabinijs. 7. qui ad omnia placita præesse debent.

NOTÆ.

De placito supra, banniatur, *hic obligatur, significat, unde nominis quoq; vis intelligi potest. Videtur autem vtrumq; à nostro* Band/ *.i. vinculum factum esse. Deinde* causam quærere, *dictum est ad imitationem huius nostri*, recht suchen/ *Et est sensus, tantum actores, rei, & indices teneantur ad locum iudicij venire.*

XXII.

Si aliter res fortuito non præoccupauerint 8. Cal. Iul. id est missa sancti Iohannis baptistæ ad Mogontiam, siue ad Cabillionem generalem placitum nunciantes habere volumus.

NOTÆ.

Cabillio ciuitas est Narbonensis Gal. Placitus *hic satis clarè pro conuentu ponitur, siue à nostro sit deriuatum, vt supra est ostensum, siue à placendo, quod liber e locus ad conuentum, aut commune iudicium electus sit.*

De lege Ripuarense.

NOTA.

Sic dicta fortasse est h c lex, quod ad Ripuarios, hoc est, Mosellæ, Mosæ. & Rheni accolas, qui & Neustrij, & Austrasij, & Vuesterichi appellantur, pertinebat.

I.

Si ingenuus ingenuum ictu percusserit, 15. Solidis culpabilis iudicetur.

NOTA.

Solidus erat in scripto libro corruptè.

II.

Componatur i. soluatur, luatur.

Homo regius, id est fiscalinus, & Ecclesiasticus, vel laicus interfectus c. Solid. componatur.

Homo

III.

Homo ingenuus, qui multam quamlibet soluere non potuerit, & fideiussores non habuerit, licet ei semetipsum * in vuadium, ei cui debitor est mittere, vsque dum multam quam debuit persoluet, In eodem cap. * Clesoniste aut dc. Sold. componat, aut cum 12. iuret, aut, si ille, qui causam quærit, 12. hominum sacramentum recipere noluerit, aut cruce, aut scuto, & fuste contra eum decertet.

NOTA.

* In vuadium dare, *hoc est pignori dare, aut addicere. Vide rub. s. l. 2. ll. Longo.* * Clesoniste, *videtur significare reum. hoc est eum, qui accusatur. Vnde autem sit vox non possum diuinare, nisi fortasse, à* Flagen *est. Nunc* beklagten *vocamus.*

IV.

Nemini liceat seruum suum propter damnum ab illo cuilibet illatum dimittere, sed iuxta qualitatem damni dominus pro illo respondeat, vel eum in compositione, aut ad pœnam petitoris offeret. Si autem seruus, perpetrato scelere, fugerit, ita, vt à domino penitus inueniri non possit, sacramento se dominus etiam excusare studeat, quod hoc nec suæ voluntatis, nec conscientiæ fuisset, quod seruus ei tale facinus commisit. Instit. de nox. act.

XIX.

Si quis ad malum legibus (a) mannitus fuerit, & non venerit, si eum (b) sunnis non detinuerit 15. Solid. culpabilis iudicetur. Sic ad secundum, & tertium. Si autem ad quartum venire contempserit (c) possessio ei in bannum mittatur, donec veniat, & de re, qua interpellatus fuerit, iustitiam faciat. Si infra annum non venerit, de rebus eius, quæ in * banno missæ sunt, Rex interrogetur, & quidquid inde iudicauerit, fiat. Prima admonitio super noctes

*Bannum) melius

per noctes 7. secunda super noctes 14. tertia super noctes 21. quarta super 42. similiter & de beneficio hominis, si forte res proprias non habuerit, mittatur in bannum, vsque rex interrogetur.

NOTÆ.

(a) Mannitus. *i. citatus, vocatus, à nostro* **mahnen/** *quod alias* **fodern/ heischen/** *à monendo fortasse dicto.* (b) Sunnis *autem puto esse reconciliationem cum aduersario, à nostro* **sunen/** *vel* **sänen/ versunen/** *aut certè generale vocabulum est, ac significat necessarium impedimentum, quod nunc* **Ehafft** *appellant.* (c) *Possessionem in bannum mittere, est obligare, donec fuerit negocium expeditum.*

XXXIIII.

Si auctor venerit, & rem intertiatam recipere tenuerit, campo vel cruce contendant.

NOTA.

Hæc lex non est integra, sed habetur rub. de reb. inter, & q. l. 2. ll. longo. His verbis, si res intertiata furto ablata fuerit, liceat ei, super quē res intertiata fuerit, cū sacramēto se excusare de furto, quod nec suæ voluntatis, nec consentiens fuerit, quod ablatum est, vt tamen sine damno restituat. Si vero auctor &c. Sic enim ibi scribitur, non auctor. Porro campum. & cruce videntur, esse armorum genera, à nostris **Kampff/ kempffen/** *veteres Germani* **kamp/** *&* **kempen/** *dixerunt, Sicuti Saxones ad huc dicunt, & à* **kruke.** *semper enim veteres c. extulerunt sono k.*

XXXV.

Qui filios non habuerit, & alium quemlibet hæredem sibi facere voluerit, coram rege, vel coram comite, & Scabinis, vel missis dominicis, qui tum ad iusticias faciendas in prouincia fuerint ordinati, traditionem faciat.

NOTA

NOTA.

Habetur lex & rub. de adoptionib. in 2. ll. Longo.

XXXVI.

Homo denariolis non antea hæreditare in ſuam agnationem poterit, quam vſque in tertiam generationem perueniat.

NOTA.

Quid ſi denariolis *eſſet libertus generaliter, à* dienerle) *i. miniſtro, famulo, quod propemodum adhuc ſit quaſi famulus, aut ſeruus.*

XXXVII.

Homo * Cartularius ſimiliter.

* A garener/ i. hortulano, ſi bene conijcio.

XXXVIII.

Omne ſacramentum in Eccleſia, aut ſupra reliquias iuretur, &, quod in Eccleſia iurandum eſt, vel cum 6. electis, vel, ſi 12. eſſe debent, quales potuerit inuenire. Sic illum Deus adiuuet, & ſancti, quorum iſtæ reliquiæ ſunt, vt veritatem dicat. Formula iuris iurandi.

XXXIX.

Si res interciata furto ablata fuerit, liceat ei, ſuper quas res interciata fuerit, per ſacramenta ſe excuſare de furto, quod nec ſuæ voluntatis, aut conſcientiæ fuiſſet, quod ablatum eſt, aut tantum ſine damno reſtituat.

NOTA.

Hoc Cap. cum præcedente, ſi auctor, &c. eod. conſtituit vnam totam, quæ extat in ll. log. loco prius iudicato.

XL.

De homine, qui comprehendit ſeruum, iuſſit eum occidere dominos ſuos duos infantes, vnum, qui habuit 9. annos. Puto, & iuſſit legendum.

9. annos. alium, qui habuit 11. ad extremum illum seruum postquam dominos suos illos pueros occidit, in foueam quandam proiecit, & iudicatum est, vt illum, qui nouem annos habuit, vuereguildo componat. Alium vero, qui 11. annos habuit, dupliciter, seruum, quem * mordricum, tripliciter, & bannum nostrum ad omnia.

Hic & abundat.

NOTA.

Vide lenitatem in puniendo, & quomodo paulatim pænarum seueritas creuerit.

* *pro* mordricum, *videtur scribendum esse* mordricauit, *id est iniuste interfecit, à* **morden**/ *aut* mordrice, **mörderlich**/ *vt verbum trucidauit, aut simile sit omissum. legitur idem verbum in Synodo celebrata apud Theodonis villam circa eadem tempora, de Episcopo Iohanne inhoneste. & inaudite* mordridato, &c.

I.

Infra Ecclesiam, de lectionibus.

Sunt tantum tituli constitutionum.

II.

De cantu.

NOTA.

Hic nullus est numerus in scripto codice, & postea in 9. leg. & 10. est tantum nouenarius.

III.

De scribis, vt non vitiose scribant.

IIII.

De notarijs.

V.

De cæteris disciplinis.

VI.

De computo.

VII.

De medicinalib.

Hic erat scriptum, de Medicinalia.

DeEccle-

VIII.

De Ecclesijs sine honore manentibus, absque officijs, & luminaribus, & de his, qui decimas * absumunt, & de Ecclesijs non curant, & de altaribus, vt non superflua sint in Ecclesijs. Hic erat adsumunt scriptum.

NOTA.

Hæc verba de altaribus, vt notaui sup. satis indicant in vno templo fuisse plura altaria, quam vnum, quod nunc insanè quidam negant, & conuenit hoc Meldensi concil. vbi etiam prohibentur altaria superflua. Quæ sint autem hæc, ostendit Synod. Aphr.

IX.

De laicis nouiter conuersis, ne ante, quam suam legem pleniter discant, viuendo ad alia negocia mittantur.

X.

De derelinquentib. seculum, vt vnum è duobus eligant, aut pleniter secundum canonicam, aut secundum regularem constitutionem viuere debeant.

NOTA.

Hic videntur hæc, vel similia deesse, aut maneãt in seculo.

XI.

De seruis proprijs, vel ancillis, vt non amplius tondeantur, vel velentur, nisi secundum mensuram, vt & ibi satis fiat, & villæ non sint desolatæ.

NOTA.

Non amplius, *pro non plures*, nisi, *pro quàm*, *&* mensuram) *pro numerum. Non autem prohibetur, aut, euertitur monachatus, sed modus ei statuitur.*

XII.

De congregationibus superfluis, vt nullatenus fiant, sed tantos congregent, quantis consilium dari potest.

 NOTA.

NOTA.

Tantos) *pro tot*, quantis) *pro quot. s. homines, & dari censeo legendum, pro dare.*

XIII.

De illis, quæ non fiunt secundum regulam à pulsantibus vt deinceps emendentur, & pulsetur secundum regulam.

NOTA.

Hæc ita erant in scripto codice, De illis, qui consiunt secundum regulam pulsanti, *vt d. &c.* & pulsentur *&c. Puto autem loqui legem de pulsandis tintinabulis in templis.*

XIIII.

Vt infantulæ ætatis puellæ non velentur ante, quam illæ eligere sciant, quid velint, salua canonica authoritate.

NOTA.

Hæc lex reuocari debebat, non euerti, & prophanari monasteria. Nota, quod leges vult cedere Canonibus.

XV.

Vt laici non sint præpositi monachorum infra monasteria, nec archidiaconi sint laici.

XVI.

De incestuosis, vt Canonicè examinentur, & nec propter alicuius amicitiam quidam * relaxentur, quidam vero * constringantur.

* i. absoluātur.
* i. damnentur

I.

De pace, vt omnes, qui per alia scelera rebelles sunt, constringantur ad omnes generaliter.

NOTA.

Puto legendum esse talia *pro* alia, *& in fine*, ad omnes *abundare, nisi est, vt videtur, dictum pro eo, quod Latini dicunt*, ad vnum omnes.

De iu-

II.

De iustitiis Ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum, pupillorum, vt in publicis iudiciis non despiciantur clamantes, sed diligenter audiantur.

III.

De iustitiis regalibus, vt pleniter * fiant inquisitæ.

* Inquirantur.

IV.

De hoc, si famis euenit clades, aut inæqualitas aëris, vel alia qualiscunq; tribulatio, non expectetur edictum nostrum, sed statim * deprecetur Dei misericordia, & in præsenti anno de famis inopia, vt suos, quisque adiuuet, pro vt potest, & suam annonam * non nimis care vendat, & ne * foris imperium nostrum vendatur aliquid alimoniæ.

* *Deprecetur* passiue, sed non latine.

* *Foris*) pro extra.

V.

De armis infra patriam non portandis, * idem scutis, & lanceis, & loricis. Si faidosus quis sit, discutiatur tunc, * qui de duobus contrariis sit, vt pacati fiant, & distringantur ad pacem etiam, si voluerint. Et si aliter * pacificare nolunt, adducantur in nostram præsentiam, &, si aliquis post pacificationem alterum occidit, componat illum, & manum, * quam periurauit, perdat, & insuper bannum dominicum soluat.

* *Item*) est legendum.

* Hic erat scriptum, *qui si duobus.*

* *Pacificare*, pacem facere, absolute.

* *Quam periurauit*, pro qua peierauit.

VI.

De armatura, in exercitu, sicut antea in alio capitulari commendauimus, ita seruetur, & insuper omnis homo XII. menses brunniam habeat, qui verò * brunniam habens eam secum non tulerit, omne beneficium cum brunnia perdat.

* De brunnia supra.

* Hic erat, *&* *ea secum.*

VII.

De negociatoribus, qui partibus Scaborum, & Aua-

Suevos, & Bavaros designat. & in) deest.

rorum pergunt, quousque procedere cum suis negociis debeant, id est partibus Saxoniæ vsq; ad partem Nuinih, ibi præuideat Heretus, & ad Skesba, vbi Madalgaidus præuideat, ad Aluestat, & ad Erpfesfurt. Item Miam prę-uideat, ad Foranheim, & ad Brenberg, & ad Raginispurg Audulphus, ad Magadeburg præuideat Hatto, & ad lauriacum Vuerinheri, & vt arma, & brunnias non ducantur ad venundandum, quod si inuenti fuerint portantes, omnis substantia eorum auferatur ab eis, dimidia quidem pars partibus palatii, alia verò media inter iam dictos missos, & inuentorem diuidatur.

Partibus palatii) hoc est fisco.

NOTÆ.

Nuiuih, & Skesba, *locorum sunt nomina*, *Heretus, & Madalgaidus præfectorum. Sic* Aluestat, *quæ iam, ni fallor,* Halberstat / Erfesfurt, *quæ iam* Erfurt / Foranheim, *quæ iam* Forchheim / Brenberg, *quæ iam* Pamberg / Raginispurg, *quæ iam* Regenspurg / *&* Magadopurg, *quæ nunc* Madepurg / *ab incolis* Maiporch. *Reliqua sunt præfectorum nomina. Cæterum Aluestadij, & Erphesfurti præfectus videtur habere hic nomen deprauatum. Scriptum autem erat, Item Miam, quod puto vnum præfecti nomen. De primis duobus nominibus nihil scio.*

VIII.

De * clamatoribus vel causidicis, *quod nec iudicium Scabinorũ adquiescere, nec blasphemare volunt, antiqua cõsuetudo seruetur, id est vt in custodia reclaudantur, donec vnum è duobus faciant, &, si ad palatium pro hac re clamauerint, & literas detulerint, non quidem eis credatur, nec tamen in carcere ponantur, sed cum custodia & cum ipsis literis pariter ad palatium nostrum remittantur. & ibi discutiatur sicut digni sunt.

NOTA.

NOTA.

* *Pulchra, & apta rabularum appellatio, quae conuenit cum his nostris* schreyer/ zungentrescher/ ploderer. * *Caeterum quod dicit eos oportuisse aut* acquiescere iudicium sententiç, *quod Lex dicit iudicium Scabinorum adquiescere, insitate, ac barbare.* At blasphemare, *significat, puto, manifestam vel probationem, vel improbationem, qua fiebat etiam per maledicta.*

IX.

De iuramento, vt nulli alteri per Sacramentum fidelitas promittatur, nisi nobis, & vnicuique seniori proprio ad nostram vtilitatem, & sui senioris, exceptis his Sacramentis, quae iuste secundum legem alteri ab * altero debentur.

*Hic erat scriptum *altari)* pro alteri, & *debet* pro debentur.

X.

De conspirationibus, quicunque facere praesumpserint, & sacramento quamcunque conspirationem firmauerint, vt triplici ratione iudicetur, primo, vt, vbicunque aliquod malum pro hoc perpetratum fuerit, authores facti interficiantur, * adiuratores vero eorum alter ab altero flagellentur, & nares sibi inuicem * praecidant. Vbi verò nihil mali perpetratum est, similiter quidem inter se flagellentur, & capillos sibi vicissim detondeant. Si verò per dexteras aliqua conspiratio firmata fuerit, si liberi sunt, aut iurent cum idoneis iuratoribus hoc pro malo non fecisse, aut, si facere non potuerint, * suam legem componant, si verò serui sunt, flagellentur, & vt de caetero in regno nostro nulla huiusmodi conspiratio fiat, nec per sacramentum, nec sine sacramento.

NOTA.

* Adiuratores, *id est, coniurati, nisi legendum est* adiutores,

res, *quod non male conuenit ſententia.* * prædicant *etiam erat ſcriptum, vbi ego tranſpoſitis duabus literis,* præcidant, *poſui, quod illud alterum ad ſententiam nihil faceret.* * ſuam legem componant, *autem ſignificat ſecundum legem pœnam, ſeu multam ſoluant per quandam Synecdochen.*

X I.

Hæc lex habetur l 2. ll. Long. de teſtib.

* Senſus hic videtur poſtulare, *vtrum,* legatur pro *accuſatore.*

De periuriis, vt caueantur, & non admittantur teſtes ad iuramentum ante, quam diſcutiantur, &, ſi aliter diſcuti non poſſunt, ſeparentur ab inuicem, & ſingulariter inquirantur, & non ſoli accuſatori liceat teſtes eligere, abſente ſuo * accuſatore, & omnino nullus, niſi ieiunus ad iuramentum, vel ad teſtimonium admittatur. Si refutatur, dicat ille, qui eum refutat, & probet, quare * illius recipere nolit, & de ipſo pago non de altero teſtes eligantur, niſi forte extra comitatum longius cauſa ſit inquirenda, & ſi quis conuictus fuerit periurus, perdat manum, aut redimat.

Nota.

* *Hic aut deeſt nomen* teſtimoñiũ, *aut pro* illius *debet ſcriptum eſſe* illum, *aut* eum, *ſicut in ll. Longo. legitur.*

X I I.

De aduocatis idem, vt praui aduocati, vicedomini vicarii, & centenarii tollantur, vt tales eligantur, quales & ſciant, & velint iuſte cauſas diſcernere, & terminare, & ſi comes prauus inuentus fuerit, nobis nuncietur.

X I I I.

De theloneis placet nobis, vt antiqua, & iuſta thelonea à negotiatoribus exigantur tam de pontibus, quam de nauigiis, ſeu mercatis. Noua vero, ſeu iniuſta, vbi vel funes tenduntur, vel cum nauibus ſub pontibus tranſitur, ſeu his ſimilia, in quibus nullum adiutorium itinerantibus

rantibus præstatur, vt non exigantur. Similiter etiam, nec de his, qui sine negociandi causa substantiam suam de vna domo ad aliam, aut ad palatium, aut in exercitum ducunt. Si quid verò fuerit, vnde dubitetur, ad proximum placitum nostrum, quod cum ipsis missis habituri sumus, interrogetur.

NOTA.

Talis traiectus per extensum funem super flumen adhuc est in quodam loco Turingiæ non procul ab arce Rotenburga, non tamen ibi se ipsi facientes iter, qui hic iterantes barbare dicuntur, ad funem transuehunt, quod hic significantur fecisse olim, sed publicanus hoc facit.

XIV.

De fugitiuis clericis,* seu & laicis, etiam fœminis, sicut iam in alio capitulare præcepimus, ita seruetur.

NOTA.

* *Puto seu, omittendum, aut pro* seuet *(sic enim erat in scripto codice) legendum siue.*

XV.

De liberis hominibus, qui ad seruitium Domini Dei se tradere volunt, vt prius non faciant hoc, quàm à nobis licentiam postulent, hoc ideo, quia audiuimus illis non tam causa deuotionis, quàm exercitus, seu alias functiones regales fugiendo, quosdam verò cupiditatis causa ab his, qui res illas concupiscunt circumuentos * audiuimus, & hoc ideo fieri prohibemus.

NOTA.

* Audiuimus, *hic abundat, ac desunt hæc, aut similia verba,* hoc facere.

XVI.

De oppressione pauperum liberorum hominum.

NOTA.

* Accipiunt) *nemen, Germanismo, id est, ducunt, vel nubunt. Cæterum per* fiscalinos, *&* fiscalinas regias *intelligit mancipia regia, forte à cura fisci facto nomine.*

XXIII.

Decima) scriptum erat in neutro genere.

Vt decimæ populi diuidantur in quatuor partes, id est vna pars Episcopo, alia clericis, tertia pauperibus, quarta Ecclesiæ in fabricis applicetur, sicut in decreto * Gelasij Papæ continetur.

NOTA.

* *Can. 29. & habetur 12. dist. 2. c. Quatuor autem.*

XXIV.

Vt viduis, & pupillis, orphanis, cæcis, & claudis tuitionem, atque adminiculum impertiamus iuxta possibilitatem nostram, vel vires, sicut in præcepto domini regis continetur.

NOTA.

Maxime cœlestis illius, qui profitetur se palam horum adiutorem.

XXV.

De incantationibus, auguriis, vel diuinationibus, & de his, qui tempestates, vel (*a*) alia maleficia faciunt, placuit sancto Concilio, vt, vbicunq; deprehensi fuerint, videat archipresbyter diœcesis illius, vt diligẽtissimè examinatione cõstringantur, (*b*) si fortè cõfiteantur, malorũ, quæ gesserũt; sed tali moderatione fiat eadẽ districtio, ne vitã perdant, sed, vt saluentur in carcere afflicti vsq;, dum Deo inspirante spondeant emendationem peccatorum, &, vt nullatenus per aliqua premia á comitibus, vel centenariis absque districta examinatione remittantur. Et hoc si fecerint archipresbyteri, * dum hoc cognouerint, nequa-

* Pro, *atque rem cognouerint*, aut confessionem examinando expresserint.

nequaquam (c) Episcopis celare audeant, & ab Episcopis, vt dignum est, pro hoc corripiantur.

NOTÆ.

(a) *Hic erat scriptum aliam alificia, litera, m traspositâ in finem prioris dictionis, unde manifestè colligi potest inscitia librarij.* (b) *Sic & verba*, si forte conf. *Velut nouum caput, à praecedentibus erant separata, cum plane cohaereant, quanquam Germanica phrasi* ob sie vielleicht bekenneten/ er.) *Si) conditionali pro an) dubitatiua. Sunt enim*, examinatione cōstringantur) *posita, pro examinentur) aut certe*, si forte confit.) *dictum est absolute pro, forte confitebuntur, vti & illud nostrum pro* villeicht würden sie bekennen. *Et ita melius. Est etiam* confiteantur malorum) *dictum pro* conf. mala, *vt si esset memoriae verbum, non aliter, quam nostri dicunt*, ich kenn sein/ oder deß nicht. (c) *Tale est* Episcopis celare.

Item Capitulare.

I.

De ordinatione Ecclesiastica, & restauratione Ecclesiarum Dei omnes generaliter habeant bonam prouidentiam.

II.

Vt pacem, & concordiam habeant ad inuicem fideles nostri.

III.

Quomodo marca nostra sit ordinata, & quae per se fecerunt confiniales nostri specialiter istis praeteritis annis.

NOTA.

Confiniales) *pro vicini, aut confines, vt praecipiat lex de cura finium regundorum. Et repetendum hic est*, prouidentiam habeant) *aut subintelligendum aliquid simile.* Rr 3 De

9. annos. alium, qui habuit II. ad extremum illum seruum postquam dominos suos illos pueros occidit, in foueam quandam proiecit, & iudicatum est, vt illum, qui nouem annos habuit, vuereguildo componat. Alium vero, qui II. annos habuit, dupliciter, seruum, quem * mordricum, tripliciter, & bannum nostrum ad omnia.

Hic & abundat.

NOTA.

Vide lenitatem in puniendo, & quomodo paulatim pœnarum seueritas creuerit.

* *pro* mordricum, *videtur scribendum esse* mordricauit, *id est iniuste interfecit, à* **morden**/ *aut* mordrice, **mörderlich**/ *vt verbum trucidauit, aut simile sit omissum. legitur idem verbum in Synodo celebrata apud Theodonis villam circa eadem tempora, de Episcopo Iohanne inhoneste, & inaudite* mordridato, &c.

I.

Sunt tantum tituli constitutionum.

Infra Ecclesiam, de lectionibus.

II.

De cantu.

NOTA.

Hic nullus est numerus in scripto codice, & postea in 9. leg. & 10. est tantum nouenarius. *

III.

De scribis, vt non vitiose scribant.

IIII.

De notarijs.

V.

De cæteris disciplinis.

VI.

De computo.

VII.

Hic erat scriptum, de Medicinalia.

De medicinalib.

De Eccle-

VIII.

De Ecclesijs sine honore manentibus, absque officijs, & luminaribus, & de his, qui decimas * absumunt, & de Ecclesijs non curant, & de altaribus, vt non superflua sint in Ecclesijs.

* Hic erat *adsumunt* scriptum.

N o t a.

Hæc verba de altaribus, vt notaui sup. satis indicant in vno templo fuisse plura altaria, quam vnum, quod nunc insanè quidam negant, & conuenit hoc Meldensi concil. vbi etiam prohibentur altaria superflua. Quæ sint autem hæc, ostendit Synod. Aphr.

IX.

De laicis nouiter conuersis, ne ante, quam suam legem pleniter discant, viuendo ad alia negocia mittantur.

X.

De derelinquentib. seculum, vt vnum è duobus eligant, aut pleniter secundum canonicam, aut secundum regularem constitutionem viuere debeant.

Nota.

Hic videntur hæc, vel similia deesse, aut maneāt in seculo.

XI.

De seruis proprijs, vel ancillis, vt non amplius tondeantur, vel velentur, nisi secundum mensuram, vt & ibi satis fiat, & villæ non sint desolatæ.

N o t a.

Non amplius, *pro non plures*, nisi, *pro quàm*, & mensuram) *pro numerum. Non autem prohibetur, aut, euertitur monachatus, sed modus ei statuitur.*

XII.

De congregationibus superfluis, vt nullatenus fiant, sed tantos congregent, quantis consilium dari potest.

NOTA.

Tantos) *pro tot*, quantis) *pro quot. ſ. homines, &* dari *cenſeo legendum , pro dare.*

XIII.

De illis, quæ non fiunt ſecundum regulam à pulſantibus vt deinceps emendentur, & pulſetur ſecundum regulam.

NOTA.

Hæc ita erant in ſcripto codice, De illis, qui confiunt ſecundum regulam pulſanti, *vt d. &c.* & pulſentur *&c. Puto autem loqui legem de pulſandis tintinabulis in templis.*

XIIII.

Vt infantulæ ætatis puellæ non velentur ante, quam illæ eligere ſciant, quid velint, ſalua canonica authoritate.

NOTA.

Hæc lex reuocari debebat, non euerti, & prophanari monaſteria. Nota, quod leges vult cedere Canonibus.

XV.

Vt laici non ſint præpoſiti monachorum infra monaſteria, nec archidiaconi ſint laici.

XVI.

De inceſtuoſis, vt Canonicè examinentur, & nec propter alicuius amicitiam quidam * relaxentur, quidam vero * conſtringantur.

* i. abſoluātur.
* i. damnentur

I.

De pace, vt omnes, qui per alia ſcelera rebelles ſunt, conſtringantur ad omnes generaliter.

NOTA.

Puto legendum eſſe talia *pro* alia, *& in fine*, ad omnes *abundare, niſi eſt, vt videtur, dictum pro eo , quod Latini dicunt*, ad vnum omnes.

De iu-

I I.

De iustitiis Ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum, pupillorum, vt in publicis iudiciis non despiciantur clamantes, sed diligenter audiantur.

I I I.

De iustitiis regalibus, vt pleniter * fiant inquisitæ.

* Inquirantur.

I V.

De hoc, si famis euenit clades, aut inæqualitas aëris, vel alia qualiscunq; tribulatio, non expectetur edictum nostrum, sed statim * deprecetur Dei misericordia, & in præsenti anno de famis inopia, vt suos, quisque adiuuet, pro vt potest, & suam annonam * non nimis care vendat, & ne * foris imperium nostrum vendatur aliquid alimoniæ.

* *Deprecetur* passiue, sed non latine.

* *Foris*) pro extra.

V.

De armis infra patriam non portandis, * idem scutis, & lanceis, & loricis. Si faidosus quis sit, discutiatur tunc, * qui de duobus contrariis sit, vt pacati fiant, & distringantur ad pacem etiam, si voluerint. Et si aliter * pacificare nolunt, adducantur in nostram præsentiam, &, si aliquis post pacificationem alterum occidit, componat illum, & manum, * quam periurauit, perdat, & insuper bannum dominicum soluat.

* *Item*) est legendum.

* Hic erat scriptum, *qui si duobus*.

* *Pacificare*, pacem facere, absolute.

* *Quam periurauit*, pro qua peierauit.

V I.

De armatura, in exercitu, sicut antea in alio capitulari commendauimus, ita seruetur, & insuper omnis homo X I I. menses brunniam habeat, qui verò * brunniam habens eam secum non tulerit, omne beneficium cum brunnia perdat.

* De brunnia supra.

* Hic erat, *&* *ea secum*.

V I I.

De negociatoribus, qui partibus Scaborum, & Auarorum

Suenos, & Banaros designat. & in) deest.

rorum pergunt, quousque procedere cum suis negociis debeant, id est partibus Saxoniæ vsq; ad partem Nuinih, ibi præuideat Heretus, & ad Skesba, vbi Madalgaidus præuideat, ad Aluestat, & ad Erpfesfurt. Item Miam prę-uideat, ad Foranheim, & ad Brenberg, & ad Raginispurg Audulphus, ad Magadeburg præuideat Hatto, & ad lauriacum Vuerinheri, & vt arma, & brunnias non ducantur ad venundandum, quod si inuenti fuerint portantes, omnis substantia eorum auferatur ab eis, dimidia quidem pars partibus palatii, alia verò media inter iam dictos missos, & inuentorem diuidatur.

Partibus palatii) hoc est fisco.

NOTÆ.

Nuiuih, & Skesba, *locorum sunt nomina, Heretus, & Madalgaidus præfectorum. Sic* Aluestat, *quæ iam, ni fallor,* Halberstat/ Erfesfurt, *quæ iam* Erfurt/ Foranheim, *quæ iam* Forchheim/ Brenberg, *quæ iam* Pamberg/ Raginispurg, *quæ iam* Regenspurg/ *&* Magadopurg, *quæ nunc* Madepurg/ *ab incolis* Maiporch. *Reliqua sunt præfectorum nomina. Cæterum Aluestadij, & Erphesfurti præfectus videtur habere hic nomen deprauatum. Scriptum autem erat, Item Miam, quod puto vnum præfecti nomen. De primis duobus nominibus nihil scio.*

VIII.

De * clamatoribus vel causidicis, *quod nec iudicium Scabinorũ adquiescere, nec blasphemare volunt, antiqua cõsuetudo seruetur, id est vt in custodia reclaudantur, donec vnum è duobus faciant, &, si ad palatium pro hac re clamauerint, & literas detulerint, non quidem eis credatur, nec tamen in carcere ponantur, sed cum custodia & cum ipsis literis pariter ad palatium nostrum remittantur. & ibi discutiatur sicut digni sunt.

NOTA.

NOTA.

* *Pulchra, & apta rabularum appellatio, quæ conuenit cum his nostris* **schreyer/ zungentrescher / ploderer.** * *Cæterum quod dicit eos oportuisse aut* acquiescere iudicium sententię, *quod Lex dicit iudicium Scabinorum adquiescere, insitate, ac barbare.* At blasphemare, *significat, puto, manifestam vel probationem, vel improbationem, quæ fiebat etiam per maledicta.*

IX.

De iuramento, vt nulli alteri per Sacramentum fidelitas promittatur, nisi nobis, & vnicuique seniori proprio ad nostram vtilitatem, & sui senioris, exceptis his Sacramentis, quæ iuste secundum legem alteri ab * altero debentur.

* Hic erat scriptum *altari)* pro alteri, & *debet* pro debentur.

X.

De conspirationibus, quicunque facere præsumpserint, & sacramento quamcunque conspirationem firmauerint, vt triplici ratione iudicetur, primo, vt, vbicunque aliquod malum pro hoc perpetratum fuerit, authores facti interficiantur, * adiuratores vero eorum alter ab altero flagellentur, & nares sibi inuicem * præcidant. Vbi verò nihil mali perpetratum est, similiter quidem inter se flagellentur, & capillos sibi vicissim detondeant. Si verò per dexteras aliqua conspiratio firmata fuerit, si liberi sunt, aut iurent cum idoneis iuratoribus hoc pro malo non fecisse, aut, si facere non potuerint, * suam legem componant, si verò serui sunt, flagellentur, & vt de cætero in regno nostro nulla huiusmodi conspiratio fiat, nec per sacramentum, nec sine sacramento.

NOTA.

* Adiuratores, *id est, coniurati, nisi legendum est* adiutores,

res, *quod non male conuenit sententia.* * prædicant *etiam erat scriptum, vbi ego transpositis duabus literis,* prædicant, *posui, quod illud alterum ad sententiam nihil faceret.* * suam legem componant, *autem significat secundum legem pœnam, seu multam soluant per quandam Synecdochen.*

X I.

Hæc lex habetur l. 2. ll. Long. de testib.

De periuriis, vt caueantur, & non admittantur testes ad iuramentum ante, quam discutiantur, &, si aliter discuti non possunt, separentur ab inuicem, & singulariter inquirantur, & non soli accusatori liceat testes eligere, absente suo * accusatore, & omnino nullus, nisi ieiunus ad iuramentum, vel ad testimonium admittatur. Si refutatur, dicat ille, qui eum refutat, & probet, quare * illius recipere nolit, & de ipso pago non de altero testes eligantur, nisi forte extra comitatum longius causa sit inquirenda, & si quis conuictus fuerit periurus, perdat manum, aut redimat.

* Sensus hic videtur postulare, vt reo, legatur pro *accusatore.*

N O T A.

* *Hic aut deest nomen* testimoniũ, *aut pro* illius *debet scriptum esse* illum, *aut* eum, *sicut in ll. Longo. legitur.*

X I I.

De aduocatis idem, vt praui aduocati, vicedomini vicarii, & centenarii tollantur, vt tales eligantur, quales & sciant, & velint iuste causas discernere, & terminare, & si comes prauus inuentus fuerit, nobis nuncietur.

X I I I.

De theloneis placet nobis, vt antiqua, & iusta thelonea à negotiatoribus exigantur tam de pontibus, quam de nauigiis, seu mercatis. Noua vero, seu iniusta, vbi vel funes tenduntur, vel cum nauibus sub pontibus transitur, seu his similia, in quibus nullum adiutorium itinerantibus

rantibus præstatur, vt non exigantur. Similiter etiam, nec de his, qui sine negociandi causa substantiam suam de vna domo ad aliam, aut ad palatium, aut in exercitum ducunt. Si quid verò fuerit, vnde dubitetur, ad proximum placitum nostrum, quod cum ipsis missis habituri sumus, interrogetur.

NOTA.

Talis traiectus per extensum funem super flumen adhuc est in quodam loco Turingia non procul ab arce Rotenburga, non tamen ibi se ipsi facientes iter, qui hic iterantes barbare dicuntur, ad funem transuehunt, quod hic significantur fecisse olim, sed publicanus hoc facit.

XIV.

De fugitiuis clericis,* seu & laicis, etiam fœminis, sicut iam in alio capitulare præcepimus, ita seruetur.

NOTA.

* *Puto seu, omittendum, aut pro* seuet *(sic enim erat in scripto codice) legendum siue.*

XV.

De liberis hominibus, qui ad seruitium Domini Dei se tradere volunt, vt prius non faciant hoc, quàm à nobis licentiam postulent, hoc ideo, quia audiuimus illis non tam causa deuotionis, quàm exercitus, seu alias functiones regales fugiendo, quosdam verò cupiditatis causa ab his, qui res illas concupiscunt circumuentos * audiuimus, & hoc ideo fieri prohibemus.

NOTA.

* Audiuimus, *hic abundat, ac desunt hæc, aut similia verba,* hoc facere.

XVI.

De oppressione pauperum liberorum hominum.

Rr * vt

*. *Vt non fiant oppressi*, pro, ne opprimantur. * *eorum)* pro suas.

* vt non fiant à potentioribus per aliquod malum ingenium contra iustitiam oppressi, ita, vt coacti res * eorum vendant, aut tradant. Ideo hæc, vt supra, & hic de liberis hominibus diximus, ne forte parentes contra iustitiam faciant ex hæreditate, & regale obsequium minuatur, & ipsi, hæredes propter indigentiam mendici, vel latrones, seu malefactores efficiantur, &, vt sæpius non fiant manniti ad placitum, nisi sicut in alio loco præcipimus, ita seruetur.

XVII.

De Ecclesiis, seu sanctis nouiter, sine authoritate inuentis, nisi Episcopo probante, minime venerētur, salua etiā de hoc, & de omnib. Ecclesiis canonica authoritate.

XVIII.

De falsis monetis, quæ in multis locis cōtra iustitiam, & contra edictum fiunt, volumus, vt nullo loco alio moneta * fit, nisi in palatio nostro, nisi forte iterum à nobis aliter fuerit ordinatum, illi tamen denarii, qui modo * moneti sunt, si pensantes, & meri sunt, habeantur.

* Suspicor, legendum esse, *fiat* pro *fit*.

NOTA.

* Moneti, *pro signati, aut percussi. quasi moneta vsurparetur adiectiuè, nisi legendum est moneta per appositionē quandam, id est iustum pondus habuerint, & materiam, si probi sint*, das rechte schrot/ vnd korn haben.

XIX.

De aribanno volumus, vt missi nostri hoc anno fideliter exactare debeant, absq; vllius personæ gratia, blanditiis sine terrore secundum iussionem nostram, id est de homine habente lib. 6. in auro, & argento, prunneis, heramento, pannis integris, caballis, bobus, vaccis, vel alio peculio, & vxores, vel infantes non fiant spoliati pro hac re, sed de eorum vestimentis accipiant legitimum hariban-

Pro, exigant est dictum *exactare debeant*.

haribannum, id est lib. 3. Qui verò non habuerit amplius in supra scripto precio valente, nisi libr. 3. Solid. 30. ab eo exigant. Id est lib. 1. & dimidiam. Qui autem non habuerit amplius, nisi duas lib. Solid. 10. Si verò vnam habet, Solid. 5. Ita vt iterum se valeat præparare ad Dei seruitium, & ad nostram vtilitatem, & nostri missi caueant, & diligenter inquirant, ne per aliquod malum ingenium subtrahant nostram iustitiam alteri tradendo, aut commendando.

Nostram iustitiam, id est, quod nobis debetur per Synecdochen.

NOTA.

Hæc lex vehementer erat deformata per librarium. Nos eam correximus libere, potissimum ex leg. Longob. inter quas etiam extat rub. de heribanno, lib. 3. De aribanno autem, siue heribanno, quod idem est, dixi alicubi supra.

XX.

Census regalis vndecunque legitimè exhibeatur, volumus vt inde soluatur, siue de propria persona hominis, siue de rebus.

NOTA.

Census regalis, pro pensio, quæ regi debetur, vsu illorum temporum, vnde & nostrum zins *ortum est. Veteribus enim latinis omnes facultates significat.*

XXI.

De latronibus, sicut iam in alio Capitulari commendauimus, ita maneat.

XXII.

De liberis hominibus, qui vxores fiscalinas regias, & fœminis liberis, quæ homines similiter fiscalinos regios * accipiunt, vt nō de hæreditate parentum, vel de causa sua quærenda, nec de testimonio pro hac re abiiciantur, sed talis etiā nobis in hac causa honor seruetur, qualis & antecessoribus nostris regibus, vel imperatoribus seruatus esse cognoscitur.

Rr 2 *Acci-

NOTA.

* Accipiunt) nemen Germanismo, id est, ducunt, vel nubunt. Caeterum per fiscalinos, & fiscalinas regias intelligit mancipia regia, forte à cura fisci facto nomine.

XXIII.

Decima) scriptum erat in neutro genere.

Vt decimae populi diuidantur in quatuor partes, id est vna pars Episcopo, alia clericis, tertia pauperibus, quarta Ecclesiae in fabricis applicetur, sicut in decreto * Gelasij Papae continetur.

NOTA.

* *Can. 29. & habetur 12. dist. 2. c. Quatuor autem.*

XXIV.

Vt viduis, & pupillis, orphanis, caecis, & claudis tuitionem, atque adminiculum impertiamus iuxta possibilitatem nostram, vel vires, sicut in praecepto domini regis continetur.

NOTA.

Maxime caelestis illius, qui profitetur se palam horum adiutorem.

XXV.

De incantationibus, auguriis, vel diuinationibus, & de his, qui tempestates, vel (a) alia maleficia faciunt, placuit sancto Concilio, vt, vbicunque deprehensi fuerint, videat archipresbyter dioecesis illius, vt diligentissimè examinatione cõstringantur, (b) si fortè cõfiteantur, malorũ, quae gesserũt; sed tali moderatione fiat eadẽ districtio, ne vitã perdant, sed, vt saluentur in carcere afflicti vsque, dum Deo inspirante spondeant emendationem peccatorum, &, vt nullatenus per aliqua premia à comitibus, vel centenariis absque districta examinatione remittantur. Et hoc si fecerint archipresbyteri, * dum hoc cognouerint, nequa-

* Pro, *atque rem cognouerint*, aut confessionem examinando expresserint.

nequaquam (c) Episcopis celare audeant, & ab Episcopis, vt dignum est, pro hoc corripiantur.

NOTÆ.

(a) *Hic erat scriptum aliam alisicia, litera, m traspoßita in finem prioris dictionis, vnde manifestè colligi poteſt inſcitia librarij.* (b) *Sic & verba*, si forte conf. *Velut nouum caput, à præcedentibus erant ſeparata, cum plane cohæreant, quanquàm Germanica phraſi* ob sie vielleicht bekenneten/ etc.) *Si) conditionali pro an) dubitatiua. Sunt enim,* examinatione cõstringantur) *poſita, pro examinentur) aut certe,* si forte confit.) *dictum eſt abſolute pro, forte confitebuntur, vti & illud noſtrum pro* villeicht würden sie bekennen. *Et ita melius. Eſt etiam* confiteantur malorum) *dictum pro* conf. mala, *vt ſi eſſet memoriæ verbum, non aliter, quam noſtri dicunt,* ich kenn sein/ oder deß nicht. (c) *Tale eſt* Episcopis celare.

Item Capitulare.

I.

De ordinatione Ecclesiastica, & restauratione Ecclesiarum Dei omnes generaliter habeant bonam prouidentiam.

II.

Vt pacem, & concordiam habeant ad inuicem fideles nostri.

III.

Quomodo marca nostra sit ordinata, & quæ per se fecerunt confiniales nostri specialiter istis præteritis annis.

NOTA.

Confiniales) *pro vicini, aut confines, vt præcipiat lex de cura finium regundorum. Et repetendum hic eſt,* prouidentiam habeant) *aut ſubintelligendum aliquid ſimile.* Rr 3 De

IIII.

De placito condicto ad marcam necesse est, vt omnimodis ex omni parte sicut ordinatum fuerit, vnusquisq; conueniat.

NOTA.

Marca *) significat Germanis limites, seu fines. Vnde sunt etiam nomina Marchio, & Marggrafius, id est præses prouinciæ, ac velut custos finium. Quod .n. hac nonnulli deriuant à Marca Pausaniæ vocabulo, non placet, vel ideo, quod marca, & Merhe, vel merche, vel vt in Misnia, & vicinis locis pronũciatur,* mere *differant, nec vsquàm in Germania, quod sciam, prior vox pro equa sit in vsu. Deinde facile fuit Pausaniæ detrahere literæ c. aspirationem, præsertim cum nec Græci, nec latini possint eum sonum exprimere, quem nos in his regionibus habemus in litera. ch.*

V.

De illis hominibus non recipiendis à Marchionibus nostris, qui seniores suos fugiunt pro damnaq; eis facta habent.

NOTA.

Sic erat scriptum, forte, pro damnisq; facta *) legendum est, vt sit sensus, & quod fugiunt, putant se lædere suos superiores, aut fugiunt dolose, etsi & alibi sæpe accus. casus in hoc libro erat additus præpositioni, pro.*

VI.

De prauis iudicibus, aduocatis, vicedominis, vicarijs, centenarijs, vel reliquis actorib⁹ maleuolis non habẽdis.

NOTA.

Hic erat auctoribus, *ego posui* actoribus) *& hoc approbantibus legib. Longobard.*

VII.

De liberorum hominum possibilitate, vt iuxta qualitatem proprietatis exercitare debeant.

NOTA.

NOTA.

Proprietatis *.i. bonorum, seu facultatum*, exercitare, *hoc est militare, iuuare exercitum, facto verbo ab exercitu. Si tamen rectè ariolor.*

VIII.

Vt nullus consentiat suis hominibus ad malefaciendum infra patriam de eo, quod dicunt se non posse habere homines ad marcam defendendam, si eos bene distringunt.

NOTA.

De eo) *pro ideo*, quod dicunt *&c. i. pratexunt turpi consensui non posse populares aliter in officio retineri, nisi permittantur eis maleficia.*

IX.

De vassis regalibus, vt honorem habeant & per se, aut ad nos, aut ad filium nostrum caput teneant.

Et) videtur ponendum post se

NOTÆ.

Qui alibi dicuntur, Bassi, quæ res vt multa similes declarant, illis adhuc temporibus nullum admodum fuisse, vt re vera fuit apud veteres, discrimen inter b. & u. consonantem in potestate, seu pronunciatione. Hæc sunt nota, vinum, bin/ *vel* Bein/ *vidua,* Widdec/ *vannus,* Wan/ *villa,* Biler/Weiler. *Barbarum itaq; & minime necessarium inuentum est geminatio huius literæ. Porrò* &) *videtur ponendum post se*) *cum per se honorem habere, & ab alio, quod hic puto caput tenere ad Carolum, aut filium esse, opinor.*

X.

De obsidibus, quod bene non custodiunt, & ab eis fugiunt.

NOTA.

Bene nō) *puto scribi debere,* quod bene custodiāt & nō ab eis aufugi-

aufugiant, vt præcipiatur præfectis de custodiendis obsidibus, & quod) pro) vt) sit positum.

XI.

Eorum pro suâ. De illis, qui necessitatem patiuntur, & meliorem habeant consolationem ad eorum iusticiam.

XII.

* Vt per placita non fiant banniti homines, excepto, si aliqua proclamatio super aliquem venerit, aut certe, si scabinus, aut iudex non fuerit, * & pro hoc condemnati illi pauperiores non fiant.

NOTA.

* *Id est, non in conuentibus, sed in iudicijs, nisi iudices desint, aut lata sententia deferatur in conuentum.* * Et pro hoc) *id est ideo, qui condemnabuntur aliter, nihil hoc eis noceat.*

XIII.

Vt haribannum, aut aliquod collectum pro exercitali causa comites de liberis hominibus recipere, aut inquirere non præsumant, excepto, si de palacio nostro, aut filij nostri missus veniat, qui illum haribannum requirat.

NOTA.

Collectum) *i. tributum, haribannum autem est compositum à banno, de quo alibi, & here, i. exercitu, (Saxones hare dicunt quod ea pecunia proprie conferretur ad militiam, siue, vt tributum, siue, vt mulcta.*

CAROLVS GRATIA DEI REX Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum.

Dilectis (*a*) Comitibus, seu iudicibus, & vassis nostris, vicarijs, centenarijs, vel omnibus missis nostris, & agentibus,

agentibus. Cognoscat (*b*) vtilitas vestra, quia resonuit in auribus nostris quorundam præsumptio non modica, quod non ita obtemperetis Pontificibus nostris, seu sacerdotibus, quemadmodum canonum, & legum continet authoritas. Ita, vt presbyteros, nequissima temeritate, præsentari Episcopo denegetis. Insuper & aliorum clericos vsurpare non pertimescatis, & absque consensu Episcopi in vestras Ecclesias mittere audeatis. Nec non & vestris ministerijs Pontifices nostros talem potestatem habere non permittatis, qualem rectitudo Ecclesiastica * docet. Insuper nonas, & decimas, vel census improba cupiditate de Ecclesijs, vnde ipsa * beneficia sunt, abstrahere nitimini, & (*c*) precarijs de ipsis rebus, sicut à nobis dudum in nostro capitulare institutum est, accipere * neglegitis, & ipsam sanctam Dei Ecclesiam vna cum ipsis Episcopis, vel abbatibus emendare iuxta vires vestras. Quapropter nos vna cum consensu Episcoporum nostrorum, abbatum, nec non & aliorum sacerdotum hæc instituta partibus nostris direximus. Præcipientes .n. iubemus, (*d*) vt nullus quilibet ex fidelibus nostris à minimo vsque ad maximum in his, quæ ad eum pertinent, Episcopo suo (*e*) in obediens parere audeat de supra dictis Capitulis, seu alijs eruditionibus ad illorum ministeria pertinentibus, sed cum bona voluntate, & omni mansuetudinis subiectione vnusquisque sacerdoti suo propter Deum, & pacis studium obtemperare studeat. Si quis autem, quod absit, vnus ex vobis vllus de nonis, & decimis, censibusq; reddēdis, atq; precarijs renouandis neglegens apparuerit, & importunus Episcopis nostris de his, quæ ad ministerium illorū pertinere noscuntur, vel sicut in capitulare dudum à nobis factum continetur, contra dicere præsumpserit, sciat se

* Hic erat scriptum *donec*) pro docet.

* Hic *beficia*, sed manifesto errore, & plane pucrili.

* *Nec'egitis*) pro eo, quod iam scribitur neglegitis.

Hic erat scriptum *quo a sit vlnus*)

proculdubio, nisi se cito correxerit, in conspectu nostro exinde ducere rationes, & vt has literas certius credatis de anulo nostro subterius decreuimus roborare.

NOTÆ.

Ducere) *pro ducturum, & hoc pro redditurum, aliud .n. est ducere, vel vsitatius, subducere rationes, aliud reddere.*

Manuscriptus codex hic habebat, subtereas) *mendosè, subterius autem dicitur à subter, vt à super superius dicitur pro inferius.*

(a) Dilect. comit) *imperfecta salutatio, desunt enim S. D. cuiusmodi sunt inscriptiones epistolarum Pauli Apostoli.* (b) *Dixit* etiam vtilitas vestra) *pro eo, quod iam scribunt suis principes,* **lieben/ getrewen**) *& figurate vtilitas) pro vtiles, vt adhuc dicimus, tua maiestas, tua sanctitas, dilectio, paternitas, & alia multa non ad veterum latinorum formam, sed imitationem Episcoporum Græcorum, & latinorum, adeoq; ad Christianorum inter se reuerentiæ formam. Cæterum habes hic imaginem, lector, horum temporum, nisi quod res iam est periculosior propter maiorem ducum potentiam.*

Optat Ephippia bos piger, optat arare Caballus.
Et vtinam hoc tantum.

(c) Et precarijs de &c. *melius precario.*) *Sing. nu. legeretur. Est autem precarium, quod precib. vtendum conceditur, quamdiu is, qui concessit, patitur ff. de precario, c. fin. de prec. extra in 3. de precarijs habentur similia quædam in Conc. Remen. c. 36. & 37.*

(d) Nullus quilibet) *pleonasmus, nullus enim sufficeret, aut nullus omnino, Est phrasis cognata cum Germanica,* **das keiner/ er sey wer er sey.** (e) *deinde* inobediens parare scriptum erat. *Ego feci* parere.

Tametsi & hoc dictum est pro esse inobediens.

Capitula

CAPITVLA, QVE ADDITA SVNT ad legem Longobardorum.

CArolus diuino nutu Coronatus Romanum regens Imperium Serenissimus Augustus omnibus Ducibus, Comitibus *(a)* Gastaldijs, seu cunctis Reipublicæ per prouincias Italiæ, à nostra mansuetudine præpositis. Anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi 800. primo, indictione nona. Anno vero regni nostri in Frãcia. 33. in Italia. 28. *(b)* Consulatus autem nostri primo, cum in Italiam propter vtilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ, ac prouinciarum disponendarum venissem, & multæ, atq; diuersæ per orbis * singulas ante conspectum nostrum quæstiones tam de Ecclesiasticis, quam publicis, ac priuatis rebus discuterentur, pleraq; statuta, recitata ex Romana, seu Longobardica lege competenti sententia terminata. Et sunt. * Quædam vero in nostri examinis arbitrium ad tempus dilata, quorum iudicialis sententia * à legislatoribus aut penitus omissa est, aut à posteris obliuioni tradita. * Quocirca nos considerãtes vtilitatem nostram, & populi adeo nobis concessi ea, quæ ab antecessoribus nostris Regibus Italiæ in edictis legis Longobardiæ ab ipsis editæ prætermissa sunt, iuxta rerum, & temporis considerationem addere curauim⁹, solliciti, vt necessaria, quæ legi defuerant, supplerentur, vt in rebus dubijs non quorumlibet arbitrium, sed nostræ regiæ authoritatis sententia præualeret.

* *Partes)* videtur deesse, aut *orbem)* scribendum.

* Hic erat *Quatam.*

* Hic *ad legis latronibus.*

* Hic *quod circa.*

N o t a.

(b) Gastaldius, *vel Gastaldio significat Oeconomum .i. procuratorem domus, & rei familiaris. Puto factum nomen a* Gast *id est, hospitium veteri Germanica, & Gallica lingua, &* halten *i. tenere. Sic. n. in quibusdã Germaniæ locis adhuc verbũ pronunciatur.*

ciatur. Quod autem Gast) *non tantum significauerit hospitem, sed etiam hospitium nostris maioribus hoc ostendit, quod adhuc in Misnia publicum hospitem vocant* ein Gastgeber/ *id est hospitij datorem. Quare melius scriberetur Gasthaldius, nisi quis* gestelten/ *qui nunc* bestelte *vocantur, id est constituti, velit hanc vocem esse, quod non displicet mihi.* (b) *Deinde primus annus consulatus est primus annus Imperij. Regnum autem in Italia incipit ab anno Christi 774. quod historiæ conuenit, scribitur enim Anno præcedente, hoc est 773. missam ad eum legationem ab Adriano Pontifice, atque impetratum auxilium ab eo contra Desiderium regem Longobardorum, ac ipsum, parta victoria, sequente anno domum rediisse.*

CAPITVLA AVTEM QVÆ NObis addere placuit, hæc sunt.

I.

DE chartis donationis faciendis statuimus, si quis Longobardus statum humanæ fragilitatis præcogitans pro salute animæ suæ de rebus suis chartam donationis quamlibet facere voluerit, non, sicut hactenus fieri solebat, ius sibi vendendi, commutandi, & per aliam chartam eandem rem alienandi reseruet, sed absolute faciat vnusquisque de rebus suis, quid velit, & nouerit sibi à nostra authoritate penitus interdictum duas de eadem re facere donationes. Sed postquam vnam de rebus suis ordinationem fecerit, aliam de ipsis faciendi nullam habeat potestatem. * Eidem tamen, vt vsumfructum per tantum precaria, res traditas vsque in tempus definitum possidendi sit facultas.

In lib. manu scripto erat aligandi.

NOTA.

* *Hic est in scripto codice id est, vbi ego posui, constructione postulan-*

postulante, Eidem, *Et*, per, tantum, precaria) *dictum est pro tantum precario, ac sane videtur, aut deesse verbum* habeat) *aut legi debere*, vt vsum fructum tantum percipiat precario.

II.

De aribanno. Si quis liber, contempta iussione nostra, cæteris in exercitum pergentibus domi residere præsumpserit, plenum aribannũ secundum legem Francorũ solid. LX. sciat se debere componere. Similiter & pro contemptu singulorum capitulorum, quæ per nostræ Regiæ authoritatis bannum promulgauimus. Idem qui pacem Ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum. & pupillorum, ac minus * potentiæ irruperit. LX. solid. exsoluat.

NOTA.

* *Puto scribendum* potentum) *pro* potentiæ, *quomodo scriptum est in l. Si quis liber, de Exercital. & his, qui in h. t. n. lib. I. ll. Longob. Vbi tota posterior pars ita est impressa. Similiter & pro contemptu singulorum capitulorum, quibus per nostram regalem authoritatem bannum promulgauimus, id est, quod pacem Ecclesiarum Dei, & viduarum, & orphanorum, & pupillorum, pauperum, ac minus potentum irruperit, aut raptum intra patriam fecerit, aut alienas domos incenderit, vel cum collecta multitudine vim cuilibet intulerit, L X. sol. pœna mulctetur.*

III.

De desertoribus. Si quis adeo contumax, aut superbus (*a*) existerit, vt, dimisso exercitu absque iussu, vel licentia regis, domum reuertatur, &, quod nos Theutisca lingua dicimus, (*b*) eris lex, fecerit, ipse, vt reus maiestatis vitę periculo incurrat, & res eius fisco nostro socientur.

NOTA.

(a) Existerit) *pro extiterit, aut sic debuit scriptum esse, vt est*

 in legib.

in legib. Longob. l.si quis contumax, de exercital. & his, qui in h. lib.1. vbi etiam habetur hæc lex. (b) *& pro* Eris lex, *est scriptum* Erilitz, *& ibidem l.fin. exponitur depositio armorum. Puto vocem factam ab* heer, *id est, exercitu, &* lete, *i. fine, ac ideo scribendam* herilete, *q. exercitus, & militiæ finis, quod etiam per depositionem armorum significatur, non tamen obseruata puerili ratione compositionis, vt nec opus fuit, nec in eo loco significatur eam obseruatam esse.*

IV.

De latronibus, si quis latronem morte dignum sibi ad occidendum traditum reseruauerit, vitam indigno concesserit, medietatem damni, propter quod traditus est, pro latrone componat, &, si idem latro iterum in latrocinio fuerit comprehensus, quod * in primis debuerat, capitali sententiæ debitum exsoluat.

NOTA.

* *Id est, afficiatur supplicio capitis, vt prius dignus fuisset, ac puto legendum* ibi prius) *pro primis. In principio scriptum erat,* si quis latronum mortem, *sed, vt vides, à me nonnihil mutatum necessario. Cæterum eadem lex habetur lib. 2. ll. Longob. de furtis, & ser. fugac.*

V.

De mancatione qualibet. Si quis alterum præsumptione sua, vel sponte, castrauerit, & ei ambos testiculos amputauerit, integrum vuidrigildum suum iuxta conditionem personæ componat, si virgam absciderit, similiter, si vnum testiculorum medietatem soluat. De oculis, manibus ac pedibus, vel de lingua sancimus, vt, si vnum horum abscissum fuerit medietas vuidrigildi, si ambo, integritas * pro factis emendatione componatur.

Virgam) penem, vt Medici adhuc vocant.

NOTA.

NOTA.

- Fortasse legendum est, præfatis, *vt referatur ad læsos. In 1. lib. ll. Longob. vbi habetur etiam hæc lex, est scriptum* prefecta, *sed errore Typographorum, pro* perfecta.

VI.

De Aldionibus publicis, ad ius (*a*) publicum pertinentibus (*b*) Aldiones, vel Aldianes ea lege viuant in Italia in seruitute dominorum suorum, qua fescalini (*c*) vel liddi viuunt in Francia.

NOTA.

(a) *In manuscripto libro est* Ad ius pulli pertinenter. *in 3. lib. ll. Longob. Incipit lex ab his verbis, Aldianes, vel Aldianæ, titul. Qua lege Aldianes, vel Aldiæ viuere debeant.* (b) *Rectius vbique legeretur* Aldij, *vel* Aldiæ, *vt sexus commode discerneretur. Cæterum de aliis vocabulis in præcedentibus,* (a) liddorum *autem vox ea videtur esse, quæ adhuc est in vocabulo apud nos vsitato* lidlon *; id est, famulorum, & famularum merces, vt ambæ voces* Aldij, & liddi) *sint Germanicæ, atque nihil differant, nisi, quod altera in Italia tum fuit in vsu, altera in Gallia, & Germania inter eos præsertim Germanos, qui Franci vocabantur. Sicut hoc tempore,* Magt / & Diern / Vater / & Nen / *& alia multa.*

VII.

Item de latronibus. Si quis furem, vel latronem comprehenderit, & eum indemnem dimiserit, neque * illum ad præsentiam ducis, aut comitis, vel loci seruatoris, qui missus comitis est, adduxerit, & de hoc facto, vel nequitia post hoc in præsentia iudicum conuictus fuerit, ipse damnum * ad extimationem, pro qua fur, vel latro comprehensus est, componere cogatur.

* Hic est *illum* in scripto codice.

NOTA.

NOTA.

* *1. lib. ll. Longob. de furt. & ser. fug. legitur*, existimatione. *Mihi videtur scribi debere*, æstimatione.

VIII.

Habetur in eodem loco.

De seruis (*a*) fugacib. Vbicunque intra Italiam siue Regius, siue Ecclesiasticus, vel cuiuslibet alterius hominis seruus fugitiuus inuentus fuerit à domino suo sine vlla annorum præscriptione vindicetur, ea tamen ratione, si dominus Francus, siue Alemannus, aut alterius cuiuslibet nationis sit. Si verò Longobardus, aut Romanus fuerit, ea lege seruos suos vel adquirant, vel * amittant, quæ inter eos antiquitus est constituta.

* Hic erat scriptum, admittant, plane alio sensu.

NOTA.

* Fugitib. *est in archetypo, ac ita hoc etiam loco significatur, quod paulo ante annotaui de similitudine potestatis consonantium, b. & u.*

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, & Spiritus sancti.

CAROLVS serenissimus Augustus, à Deo coronatus, magnus, pacificus Imperator, Romanum gubernans imperium, qui & per misericordiã Dei rex Francorum, & Longobardorum, dilectissimo filio nostro Pipino glorioso regi sempiternam in Domino salutem. Peruenit ad aures clementiæ nostræ, quod aliqui duces, & eorum iuniores gastaldii, vicarii, centenarii, seu reliqui ministeriales, falconarii, venatores, & cæteri per singula territoria habitantes, ac discurrentes, (*a*) mansionaticos parua rheda accipiant, non solum super liberos homines, sed etiam in Ecclesias Dei, monasteria videlicet virorum, & puellarum, & Xenodochia, atque diuersas plebes, & super re-

per reliquos ſeruientes Eccleſiarum Dei in eorum opera, iidem in vineis, & campis, ſeu pratis, nec non in eorum ædificiis illos (*b*) faciant operari, & carnaticos, & vinum contra omnem iuſtitiam ab eis exactare non ceſſant, & multas oppreſſiones patiantur ipſæ Eccleſiæ Dei, vel ſeruientes eorum. Ideoque, cariſſime fili, has literas ad tuam dilectionem direximus; vt hanc cauſam diligenter, ac prudenter inquirere facias, & ſi veritas eſt, quod ita factum ſit, deinceps omnimodis emendare, & corrigere ſtudeat, quatenus in diebus noſtris, ac tuis pax Eccleſiarum Dei, ſiue illarum ſeruientium in omnibus conſeruetur, &, vt (*c*) merces copioſa nobis, ac tibi exinde iugiter adcreſcat. Audiuimus etiam, quod quædam capitula, quæ in lege ſcribi iuſſimus, per aliqua loca aliqui ex noſtris, ac veſtris dicant, (*d*) quod nos nequaquam illis hanc cauſam ad notitiam per noſmetipſos condictam habeamus, & ideò nolunt eis obedire, nec conſentire, neque pro lege tenere. Tu autem noſti, quomodo, vel qualiter tecum locuti fuimus de ipſo capitulo, & ideo monemus tuam amabilem dilectionem, vt per vniuerſum regnum tibi à Deo commiſſum ea nota faciat. & obedire, atque implere præcipiat, de Epiſcopis, & ſacerdotibus occiſis, ſicut ſtatutum habemus, & de reliquis quibuſlibet cauſis.

NOTÆ.

(a) Manſionaticos) *Quid ſi Manſionatici eſſent, qui opus faciunt ruri, aut in prediis, quos Manſos adhuc in Italia vocant vulgo ex vetere Germanica lingua, forte à viri labore, qui* Man *à noſtris dicitur, aut certè, qui Manſos poſſident, non ſunt Coloni, vt inueniuntur, qui colunt tantum conductos agros.*

(b) Faciant operari) *id eſt grauent immodicis, & iniquis miniſteriis & exactionibus, vt adhuc ſæpe faciũt. Per* carnaticos

 autem

autem suspicor eum intelligere tale quiddam, qualis est carnium decima, fleisch zehende.

(*c*) Merces copiosa nob.) *vides Carolum expectare mercedem in futura vita? Mirum verò est hanc tantam blasphemiam scilicet in Aula Imperatoris etiam fuisse. Verum has sententia Catholica Ecclesia fuit omnibus temporibus.* (d) *Verba*, quod nos nequaquam illis hanc causam) *sunt Epanalepsis praecedentium, quod quædam Capitula, &c. in alia tamen forma. Deinde*, ad notitiam per nosmetipsos condictam habeamus, *dixit, nisi est menda, pro, quod non hoc illis nos ipsi proposuimus, aut indicauimus.*

Verumtamen de presbyteris videtur nobis,, vt, si liber natus est presbyter, tripla compositione secundum tuam legem * fiat compositus, &, si placatus fueris secundum qualitatem plagarum, vel disciplinæ, tripla compositione emendetur, qui hoc perpetrauerit. Si tamen presbyter seruus natus fuerit, secundum illius natiuitatem tripla compositione soluatur in plagis, & disciplinis, & de draconibus similiter fiat. His expletis, bene vale semper in Domino, fili dilectissime.

* *Fiat comp.* id est cõponatur) pro luatur, aut satis fiat læso ab eo, qui læsit.

De Episcopis, & Cleric. lib. 3. ll. Long.

Volumus primo, vt neque abbates, & presbyteri, neque diaconi, & subdiaconi neq; quislibet de clero (*a*) de personis suis ad publica, vel secularia iudicia trahantur, vel distringantur, sed à suis Episcopis adiudicati iustitias faciant. Si autem de possessionibus suis, seu ecclesiasticis, seu propriis super eos clamor ad iudicem venerit, mittat iudex clamantem cum misso suo ad Episcopum, vt faciat eum per aduocatum iustitiam recipere. Si verò talis aliqua inter eos contentio orta fuerit, quam per se pacificare non velint, aut non possint, tum per aduocatum Episcopi qualem iusserit ipse in causa ipsa ante comitem, vel iudicem veniat, & ibi secundum

Suis) pro eorum.

*Legem

legem finiatur antepoſita, vt dictum eſt, * perſona clerici.

* *Perſona*) id eſt contentio de clerico, ſeu clerici cum ſeculari.

N O T A.

(*a*) De perſonis ſuis) *id eſt ſui cauſa, vel, cum res ad ipſorum perſonas, aut ad ipſos homines proxime ſpectat, non ad bona, de quibus additur paulo poſt per antitheſin.*

Vt ſerui Aldiones, libellarii antiqui vel illi nouiter facti, qui non pro fraude, non pro malo ingenio de publico ſe ſubtrahentes, ſed pro mala paupertate, & neceſſitate terras Eccleſiæ incolunt, vel colendas ſuſcipiunt, non à comite, vel quolibet miniſtro illius ad vllam * angariam, ſeu ſeruitium publicum, vel priuatum cogantur, vel compellantur. Sed quidquid ab eis iuſte agendum eſt, à patrono, vel domino ſuo ordinandum eſt.

Videtur ἐμφύτευσιν quam vulgus Emphyteoſin vocat, ſignificare.

N O T A.

* Ἄγγαρος, & ἀγγάρεια. *Sunt vocabula Perſica, vt ſcribunt Heſych. & Suid. Alterum ſignificat regis nuncios, & tabellarios, qui ſibi mutuo propter feſtinationem ſuccedunt, cuiuſmodi nunc habentur equi, alterum publicam, & coactam operam, vnde verbum etiam ἀγγαρεύω, quo & Matthaeus eſt vſus. Quibuſdam etiam angaria vſurpatur pro quadrante anni, quod eo tempore debeant ſic homines velut inuitos ad abſtinentiam cogere ſingulariter ex Eccleſiaſtica traditione.*

Si verò de crimine aliquo accuſantur, Epiſcopus primò compellatur, vt ipſe per aduocatum ſuum, ſecundum quod lex eſt, iuxta conditionem ſingularum perſonarum, iuſtitiam faciant.

De clericis adhuc loquitur.

* Sin verò, ſicut in capitulare noſtro ſcriptum eſt, ita fiat, cæteri verò liberi homines, qui vel * commendationem, vel beneficium Eccleſiaſticum habent, ſicut reliqui homines, iuſtitiam faciant.

NOTA.

* Sin*) videtur hic vſurpatum pro, ſi non. ſ. hoc fiat.*

* *Concilia, & canones vocant fere* commendam, *id eſt, cuſtodiam Eccleſiæ, quæ fit ad certum tempus. Vide Cap. nemo deinceps, de Elect. in 6.*

Volumus etiam, & ſtatuimus de plateis vel cloacis curandis vniuscuiuſq; ciuitatis de regno Italiæ pertinentibus, vt ſingulis annis, curentur. Tamen non volumus, quod, exinde pandum aliquis ad partem palatii noſtri perſoluat, ſed præcipimus, quatenus exactores ſingularum ciuitatum ſtudium habeant, ne ante finiatur annus, quam plateæ, & cloacæ emundentur, & hoc vnuſquiſque procurator ciuitatis publicè ex noſtra Imperiali parte admonendo præcipiat, ne prætermiſſum fiat.

De regno) pro. ad regnum.

NOTA.

Prætermiſſum fiat*) pro prætermittatur vſitata in hoc libro figura.*

HÆC SVNT CAPITVLA, QVÆ ALIqui ex miſſis noſtris ad noſtram notitiam detulerunt anno 16. Imperij noſtri.

DE his, qui ſine conſenſu Epiſcopi presbyteros in Eccleſiis conſtituunt, vel de Eccleſiis eiciunt, & ab Epiſcopo, vel à quolibet miſſo dominico admoniti obedire noluerunt, vt bannum noſtrum (*a*) reuadiare cogantur, & per fideiuſſores ad placitum noſtrum venire iubeantur, & tum nos decernamus, vtrum nobis placeat, vt aut illum bannum perſoluant, aut aliam (*b*) harmiscaram ſuſtineant.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) *Hic erat ſcriptum* rci viadiare. *Sed puto idem verbum eſſe, quod ſupra eſt vſurpatum in alio capitulari. C. 14. & à nobis ibi expoſitum. Quamquam hic videtur generalius ſignificare, hoc eſt non addicere, ſed dare, vt pignus tamen, aut quo alicui cauetur. Porro non videtur hæc vox alia eſſe à præcedente* pandum. *Non enim in his locis eſt ſpecies relegationis, ſed multa, vt ſit noſtrũ nomine* pfand/ *quod Saxones, & veteres Franci* pandt/ *dicunt minus duriter, vt alia multa. Item quod in his regionib. eſt in vſu* bandel/) *Bauarica pronunciatione pro pæna læſæ pacis, quam alioqui fredam vocant Franci.* (b) *Porro* harmiſcaram *puto eſſe vnam dictionem, ac ſignificare pænam ita, vt ſit etiam noſtrum* armſcheer/ *hoc eſt brachÿ forceps, aut vinculum, vt olim furca fuit ſeruilis pæna. Saxones adhuc dicunt* ſcar vel ſcer, *vbi nos plane Barbaricum ſibilum, aut Hebraicum afflamus.*

II.

De Eccleſijs, quæ inter hæredes diuiſæ ſunt, conſideratum eſt, quatenus, ſi ſecundum prouidentiam, & admonitionem Epiſcopi ipſi cohæredes eas voluerint tenere, & honorare faciant. Sin autem hoc contradixerint, vt Epiſcopus poteſtatem teneat, vtrum eas ita conſiſtere permittat, aut reliquias exinde auferat, & vbi ad noſtrum beneficium Eccleſiæ pertinentes ita diuiſæ inventæ fuerint, vt deſcribatur, & nobis renuncietur.

Conſideratũ eſt) ordinatum, cõſtitutum eſt noſtra figura, iſt bedacht worden.

NOTA.

Aut) *pro an, vt paulo poſt, & alibi. Eſt. n. differentia inter diſiunctionem, & dubitationem.*

III.

De Eccleſijs deſtructis, & Epiſcopi, & miſſi inquiſitionem faciant, vtrum per negligentiam, aut impoſſibilita-

tem destructæ sint, & vbi negligentia inuenta fuerit, Episcopali authoritate emendare cogantur, qui eam restaurare debuerant; si verò * impossibilitate contigit, aut plures sint quàm necesse sit, aut maioris magnitudinis, quam vt ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopus modum inueniat, qualiter congruè emendari, & consistere possint.

NOTA.

Habetur, vt praecedens, in rub. de Episcopis, & cler. l. 2. ll. Longob.

Impossibilitatem) s. durandi, quod ferè fit propter vetustatē.

IV.

De vno manso ad Ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta sibi seruitium exigunt. Quicunque pro hac causa accusatus fuerit, comes, vel missus hoc, quod deinde subtractum est, presbyteris cum sua lege restituere faciant.

NOTA.

Mansus iugerum significat Italorum vulgo. Nonnulli eruditorum putant factum vocabulum à Man *id est viro. Mihi videtur à Mâs, vel Mês, potius detortum esse, ac ita velut postliminio rediisse in latinam linguam. Sunt n. nostra* hæc à mensura, n. abiecta, vt existimo, *deriuata, quæ deinde, recepta ea litera, mansus pepererunt in hac linguarum iactatione. Idque non paucis alijs accidit.*

V.

De his, qui nonas, aut decimas iam per multos annos, aut ex parte, aut ex toto dare neglexerunt, volumus, vt per missos nostros constringantur, vt secundum * Capitularem priorem soluant vnius anni nonam, & decimam

nam cum sua lege, & insuper bannum nostrum, & hoc eis denuncietur, quod, quicunq; hanc negligentiam iterauerit, beneficium suum, vnde hæc nona, & decima persolui debuit, amissurum se sciat, ita enim continetur in capitulare bonæ memoriæ genitoris nostri in lib. 1.

NOTA.

* Capitularem priorem) *f. librum, aut simile, pro compendio, & velut capitulo, alias in neut. gen. vsurpatur, vt etiam paulo post.*

VI.

Vt, qui Ecclesiarum beneficia habent, nonam, & decimam ex eis Ecclesiæ, cuius res sunt, donet, &, qui tale beneficium habent, & ad medietatem laborant, & de * eorum portione proprio presbytero decimas donent. Item in Capitulare nostro in lib. 2. Cap. 21. de eadem.

NOTA.

* Eorum (*pro sua, &. admedietatem*) vmb den halben theil / *vt fit in societate animalium, quam nonnulli socidam vocant.*

VII.

De nonis, & decimis, vnde genitor noster, & nos frequenter, & in diuersis placitis admonitionem fecimus, & in Capitularia nostra, qualiter hæc obseruentur, ordinauimus, volumus, atq; iubemus, vt de omni conlaborato, & de vino, & feno fideliter, & pleniter ab omnibus nona, & decima persoluatur. De nutrimine vero pro decima, sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus obseruetur. Siquis tamen Episcoporum fuerit, qui argentum pro hac accipere velit, in sua maneat potestate, iuxta quod ei, & illi, qui hoc persoluere debet, conuenerit.

Obseruentur) id est obseruari debeant, sicut vulgus adhuc loquitur.

NOTA.

NOTA.

Per nutrimen, *puto, intelligendum est onus, aut seruitus educandi, & alendi pecudes.*

VIII.

Quicunq; decimam abstrahit de Ecclesia, ad quā per iustitiam dari debet, & eam præsumptione, vel propter munera, aut amicitiam, vel aliam quamlibet occasionem ad alteram Ecclesiam dederit, à comite, vel à misso nostro * distringatur, & eiusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.

* In archetypo est *detringatur.*

IX.

De decimis, * quas populus dare non vult nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est, ne fiat, &, si quis contemptor inuentus fuerit, & nec Episcopum, nec comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad præsentiam venire compellatur. Cæteri vero distringantur, vt inuiti Ecclesiæ restituant, qui voluntarie dare neglexerunt.

* In archetypo est *qua.*

X.

Quicunque de rebus Ecclesiarum, quas in beneficium habent, restaurationes earum facere neglexerint, iuxta capitulare, in quo de operibus, * nonis, & decimis constitutum est, sic de illis adimpleatur. Idem in libro. 4. Cap. 38. de opere, & restauratione Ecclesiarum.

* In archetypo est *actionis*, vbi nos posuimus, *nonis.*

NOTA.

Ex hoc loco, vt alijs nonnullis apparet, quod hæ constitutiones sint tantum ex aliqua parte quædam appendix integrorum librorum.

Consideran-

XI.

Considerandum est, vt de frugibus terræ, & animalium nutrimine persoluantur. De opere vero, vel restauratione Ecclesiarum Comes, & Episcopus siue Abbas vna cum misso nostro, quem ipsi sibi ad hoc elegerint considerationem faciant, vt vnusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum, & restaurandum, quantum ipse de rebus Ecclesiarum habere cognoscitur. Similiter & vuassi nostri in commune tantum operis accipiant, quantum rerum Ecclesiasticarum habent, vel vnusquisque per se iuxta quantitatem, quam ipse tenet, aut, si inter eos conuenerit, vt pro opere faciendo argentum donet, iuxta æstimationem operis in argento persoluant, cum quo pretio rector Ecclesiæ ad prædictam restaurationem operis * & materiam operis conducere valeat, & qui nonas, & decimas dare neglexerit, primum quidem illas cum sua lege restituat, insuper * bannum nostrum soluat, vt ita castigatus caueat, ne sæpius iterando beneficium amittatur.

Persoluantur) repetendum est, qui Ecclesias habent in beneficium.

Inde accipiat ad) i. tantum oneris in reparatione Ecclesiarum sustineat, quantum proportio fructuũ, quos percipit, requirit.

NOTÆ.

* *In archetypo erat,* & materiam en operis conducere. *vbi pro en, syllaba posui* valeat, *vt sensus postulabat, & in legib. Longob. de Decimis, inuenitur additum.*

* *Hic etiam aperte vides* bannum *aliud significare, quam proscriptionem, aut relegationem aliquam.*

XII.

De illo, qui agros dominicos propterea neglexit excolere, vt nonas exinde non persoluat, & alienos (*a*) scintas ad excolendum propter hoc accipit, volumus, vt de tribus annis ipsam nonam cum sua lege persoluat, &, si

In archet est, *dominicatos.*

quis contemptor, aut comitis, aut missorum nostrorum propter hoc extiterit per fideiussores ad placitum venire compellatur.

NOTA.

(a) Scintas *vox est varie deformata in scripto codice rasuris, lineis superimpositis, diuulsione syllabarum, legi tamen sic potest, nisi, quod, n. litera per lineolam, i. vocali impositam est significata, vt etiam,* sanctitas *possit legi. Sed hac vox nihil ad rem facit, Tametsi autem & ista poterat omitti. salua sententia, posui tamen eam, ne in alieno libro nimiũ viderer sapere, ac non video, quid significet nisi forte, quod spoliatorem aut durum exactorem vocant, metaphorice tamen.* Schinder) *enim, aut* Schinter) *Saxonice lanium, seu decoriatorem significat, ac vsurpatur vox non raro, & quidem significanter pro auaro, aut pastore, qui pecus deglubit, non tondet.*

XIII.

Vt de rebus Ecclesiarum, quæ ab eis per 30. annorum spacium sine vlla * interrogatione possessæ sunt, testimonia non recipiantur, sed eo modo contineãtur, sicut res ad fiscum pertinentes contineri solent.

NOTA.

* *Id est interpellatione, aut postulatione, vt fieri debet in præscriptionibus, & vocatur interruptio.*

XIIII.

Capitulare) in ablatiuo pro capitulari) vbiq;.

De beneficijs destructis hoc obseruetur, quod in capitulare priori continetur, id est in libro 4. Cap. 36.

Quicunq; suum beneficium * occasione proprij desertum habuerit, & intra annum postquam ei à comite, vel misso nostro notum factum fuerit, illud emendatum non habuerit, ipsum beneficium amittat.

NOTA.

NOTA.

* Occasione proprij) *Hoc est prætextu proprij, aut vt proprium curet.*

XV.

Vt missi nostri, vbicunq; malos (*a*) scabinos inueniunt, eijciant, & totius populi consensu in locum eorum bonos eligant, &, cum electi fuerint, iurare faciant, vt scientes iniustè iudicare (*b*) non debeant.

NOTÆ.

(a) *Scabinorum nomen videtur à nostro* Schaffer/ *quod Saxones* Schaper/ *dicunt, d tortum esse.*

(b) *In archety. est,* non deant, *sed mendose, vt* non debeant, *autem,* iudicare) *dictum est pro, quod non velint iudicare.*

XVI.

Vt in omni comitatu * inquisitores meliores, & veraces inueniri possint, eligantur à missis nostris ad inquisitiones faciendas, & rei veritatem dicendam, & adiutores comitum sint ad iustitias faciendas.

NOTA.

* *Hic est in lib. scripto,* iniquimeliores, *continuis syllabis, verum inepte, vt res ipsa loquitur. Non autem potui melius hanc mendam corrigere, quam si ponerem pro iniqui*) inquisitores, *idq., & similitudine dictionum, & sequentibus verbis inuitantibus.*

XVII.

Volumus, vt, quicunq; de scabinis deprehensus fuerit propter munera, aut propter amicitiam iniustè iudicasse, per fideiussores missus noster ad præsentiam nostram venire faciat. De cætero omnibus scabinis denuncietur, ne quis deinceps, etiam iustum iudicium vendere præsumat. Hic deest *eum*.

NOTA.

Hæc lex cum præcedentibus duabus habetur in rub. de scabinis. & Cancellarijs l. 2. ll. Longobar. Sed hic aliquando castigatius, quam isthic, & hic adscribuntur Carolo, isthic Lothario Imp.

XVIII.

* i. Alienationes.

Volumus, vt vbicunque * commutationes tam de proprio nostro, quā de genitoris nostri legitimè, & rationabiles, atq; vtiles Ecclesijs Dei factæ sunt, permaneant. Vbicunq; vero inutiles, & incommodæ, atq; irrationabiles factæ sunt, dissoluantur, & recipiat vnusquisque, quod dedit. Vbi verò * mortua manus interiacet, aut alia quælibet causa, quæ irrationabilis esse videatur, inuenta fuerit, diligenter describatur, & ad nostram noticiam perferatur.

NOTÆ.

Habetur in rub. Quando liceat Rect. &c. l. 3. ll. Longob.

* Mortua manus) *mors alicuius ad alienationem pertinentis per Synechdochen, vt dicimus Germanicè,* es ist in die vierdte Hand kommen.

XIX.

Quicunq; comprobatus fuerit de eo, quod scienter testes in periurium induxisset, sub fideiussione ad placitum nostrum venire compellatur, vt vbi cum fidelibus nostris considerem⁹, quid de tali homine faciendum sit.

XX.

De his, qui discordijs, & contentionibus studere solent, & in pace v uere nolunt, volumus, vt sub fideiussoribus ad nostrum placitum veniant, & ibi cum fidelibus nostris consideremus, quid de talibus faciendum sit.

De bonis

XXI.

De bonis denariis, quos populus recipere non vult, volumus, vt hoc obseruetur, & teneatur quod in priori capitulari nostro constitutum est in libr. 4. Cap. 30. L. 3. ll. Longob.

XXII.

Quicunque liber homo vel in emptione, vel in debiti solutione denarium merum, & bene pensantem recipere noluerit, bannum nostrum, id est 60. Solid. componat. * Si vero Ecclesiastici, aut Fiscalini nostri, aut comitum, aut vasallorum nostrorum hoc facere præsumpserint 60. ictus vapulentur, & si actores nostri, aut aliorum, vel aduocati, eos à missis nostris, vel à comitibus iussi præsentare noluerint, prædictum bannum compo. & ad hanc nostram constitutionem adimplendam Episcopi, & Abbates, siue reliqui, qui beneficia nostra habent adiuuent comites in suis hominibus distringendis. Et si comites hanc nostram constitutionem neglexerint, hoc per missos nostros ad nostram notitiam perferatur.

NOTA.

*Hæc lex videtur esse, cuius in præcedente Cap. fit mentio. Sed non puto esse non tantum propter absurditatem connexionis, si remitteret alio, ac deinde rem subiiceret, sed etiam, quia de populo in præcedente, in hac de partibus populi dicit. Habetur, etsi mutilata, l. 3. ll. Longob. tit. De eo, qui bo. de ref. l. Vnica. Porro. §. * Si verò Eccl rectius ita legeretur. Si verò serui Ecclesiastici, aut Fiscalini nostri, aut comitum, aut vasallorum nostrorum serui. Loquitur enim de seruis. Adstipulatur locus iam citatus, nisi quis comites, & vasallos putat eo tempore seruos fuisse regis, quod tamen sequentia non admittunt. Vasallus autem videtur à nostro vase, aut* Vasle */ id est, cognata, esse deflexum, &*

Vu 3 signifi-

significare domesticum, ad missum in interiorem familiaritatem. quod etiam de Basso dici potest.

XXIII.

De homicidiis, vel aliis iniustitiis, quæ à fiscalinis nostris fiunt, quia impune se ea committere posse existimant, nos actoribus nostris præcipiendum esse decernimus, ne vltra impune fiant, ita, vt vbicunque facta fuerint, soluere cum disciplina præcipiemus.

Autorib.) habet manu scriptus codex.

XXIV.

Collectum ad malefaciendum fieri omnimodis prohibeatur, &, vbicunque huiusmodi præsumptiones factę fuerint, digna emendatione corrigantur. Et, si per negligentiam comitis vel factæ sunt, vel inemendatæ remanserunt, hoc ad nostram notitiam perferatur; author verò facti, si fuerit præpositus, vel aduocatus, siue centenarius, vel qualibet alia dignitate * prædita libera persona, post legem emendatam in loco factam sub fideiussoribus ad nostram præsentiam veniat, multitudo verò, siue de liberis, siue de seruis sit, legitima emendatione multetur.

* In archety. est *prædicta.*

XXV.

De pontibus publicis destructis placuit nobis, vt hi, qui iussionem nostram in reparandis pontibus contempserunt, * volumus, ac iubemus, vt omnes homines nostri in nostram veniant præsentiam rationes reddere, cur nostram iussionem ausi sint contemnere. Comites autem reddant rationem de eorum pagensibus, cur eos aut non cōstrinxerunt, vt * hoc facerent, aut nobis nunciare neglexerunt. Similiter & de iniustis toloneis, vbicunque accipiuntur, sciant se exinde nobis rationem reddituros. Vt examen aquæ frigidæ, * quod hactenus fa-

* Epanalepsis, rectius hæc, *Volumus, ac iubemus,* &c.) omitterentur.

* *Non*) post hoc) videtur addendum esse.

nus faciebant à missis nostris interdicatur, ne vlterius fiat.

Nota.

* *Inscripto lib. est,* quæ, *Est autem hic §. appendix, aliunde huc translatus, & consentit contra multas ll. Long. cum iure Canonico. Vide cap. Mennam verò. 2. dist. 5. & c. consuluisti, ead. q. 6.*

XXVI.

Quicunque vicarii, vel alii ministri comitum tributum, * quod inferenda vocatur, maioris precii á populo exigere præsumpsir, quam à missis bonæ memoriæ genitoris nostri constitutum fuit, hoc est duos solidos pro vna vacca, hoc, quod iniustè superposuit, atque abstulit, sibique retinuit, his, quibus hoc abstulit cum sua lege restituat, & insuper * fredum nostrum persoluat, & ministerium amittat.

Notæ.

* *Quid si* inferenda *esset nostrum inferen) Saxonica pronunciatione? Quanquam eadem hæc vox est, φέρω, Græca, fero, latina,* fieren/ *vel* feren *Germanica.*

* Fredum) *pœnam violatoribus pacis propositam, vt supra monui.*

XXVII.

Postquam comes, & Pagenses de qualibet expeditione hostili reuersi fuerint, ex eo die (*a*) super alta nocte sit bannus recissus, quod in lingua Teutisca (*b*) scat legi, id est armorum depositio vocatur.

Notæ.

(a) *Hic est in archetypo*, super xta noctes, *nullo sensu, aut constructione. Ite* resisus) *pro eo, quod ego feci*, rescissus.

(b) *Nota*

(b) *Nota hic*, ſcat legi, *ſcriptum eſſe, cum eadem res ſignificetur, quæ ſignificatur ſupra C. III. De deſertoribus, & in ll. Longob. ibidem citatis, & tamen iſthic legatur* Eris lex, *&* Eriliz. *Ac illa vox, hic vſurpata propius accedit ad expoſitionem additam. Nam* lege, *aut* legi) *poſitio nobis eſt.* Scat) *verò damnum, quod non exiguum armis infertur, Et vtrunque Francorum veterum, aut Saxonum hodierna pronunciatione, quæ haud dubie magnam habent cognationem. Quanquam ſuſpicor aut hanc partem nominis corruptam eſſe, aut illis temporibus eam arma ſignificaſſe.*

XXVIII.

Hoc miſſi noſtri notum faciant comitibus, & populo, quod nos in omni hebdomada vnum diem ad cauſas audiendas ſedere volumus. Comites autem, & miſſi noſtri magnum ſtudium habeant, ne fortè propter eorum negligentias pauperes crucientur, & nos tedium propter eorum clamores patiamur, ſi noſtram * gratiam habere velint. Populo autem dicatur, vt caueat de aliis cauſis ſe ad nos reclamare, niſi, de quibus aut miſſi noſtri, aut comites eis iuſtitiam facere noluerunt.

* Hic eſt in arche. eſt *gramen*) pro *gramm.*

HÆC SVNT CAPITVLA QVÆ pro lege habenda ſunt.

DE Homicidiis in Eccleſiis, vel in atriis eorum commiſſis hoc obſeruetur, & teneatur, ſicut in Capitulari priore conſtitutum, noluerit prædictum bannum LX. Solid. comp.

NOTA.

Hic duæ paginæ cum dimidia vacuæ ſunt, hoc eſt finis primæ leg. huius Tit. & principium ſeptimæ cum interpoſitis integris legibus deſunt, vt etiam numeri oſtendunt. fortaſſe propterea ſunt omiſſa,

omissa, quod supra etiam alicubi haberentur, & ne velut actum ageretur, aut pluribus fieret, quod fieri poterat paucioribus: Alterum contra leges, alterum contra philosophiam.

IX.

De falsa moneta iubemus, vt, quicunque percusserit, aut probatus fuerit, manus ei amputetur, &, qui hoc consenserit, si liber est, 60. Solid. comp.

NOTA.

Extat l. 1. ll. Longob. de eo, qui falsam monetam sub nomine Ludouici Imp. probatus fuerit *) subintelligendum est percussisse.*

X.

Decernimus, vt, quisquis aliter testes habere non potuerit, aut per comitis iussionem, quos in suo testimonio necessarios quosque habuerit, veritatem perlaturi * publico conuentu adducantur, vt per ipsos rei veritas cum iuramento valeat inquiri. Quod si de duabus partibus fuerit inquisitio facta idcirco, quòd nullus eorum possit habere testes, ante, quàm iurent, fiat inquisitio * facta. Quod si omnes ad vnam partem dixerint testimonia, iurent, verum dixisse testimonium, &, si dissenserint, aut quædam pars vni præbuerit testimonium, & alia alteri, tunc interrogetur, si audent per pugnam illorum testimonia approbare, quod si nulla pars alteri cesserit, iurent, & per pugnam probetur illorum testimonium, & si vna pars se subtraxerit, tunc illa, quæ ausa fuerit contendere, recipiatur ad testimonium.

Habetur, sed aliquando corruptior de testib. l. 2. ll. Longob.

* Hic est in archetypo *publico conuentu.*

* *Facta* est otiorum.

Illorum) pro sua.

c. Monomachia 2 q. 5.

XI.

Vt per 30. annos seruus liber fieri non possit, si pater illius seruus, aut mater illius ancilla fuit. Vt nullus * con-

cellarius pro vllo iudicato, aut scripto aliquid amplius * accipere valeat, nisi dimidiam libram argenti de maioribus scriptis.

NOTÆ.

* Concellarius *idem est, quod notarius. Vide rubr. De Scabinis, & Cancell. lib. 2. ll. Long. vbi hæc etiam de Cancell. & notariis extant.* * accipere valeat) *pro accipiat, aut debeat accipere, potentia pro actu per Synecdochen.*

De minoribus autem infra ipsam dimidiam libram, quantum ●s ●xposcit, & iudicibus rectum videatur, accipiat.

De orphanis autem, vel cæteris pauperibus, qui exoluere hoc non possunt in prouidentia comitis fiat, vt nequaquam inde accipiat aliquid.

Notarii autem, hoc iurare debent per singula loca, quòd nullum scriptum falsum faciant, nec inoccultum. Nec scriptum aliquod faciant de vno * comitatu in alium, nisi per licentiam illius comitis, in cuius (a) comitatu stare debet, quod si * aliter fecerit, sit inanis.

* Hic erat comit ato in a'io.
* Hic erat *alter fecerit inanis.*

(a) Si verò necessitas itineris aliquem compulerit, aut infirmitas grauis, secundum capitulare Domini & genitoris nostri faciat. Placuit nobis, vt hæc capitula, quæ (b) excerpsimus de capitulis sanctæ memoriæ aui nostri Caroli, ac domini nostri (c) Hlitouuici Imperatoris ab omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ, seu nostris fidelibus in regno Italiæ consistentibus pro lege teneantur, & conseruentur, & quicunq; huius capitularis contemptor extiterit 60. Solid. compo. sicut in capitulis prædicti domini aui.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) *Hic desunt quædam verba, sine tamen sensus magno incommodo.*

(b) *Hic aperte significatur has constitutiones tantum esse compendium quoddam, aut collectionem earum, quæ præcipua sunt visæ in totis voluminibus Caroli Magni, & eius filij Ludouici Impp. Rom. & regum Franciæ. Videtur autem hoc opus Lotharij potius esse, quam Ludouici fratris eius, cum in diuisione regnorum, antegressa inter eos, Carolum Caluum fratrem ex alia matre, & patruelem Pipinum grauissima pugna, Imperium huic obuenerit.*

(c) *Cæterum, vt hic est scriptum Hlitouici, præposita aspiratione, sic etiam inuenitur in illo vere aureo, & digno perpetua memoria libro, qui Regenspurgi habetur in monasterio S. Emerami, scriptum in his versiculis.*

Hic residet Carolus diuino munere cultus,
Ornat quem pietas, & bonitatis amor.
Hluduuic iustus erat, quo rex non iustior alter,
Qui genuit prolem hanc tribuente Deo.

Suaues hi sunt, etsi non perfecti. Et est hic nomen hoc prorsus ita scriptum, vt Germanicè adhuc efferri solet, excepta aspiratione, vt non minus Galli errent, cum id iam in Ludouicum, iam in Lodoicum transformant, quàm Itali, cum ex Friderico faciunt Fœdericum. Non paruum autem beneficium in me contulit superiore Autumno Abbas eius Cœnobij, cum dedit nobis inspiciendum hunc librum, & altare, quo est usus Imperator in castris, munera non tantum auro, & gemmis preciosa, verumetiam vetustate, & aperta significatione pietatis in

tantis Heroibus admiranda, vir, præter non contemnendam eruditionem, & pius, & vehementer humanus, quantum quidem ex paucis colloquiis, & officiis hospitalitatis animaduertere potui, tantoque mihi venerabilior; quod inter meam patriam, & illud cœnobium, est magna quadam, & vetus consuetudo.

FINIS CONSTITVTIONVM CAROLI MAGNI.



VITA

VITA
S. VVIGBERTI, CONFESSORIS,
FRITZLARIENSIS QVONDAM CÆNOBII IN HASSIA ABBATIS, S. BONIFACII ARCHIEPISCOPI Moguntini & Martyris coætanei & socij, nunquam hactenus excusa.

Auctore

LVPO SERVATO HINCmari Synchrono.

EX MS. COD. BIBLIOTHECÆ MOGVNTINÆ SOCIETATIS IESV.

HVIVS CORPVS

FRITZLARIA *primum* BVRIBVRGVM, *tum iussu* LVLLI *Archiepiscopi Moguntini, annuente* KAROLO *Magno ad Cœnobium Hirsfeldense translatum est.*



ELOGIA AV- CTORIS VITÆ.

SIGEBERTVS DE ILLVSTRIBVS Ecclesiæ scriptoribus cap. 94.

LVPVS *Seruatus librum composuit de tribus quæstionibus id est, de libero arbitrio, de prædestinatione bonorum & malorum, de sanguinis Christi quadam superflua taxatione, vel redemptione usq; ad salutem impiorum. Nam super hac re orta est quædam fidei turbatio anno Domini octingentesimo quadragesimo nono.*

IOAN. TRITHEMIVS DE SCRIptoribus Ecclesiasticis.

LVPVS *Seruatus Presbyter, ad quem Rabanus Abbas Fuldensis octo libros in epistolam Pauli Apostoli ad Romanos scripsisse legitur, vir in diuinis scripturis studiosus & doctus, atq; in sæcularibus litteris iuxta ætatem sui temporis copiose peritus, scripsit nonnulla ingenij sui opuscula, de quibus ad meam notitiam paucissima peruenerunt. Exstat eius volumen*

De tribus quæstionibus. Lib. I.

Et quædam Epistolæ. nec non alia.

Claruit sub. Lothario filio Ludouici, Anno Domini 850.

PRÆFA-



PRÆFATIO
In vitam S. VVigberchti.

REVERENDISSIMIS, ABBATI BVNO, CVNCTISQVE FRATRIBUS eius LVPVS plurimam sospitatem.

Buno Abbas fuit cœnobii Hirsfeldensis anno 831.

CVNCTANTI mihi viribusq; proprijs diffidenti, vt vitam S. VVIGBERCHTI stilo coner prosequi, vestra, Dilecti Patres, extorsit instantia. Et æquum fuerat, vt in obstinatissima negatione persisterem, quando ad id, quod me imparem tantæ materiæ tenuitas deficit ingenij, accessit, vt hoc opus à vobis eo potissimum tempore, quo essem occupatissimus, peteretur, ni me charitas remotis grauissimis necessitatibus meis, vt vestræ voluntati morem gererem, compulisset: siquidem huic qui pareat, suis neglectis, interdum fraternis prospicit commodis. Igitur succubui vestro imperio. Cæterum diuinæ erit clementiæ, & intercessionis Beati viri, cuius gesta ex aliqua parte contingere statui, vt digna memoria digno sermone scribantur, &, quæ clarissima sunt qualitate, suis sensibus incultis deformata non horreant. Nec verò cuiquam hæc ideò iudicentur infirma, quod octingentesimo trigesimo sexto anno Dominicæ Incarnationis, Indictione autem quartadecima præsens Opusculum cudens

Auctor hæc scripsit anno Christi 836.

dens ante nonaginta annos acta repetere videar, cum profectò, si vel leuiter est eruditus, non ignoret Salustium Crispum, Titumq; Liuium non pauca, quæ illorum ætatem longè præcesserant, partim auditu, partim lectione comperta narrasse. Et, vt ad nostros veniam, HIERONYMVM Pauli sui vitam, quæ certè remotissima fuerat, litteris illustrasse, & antistitem AMBROSIVM virginis Agnes Passionem, cui profecto contemporalis non fuerat, editam reliquisse. Neq; noua hæc est, & quæ sola deprecationis egeat, maiorum negligentia, scilicet tanti viri facta non esse mandata memoriæ, cum non ab his modo, qui haud longè ante nos vixerunt, verũ ab eis etiam, qui quàm longissimè præcesserũt, grauissima quædam subpressa cognoscamus. Proinde cur mihi fides derogetur, non video; cum, si culpa fuit hactenus virtutes huius eximij viri litterali non comprehensas officio, hac profectò me exuo, nihilq;, præterquam firmissimè vobis comperta, mihiq; quodammodo assignata, legere volentibus præbeo. Id autem à periti beneuolentia Lectoris obtinuerim, vt sicubi latini sermonis lenitas hominum locorumúe nominibus Germanicæ linguæ vernaculis asperatur, modicè ferat, ac meminerit, non carmen me scribere, vbi Poetica licentia nonnunquam nomina mutilantur, atq; ad sonoritatem Romani dirigantur eloquij, vel penitus immutantur, sed historiam, quæ se obscurari colorum obliquitatibus renuit. Verum iam propositum ordiamur.

EXPLICIT PROLOGVS.

HISTORIA VITÆ S. VVIGBERCHTI ABBATIS CÆNOBII FRITESLARIENSIS.

CAPITVLVM I.

Qualiter Saxones facti sint incolæ Britanniæ insulæ.

INDIGENAS Britanniæ, qui Angli Saxones appellantur, ab eis, qui Germaniæ Septẽtrionalem tractum incolunt, Saxonibus originem ducere, documentis approbatur. Namque Britanorum quondam Rex VVRTIGERNVS frequenti bellorum incendio, suis pænè copijs interceptis, à Germania consensu popularium suorum contrahenda curauit auxilia, accersitiq; ab eo Saxonum exercitus, traiecto mari, quod Galliæ, Britaniæq; prætenditur littoribus, consistendi loco in Orientali parte Insulæ à præfato Rege accepto, prælium mox cum aduersarijs conseruerunt, & eos fuga impunè fuderunt. Quod vbi suis, ac simul vbertatem insulæ nunciarunt, validior manus armatorum illuc denuò missa est, ac sedes à Britannis ea conditione sortiti sunt, vt illi quidem tuendæ patriæ sollertius inuigilarent: indigenæ autem stipendia militantibus penderent. Hac occasione magnam partem Insulæ Saxonum vis breui spatio temporis propriæ ditioni subegit.

(b) *Nota hic*, scat legi, *scriptum esse, cum eadem res significetur, quæ significatur supra C. III. De desertoribus, & in ll. Longob. ibidem citatis, & tamen isthic legatur* Eris lex, *&* Eriliz. *Ac illa vox, hic vsurpata propius accedit ad expositionem additam. Nam* lege, *aut* legi) *positio nobis est.* Scat) *verò damnum, quod non exiguum armis infertur, Et vtrunque Francorum veterum, aut Saxonum hodierna pronunciatione, quæ haud dubie magnam habent cognationem. Quanquam suspicor aut hanc partem nominis corruptam esse, aut illis temporibus eam arma significasse.*

XXVIII.

Hoc missi nostri notum faciant comitibus, & populo, quod nos in omni hebdomada vnum diem ad causas audiendas sedere volumus. Comites autem, & missi nostri magnum studium habeant, ne fortè propter eorum negligentias pauperes crucientur, & nos tedium propter eorum clamores patiamur, si nostram * gratiam habere velint. Populo autem dicatur, vt caueat de aliis causis se ad nos reclamare, nisi, de quibus aut missi nostri, aut comites eis iustitiam facere noluerunt.

* Hic est in archet. est *gramen*) pro *gramm.*

HÆC SVNT CAPITVLA QVÆ pro lege habenda sunt.

DE Homicidiis in Ecclesiis, vel in atriis eorum commissis hoc obseruetur, & teneatur, sicut in Capitulari priore constitutum, noluerit prædictum bannum LX. Solid. comp.

NOTA.

Hic duæ paginæ cum dimidia vacuæ sunt, hoc est finis primæ leg. huius Tit. & principium septimæ cum interpositis integris legibus desunt, vt etiam numeri ostendunt. fortasse propterea sunt omissæ,

omissa, quod supra etiam alicubi haberentur, & ne velut actum ageretur, aut pluribus fieret, quod fieri poterat paucioribus: Alterum contra leges, alterum contra philosophiam.

IX.

De falsa moneta iubemus, vt, quicunque percusserit, aut probatus fuerit, manus ei amputetur, &, qui hoc consenserit, si liber est, 60. Solid. comp.

NOTA.

Extat l. 1. ll. Longob. de eo, qui falsam monetam sub nomine Ludouici Imp. probatus fuerit *) subintelligendum est percussisse.*

X.

Decernimus, vt, quisquis aliter testes habere non potuerit, aut per comitis iussionem, quos in suo testimonio necessarios quosque habuerit, veritatem perlaturi * publico conuentu adducantur, vt per ipsos rei veritas cum iuramento valeat inquiri. Quod si de duabus partibus fuerit inquisitio facta idcirco, quòd nullus eorum possit habere testes, ante, quàm iurent, fiat inquisitio * facta. Quod si omnes ad vnam partem dixerint testimonia, iurent, verum dixisse testimonium, &, si dissenserint, aut quædam pars vni præbuerit testimonium, & alia alteri, tunc interrogetur, si audent per pugnam illorum testimonia approbare, quod si nulla pars alteri cesserit, iurent, & per pugnam probetur illorum testimonium, & si vna pars se subtraxerit, tunc illa, quæ ausa fuerit contendere, recipiatur ad testimonium.

Habetur, sed aliquando corruptior de testib. l. 1. ll. Longob.

* Hic est in archetypo *pu'li conuentu.*

* *Facta* est otio.um.

Illorum) pro sua.

c. Monomac. ia. 2 q. 5.

XI.

Vt per 30. annos seruus liber fieri non possit, si pater illius seruus, aut mater illius ancilla fuit. Vt nullus * con-

cellarius pro vllo iudicato, aut scripto aliquid amplius * accipere valeat, nisi dimidiam libram argenti de maioribus scriptis.

NOTÆ.

* Concellarius *idem est, quod notarius. Vide rubr. De Scabinis, & Cancell. lib. 2. ll. Long. vbi hæc etiam de Cancell. & notariis extant.* * accipere valeat) *pro accipiat, aut debeat accipere, potentia pro actu per Synecdochen.*

De minoribus autem infra ipsam dimidiam libram, quantum res exposcit, & iudicibus rectum videatur, accipiat.

De orphanis autem, vel cæteris pauperibus, qui exoluere hoc non possunt in prouidentia comitis fiat, vt nequaquam inde accipiat aliquid.

Notarii autem, hoc iurare debent per singula loca, quòd nullum scriptum falsum faciant, nec inoccultum. Nec scriptum aliquod faciant de vno * comitatu in alium, nisi per licentiam illius comitis, in cuius (a) comitatu stare debet, quod si * aliter fecerit, sit inanis.

* Hic erat *comitato in a'io.*
* Hic erat *alter fecerit inanis.*

(a) Si verò necessitas itineris aliquem compulerit, aut infirmitas grauis, secundum capitulare Domini & genitoris nostri faciat. Placuit nobis, vt hæc capitula, quę (b) excerpsimus de capitulis sanctæ memoriæ aui nostri Caroli, ac domini nostri (c) Hlitouuici Imperatoris ab omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ, seu nostris fidelibus in regno Italiæ consistentibus pro lege teneantur, & conseruentur, & quicunq; huius capitularis contemptor extiterit 60. Solid. compo. sicut in capitulis prædicti domini aui.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) *Hic desunt quædam verba, sine tamen sensus magno incommodo.*

(b) *Hic aperte significatur has constitutiones tantum esse compendium quoddam, aut collectionem earum, quæ præcipuæ sunt visæ in totis voluminibus Caroli Magni, & eius filij Ludouici Impp. Rom. & regum Franciæ. Videtur autem hoc opus Lotharij potius esse, quam Ludouici fratris eius, cum in diuisione regnorum, antegressa inter eos, Carolum Caluum fratrem ex alia matre, & patruelem Pipinum grauissima pugna, Imperium huic obuenerit.*

(c) *Cæterum, vt hic est scriptum Hlitouici, præposita aspiratione, sic etiam inuenitur in illo vere aureo, & digno perpetua memoria libro, qui Regenspurgi habetur in monasterio S. Emerami, scriptum in his versiculis.*

Hic residet Carolus diuino munere cultus,
Ornat quem pietas, & bonitatis amor.
Hluduuic iustus erat, quo rex non iustior alter,
Qui genuit prolem hanc tribuente Deo.

Suaues hi sunt, etsi non perfecti. Et est hic nomen hoc prorsus ita scriptum, vt Germanicè adhuc efferri solet, excepta aspiratione, vt non minus Galli errent, cum id iam in Ludouicum, iam in Lodoicum transformant, quàm Itali, cum ex Friderícho faciunt Fœdericum. Non paruum autem beneficium in me contulit superiore Autumno Abbas eius Cœnobij, cum dedit nobis inspiciendum hunc librum, & altare, quo est vsus Imperator in castris, munera non tantum auro, & gemmis preciosa, verumetiam vetustate, & aperta significatione pietatis in

tantis Heroibus admiranda, vir, præter non contemnendam eruditionem, & pius, & vehementer humanus, quantum quidem ex paucis colloquiis, & officiis hoſpitalitatis animaduertere potui, tantoque mihi venerabilior, quod inter meam patriam, & illud cœnobium, eſt magna quadam, & vetus conſuetudo.

FINIS CONSTITVTIONVM CAROLI MAGNI.



VITA

VITA
S. VVIGBERTI,
CONFESSORIS,
FRITZLARIENSIS
QVONDAM CÆNOBII IN HASSIA ABBATIS, S. BONIFACII ARCHIEPISCOpi Moguntini & Martyris coætanei & socij, nunquam hactenus excusa.

Auctore

LVPO SERVATO HINCmari Synchrono.

EX MS. COD. BIBLIOTHECÆ MOGVNTINÆ SOCIETATIS IESV.

HVIVS CORPVS

FRITZLARIA *primum* BVRIBVRGVM, *tum iussu* LVLLI *Archiepiscopi Moguntini, annuente* KAROLO *Magno ad Cænobium Hirsfeldense translatum est.*



ELOGIA AVCTORIS VITÆ.

SIGEBERTVS DE ILLVSTRIBVS Ecclesiæ scriptoribus cap. 94.

LVPVS *Seruatus librum composuit de tribus quæstionibus id est, de libero arbitrio, de prædestinatione bonorum & malorum, de sanguinis Christi quadam superflua taxatione, vel redemptione usq; ad salutem impiorum. Nam super hac re orta est quædam fidei turbatio anno Domini octingentesimo quadragesimo nono.*

IOAN. TRITHEMIVS DE SCRIptoribus Ecclesiasticis.

LVPVS *Seruatus Presbyter, ad quem Rabanus Abbas Fuldensis octo libros in epistolam Pauli Apostoli ad Romanos scripsisse legitur, vir in diuinis scripturis studiosus & doctus, atq; in sæcularibus litteris iuxta ætatem sui temporis copiose peritus, scripsit nonnulla ingenij sui opuscula, de quibus ad meam notitiam paucissima peruenerunt. Exstat eius volumen*

De tribus quæstionibus. Lib. I.
Et quædam Epistolæ. nec non alia.
Claruit sub. Lothario filio Ludouici, Anno Domini 850.

PRÆFA-



PRÆFATIO

In vitam S. VVigberchti.

REVERENDISSIMIS, ABBATI BVNO, CVNCTISQVE FRATRIBUS eius LVPVS plurimam ſoſpitatem.

Buno Abbas fuit cœnobii Hirsfeldenſis anno 831.



VNCTANTI mihi viribuſq; proprijs diffidenti, vt vitam S. VVIGBERCHTI ſtilo coner proſequi, veſtra, Dilecti Patres, extorſit inſtantia. Et æquum fuerat, vt in obſtinatiſſima negatione perſiſterem, quando ad id, quod me imparem tantæ materiæ tenuitas deficit ingenij, acceſſit, vt hoc opus à vobis eo potiſſimum tempore, quo eſſem occupatiſſimus, peteretur, ni me charitas remotis grauiſſimis neceſſitatibus meis, vt veſtræ voluntati morem gererem, compuliſſet: ſiquidem huic qui pareat, ſuis neglectis, interdum fraternis proſpicit commodis. Igitur ſuccubui veſtro imperio. Cæterum diuinæ erit clementiæ, & interceſſionis Beati viri, cuius geſta ex aliqua parte contingere ſtatui, vt digna memoria digno ſermone ſcribantur, &, quæ clariſſima ſunt qualitate, ſuis ſenſibus incultis deformata non horreant. Nec verò cuiquam hæc ideò iudicentur infirma, quod octingenteſimo trigeſimo ſexto anno Dominicæ Incarnationis, Indictione autem quartadecima præſens Opuſculum cudens.

Auctor hæc ſcripſit anno Chriſti 836.

HISTORIA

VITÆ S. VVIGBERCHTI ABBATIS CÆNOBII FRITESLARIENSIS.

CAPITVLVM I.

Qualiter Saxones facti sint incolæ Britanniæ insulæ.

INDIGENAS Britanniæ, qui Angli Saxones appellantur, ab eis, qui Germaniæ Septẽtrionalem tractum incolunt, Saxonibus originem ducere, documentis approbatur. Namque Britanorum quondam Rex VVRTIGERNVS frequenti bellorum incendio, suis pænè copijs interceptis, à Germania consensu popularium suorum contrahenda curauit auxilia, accersitiq; ab eo Saxonum exercitus, traiecto mari, quod Galliæ, Britaniæq; prætenditur littoribus, consistendi loco in Orientali parte Insulæ à præfato Rege accepto, prælium mox cum aduersarijs conseruerunt, & eos fuga impunè fuderunt. Quod vbi suis, ac simul vbertatem insulæ nunciarunt, validior manus armatorum illuc denuò missa est, ac sedes à Britannis ea conditione sortiti sunt, vt illi quidem tuendæ patriæ sollertius inuigilarent: indigenæ autem stipendia militantibus penderent. Hac occasione magnam partem Insulæ Saxonum vis breui spatio temporis propriæ ditioni subegit.

CAPIT. II.

De ortu S. WIGBERCHTI, *& quod ob studium virtutum amatus fuerit ab omnibus in partibus illis.*

Fuit genere nobilis, & Anglo-saxo.

AB horum posteris, postquam se Christianæ religioni submiserant, B. WIGBERCHTVS, ab Anglis Saxonibus claram trahens originem, natalium sæcularem nobilitatem merito virtutum longè transcendit. Ab annis etenim puerilibus adeò probitate morum enituit, vti iam tum palam emineret, fore, vt tanta indoles magnum quiddam, supraq; communem prorsus mensuram diuinitus, vt contigit, sortiretur, atq; studiosè sacris litteris institutus ardentissimum amorem, nec minorem sanè venerationem longè lateq; grauitate sibi peperit singulari.

CAPIT. III.

De fama & honore illius. & breuis commemoratio sanctitatis & martyrij S. BONIFACII.

S. Bonifacii Archiepisc. Mogũt. laudes.

DVMQ. felix illius vbertim spargeretur opinio ad clarissimi viri BONIFACII aures vsque nutu diuino peruenit. Hic Bonifacius tantæ sanctitatis extitit, vt eum consensus omnium, non in Germania modo, vbi in agro Dominico, incertũ studiosius an felicius, laborauit: verum etiem in Gallia, & in alijs partib⁹ orbis, maiorum per omnia gloriæ coæquandũ, & constantissimè credat, & liberrimè fateatur. Fuit enim fidei Christianæ cũ propugnator acerrimus, tum propagator vigilantissim⁹, nesciens aucupari fauorem Principum fœdissimis adulationibus, nec honorem, seu rigorem Ecclesiasticum mortiferis compendijs, ac malè dulcoratis refrigerijs eneruare. Ita, postquam se totum DEO deuouerat, desudantem,

tem, nouamq; gentem Fresonum Ecclesiæ gremio consciscentem, inuictissimum CHRISTI militem gladio violare non verita rabies barbarorum, martyrij coronam fecit referri de prælio. SED, vt à quo paululum deflexit, ad propositum reuertatur oratio. **Fit Martyr in Frisia.**

CAPIT. IV.

Quod ab eodem BONIFACIO *in auxilium prædicationis sit vocatus.*

IDEM Bonifacius, cum induxisset in animum incredulis aperire viam salutis, quiq; aberrassent, in eam, cooperante DEO, reducere, non multo post quàm in Germaniam venerat B. Wigberchtum, futurum in prædicatione solatio, diligenti arcessendum curauit industria. Atque ille S. BONIFACIO, immò DEO parens vocanti, quo tempore Dux Francorum CAROLVS rerum potiebatur, inijt consortium sancti propositi. Quem B. BONIFACIVS, vt par fuit, & excepit gratissimè, & Germana sibi charitate fæderatum summa veneratione suspexit, quippe, quod, vt natu maior, ille studijs flagrasset ante diuinis. **Carolus Martellus.** **S. VVigbertus senior S. Bonifacio.**

CAPIT. V.

Quod monachis in Frideslar Abbas sit constitutus.

NEQVE multo post ad amplissimum Pontificalis gradum dignitatis Moguntiaci diuina gratia prouectus Wigberchtum sacerdotem secundi ordinis cænobio suo, cui nomen est gentili Germanorum lingua *Friteslar* Magistrum præfecit, vti monasticæ illic religionis normam, statumq; componeret. Ibi cum Megingo suo, qui posteà culmen Episcopale subijt, diu conuersatus est, **S. VVigbertus Abbas Fritzlariæ.**

tus est, & laxam antehac ac fluidam fratrum conuersationem ad normam suæ vitæ coercuit. Qui procul dubio sanctarum Scripturarum regebatur auctoritate.

CAPIT. VI.

Quod ad Ordorff iussu S. Bonifacij transierit.

CVMQVE sacræ professionis illic studium longo imbibissent vsu discipuli, curamque Magisterij quamplures æmulando Magistrum concepissent: haudquaquam passus B. BONIFACIVS tanti viri lumen vnius loci tenebras præuia CHRISTI gratia dispulisse, monitu paterno ad alterum compulit migrare monasterium, quod *Ortdorff* nominatur. Atque ibi successu simili desudans, quæ perperam gerebantur, correxit, ac ipse absque diuerticulo carpens arctam viam, quæ infatigabiles quosque ducit ad vitam, cateruam post se fratrum
Actor. 1. prospere traxit. Instructus enim Saluatoris exemplo docenda prius implebat, quaque gradiendum moneret, præcedere consueuerat.

CAPIT. VII.

Quod iterum ad Fridaslar reuersus arctiori se vitæ dederit.

ITAQ. non frustra illic tritis aliquot annis, cum præter id, quod senio grauabatur, ancipiti morbo subinde laboraret, nihil citra S. BONIFACII gerere volens auctoritaté, enixissimis ab eo precib⁹, intima tamé humilitate conditis, obtinuit, vt ad prius reuertens cænobiũ, in eo, quod

quod superesset vitæ iam quasi feriatus exigeret. Vbi gratulantium fratrum receptus frequentia, veluti repuerascens, atque iuuenescens rudimenta denuò sanctitatis, & arctissimi certamina propositi diligenter aggressus, non emeritam ætatem, non tot superatos labores metiri consensit: verum, oblitus præteritorum secundum Apostolum, gaudiis intendit æternæ beatitudinis, quorum adipiscendæ dignitati nihil par in hac vita valet expendi. Et quamuis corpus illius morbo, sicut diximus, vrgeretur, non patiebatur animus huic lautioris indulgentia cibi abstinentiæ fræna relaxare. Non quod, si qui remissius consulant sibi, dum infirmantur, hos arbitraretur culpandos, sed quod sponte à licitis temperando ad promerendum DEVM non parum quemlibet progredi suo Vas electionis confirmauit exemplo. Sicque obseruandissimus charitatis fratrum se contemperabat Societati, vt verbis tamen inanibus obstinatissimè abstineret, ac sacræ legis meditationem nunquam mente deponeret.

Philip. 3.

Abstinentia eius à cibis.

Et à vaniloquio.

CAPIT. VIII.

Quod postulatus, non præstolando comites, visitarit ægrotos.

HÆC verò semper B. WIGBERCHTO illi sollemnis fuerat consuetudo, vt cum à fideli aliquo rogatus confessionem auditum pergeret, nec vitare congressus commeantium posset, non temerè cum aliquo sermonem consereret, salutationibusue vacaret, (quæ profectò, vt eleganter quidam sentit, nonnunquam ex occasione itineris, non studio funduntur obtinendæ cuiusquam salutis,) sed hinc speciale præceptum Domini retinens seria salutis monita largiturus morari festinaret

Aegrorum confessiones excipit.

impatiens. Ac sicubi conuentum hominum offenderat, qui salutaribus indigeret consiliis, continuò posthabitis temporalibus, quæ ad animæ perpetuam salutem conducerent, ad medium deducebat, & variis alliciens legis diuinæ sensibus auditores, vt scientissimus omninò medicus, animæ passionibus medebatur occultis.

CAPIT. IX.

De vite miræ magnitudinis ab eo ex vua plantata.

ILLVD etiam haudquaquam prætererim silentio, vnde constantissima fama fidelium, nec accita se suggerit. Namque dum quondam rem diuinam de more faceret, incertum quo casu vinum, sine quo sanguis Domini non conficitur, defuit. Hic ille festinus Ecclesiam egressus, & forte pendentem in vite botrum conspicatus vellit: atque in calicem continuò liquorem manibus puris expressit. Quibus demum explicitis vnum repperit granum attritu illæsum, quod mox ante Ecclesiam panxit, & e uestigio ad conceptum officium peragendum concessit. Eo finito, quidam sollicitior frater, qui, quod paulò ante gesserat, obseruasset, ex eo humiliter facti rationem quæsiuit. Tunc ille se deprehensum animaduertens. Si, inquit, opera mea Domino curæ sunt, intra nouem annorum curriculum hic nimirum declarare dignabitur. Nec fidem huiusmodi, qui credebatur euentus, non est consecutus: siquidem tot ex eo grano vitium propagines emerserunt, vt breui occupato immodico terræ spacio, nixæq; adminiculis suo lapsu sedentibus gratissimæ porticus tecta præberent.

Vaticinatur de futuris.

CAPIT. X.

Quali fine mundum reliquerit.

Obiit anno Christi 747. teste Lāb. Schafnab.

PERSEVERAVIT autem B. WIGBERCHTVS in præfato mo-

to monasterio diuinis ministrans præceptis, obliquosq; semper auersatus mores, quoad illum diuina vocatio vinculis carnalibus liberaret, sic grauiori præcedente languore ad præsentis vitæ metas perueniens diem obiit, consorsq; Sanctorum effectus est.

CAPIT. XI.

Quod auis pulcherrima super corpusculum eius apparuit.

VERVM hora exitus illius admirationis plena res obtigit. Circumstãtibus fratribus visa est auis quædam, specie pulcherrima, supra eius corpusculum ter aduolasse, nusquamq; posthac comparuisse. Quam fecisse indicium vitæ illius mundissimæ cunctis haud dubiè cõstitit.

CAPIT. XII.

De multiplicibus signis ad tumulum illius patratis.

EST autem situm corpus illius ante Ecclesiam In conditorio nullius ambitionis, ibique per aliquot annos quieuit. vbi, vix fuerit credibile, quot quantisque hunc virum diuina pietas illustrauerit signis. Quæ licet incuria litteris allegata non teneantur, passim tamen vulgata necdum obsoleuêre. Atque ideò breuitati studens horum quædam narrabo: meaque planè sic fert opinio, longè digniora miracula semper esse, quæ DEVS ad memoriam Sanctorum egẽtibus indulgere dignatur, quàm quæ illum per eos, quanquam syncerè viuẽtes, adhuc tamen grauatos mole corporis frequenter gessisse veraces nobis litteræ produnt. Adhuc tentari poterant, ac quantulumcumq; reformidare lapsum. De his totius iã casus expertibus hoc felicius, quo solidius asseruntur. In illis fauores nõ sine discrimine tolerantur humani. In his, cũ edun-

Miracula Sanctorum defunctorũ esse digniora, quàm viuentium.

eduntur, titulus eorum sanctitatis ne suspicione quidem vanæ gloriæ obscurari potest.

CAPIT. XIII.

Quod metu Saxonum Hassones corpus eius effoderint.

VERUM, vt quod polliciti sumus, iam exequamur; effera Saxonum gens proprium transgressa limitem in finitimorum se agros effuderat, & indigenas non satis fidentes propriis viribus in oppidum, cui *Buriburch* nomen est, formidine sui compulerat. Qui conclusi, iudicantes adhuc infirmum tenui murorum interstitio salutem tueri, ossa beati viri ad sui munimentum in opidum transferenda curarunt: præsertim, quod vererentur, ne Saxonum insania violandi sepulchri sumeret copiam; nec tamen ea translatio facilè volentibus constitit.

CAPIT. XIV.

De difficultate translationis eiusdem.

NAMQVE comitante immani multitudine, cum in vallem non adeò depressam ventum esset, quæ exaduersum est opido, ibique sacros cineres, paululum quieturi deposuissent, ac mox, quo cæperant, contendere præpararent, mirabile dictu grauatæ sunt, quas hactenus detulerant, reliquiæ, nec eas fuit loco moueri facultas. Hinc consternati, satiusque sibi ducentes extrema illic experiri, quàm in ancipiti patronum relinquere: tandem instantissimis precibus, Domini sententiam flectentes, obtinuerunt, ac feretro summa releuato facilitate, voto potiti sunt.

Immobiles reliquiæ.

Precibus impetrant vt moueantur.

CAPIT.

CAPIT. XV.

De candela in fluuium demersa.

FVIT hoc etiam insigne miraculum, quod, dum flumen Adranam traijcerent, amplissimam reuerentiam crucibus ac vexillis, nec non cereis, ac laudibus congruis beati viri reliquijs exhibentes matronæ cuidam rei nouitate attonitæ candela è manibus excidit, ac penitus in fluuium mersa est. Certatim verò pluribus annitentibus recepta, quod secundum contrariam elementorum naturam fidem videatur excidere, haud obscurius, ac prius flammarum reperta est globum effundere. Verum enimuero, nos, qui iuxta naturam fieri, quicquid DEI fiat voluntate, indubitanter confitemur, sic non cessisse ignem aquæ videmus credibile, quemadmodum igni in illis tribus pueris humana non cessit natura. Dan. 3.

CAPIT. XVI.

De eruptione oppidanorum, & strage hostium.

PERLATIS autem in opidum beati viri pretiosis reliquijs infesto Saxones agmine subsecuti cæperunt opidanos lacessere, eosq; summa vi munitione detrudere. At illi facta eruptione S. WICHBERCHTI suffragantibus meritis prosperrimè congressi sunt, ac superiores inuenti plærosquè aduersariorum armis fuderunt, profligaueruntque, multos plagis tardantes debilitarunt, omnes postremo salutem sibi coegerunt fugæ præsidio quærere. Meritis S. Vigberti hostis vincitur.

CAPIT. XVII.

Quod cælestis visionis maiestate Saxones perterriti fugiendo vitæ consuluerint.

QVA repulsa Saxones irritatiores facti, & ignomini-

am fugæ repetito certamine sarcire cupientes, ac victos prius victores ad vnum delere: ipsa nocte, cui tam crudelis negotij dies elucere sperabatur, incredibili repente perculsi formidine, fusa cælitus clarissima luce ambiri conspicantur Ecclesiam, cuius memoria iam supra facta est, & per illius culmen insignem quendam lineamentis quidem humani corporis circumscriptum, at valentiam dignitatemq; mortalium longè præstantem, albis etiam vestibus amictum, hac & illac deambulare. Diuino itaq; nutu, & huius visionis exterriti maiestate, relictis impedimentis, & omnibus alijs necessarijs, vitæ tantum consulere festinantes, ad fugam se denuò contulêre.

Ad annū 774. similia de Ecclesia Fritzlar. narrat Regino Lamp. et & Marianus Scotus.

CAPIT. XVIII.

De diuisione prædæ.

MANE igitur opidum egressi, qui clausi hostium impetum morabantur, obiectu murorum, vt eos abijsse, immo velut nudos cunctis vulgò dimissis effugisse compererunt, diuinæ munificentiæ gratulantes aduersariorum spolia viritim partiti sunt, inopinumque gaudium reuexerunt.

CAPIT. XIX.

De homine paralysi perenni mulctato.

NEQ. ita multò post, cum ijdem Saxones reuertissent, instauraturi malè, toties experta certamina, vnus eorum capit ignem, fomenta subijcit, Ecclesiam conflagrare iam dictam molitur. Sed casso infectoq; nisu, diuina virtute per intercessionem S. WIGBERCHTI repulsus conatibus verè sacrilegis digna retulit præmia, paralysi, scilicet, perenni mulctatus.

Saxones repetunt pugnam.

Mar. Scotus loco cit.

Capit.

CAPIT. XX.

De raptore sensu & visu priuato.

EANDEM etiam domum quidam ex illis expoliare conatus, defracta *ianua* irrupit, crucisq; argenteam laminam affabrè inauratam rapuit, prophanisq; manibus nequaquam efferre cunctatus est. At confestim diuina vltio insecuta ita hunc reddidit impotem sui, vt brutum magis animal, quàm hominem duceres. Sic cum lamina circa Ecclesiam repertus oberrans, quod sciens malè sublegerat, iustè nesciens reddidit. Sanctorum quoque reliquiæ, quas ijdem asportauerant, in villa *Gesmari*, quæ non longè abest, repertæ sunt integræ.

Crucis aurea lamina tolli nequit.

Nec sanctorũ reliquiæ.

CAPIT. XXI.

De ineffectiua potentia ignis.

NEc illud transierim, quod sæpe dicti Saxones adhibito igni, & multiplici fomite, amica sanè igni materia frequenter inculcatam domum illius Ecclesiæ comburere conati sunt: sed interuentu B. WICHBERCHTI delusa est illorum insania. Siquidem tantum abfuit effectus ab eorum molitione, vt præter in subiecta fomenta nil ignis ille valuerit, quem furens manus adhibuerat barbarorum. Videres lignorum simplicem materiam, nec prorsus alumine oblitam velut amoliri à se ignis potentiam, & cui prius esset obnoxia Dei voluntate vim resistendi inditam sibi ostentare mirantibus.

Saxones sæpius conati incendere domum Ecclesiæ.

CAPIT. XXII.

Quod Ecclesia ipsa nullis squaloribus maculari valuerit.

SAXONVM post discessum pars haud exigua Hassonum, (Hassones quippe dicuntur, qui incolunt ipsũ

Hassones qui sint.

pagum) mundatum Ecclesiam conuenere, sordere illam quàm grauissimè ferentes, propterea quod Saxones equorum in ea præsepia fecerant; nihilq; religioni detulerant. Verum introgressi nihil penitus, quod esset verrendum, inueniunt. Ita sordium squalorem diuina virtus deterserat, nulla vsquam vestigia immunditiæ totius resederant.

Capit. XXIII.

De signis in oppido multimodis.

Hinc liquet Fritzlariæ quædam iam narrata accidisse.

HÆc obtigerunt circa Ecclesiam, ante quam monumentum illius diu mansisse monstrauimus. Cæterum, postquam in opidum ossa illius transposita sunt, vt vnguentum pretiosissimum, quando est agitatum gratissimos latè spargit odores, ita viri huius motæ reliquiæ vbertim miraculorum spirauere fragrantiam. Aperuit nimirum verus arbiter & intimus, labefacta iam humana conditione, membrorum compage, cui quondam hæc regens B. Wichberchti paruerit spiritus, dignatus eum frequenter intra biduum, triduumúe collatione nouem signorum. Ibi surdi olim auditu donati sunt, cæci lucis commercia consecuti, certam dæmoniaci medelam, manci exoptabilem manuum nacti sunt vsum, paralytici membrorum regimen dissuetum.

Miracula nouem aliquando intra biduū facta.

Capit. XXIV.

Quod ex cælesti admonitione corpus eius ad monasterium Herolfesfelt sit perductum.

AT interiectis aliquot annis Albvino Præsuli Fritislarensis eiusdem opidi per quietem aliquis obseruatus, qui se diuinitus missum diceret ad monasterium, cui est vocabulum *Herolfesfeldt*, quo & ossa beati viri trans-

Monast. Hirsfeldense

transferri præcepit. Id memoratus Episcopus LVLLO Moguntiacensis Ecclesiæ Pontifici reuelauit, isque rem ad magnum CAROLVM detulit, ac eius assensum protinus impetrauit. Ita LVLLO iubente suffraganeus eius Albuinus tribus monachis præfati cænobij * Ernusto scilicet, Baturicho & Wolffo noctu sacros B. WIGHBERCHTI cineres tradidit clam perferendos ad monasterium: Siquidem id facere interdiu veritus est, ne tanti viri populus amore deuinctus fratres memoratos cæca seditione conuexaret, vel quibuslibet iniurijs incesseret, viribusq; superior sibi tam insignis thesauri priuilegium vindicaret. Non quo venerabilis Præsul S. WIGBERCHTO diffideret, qui profecto suas ferentes reliquias tueri poterat intercessione, sed quod perquam scitè perpenderit, quanquam manifestè DEVS faueret, considerationem humani consilij, vtpote iusti, nullatenus posthabendam. Plenum est quippe Christianæ deuotionis, quamdiu habet homo, quod faciat, non tentare Dominum Deum suum. Quod si cui hæc exauctorari posse videatur assertio, illud ei obuertemus exponendum, cum Israheliticum populum Pharao dimisisset, non duxerit eum Dominus per viam terræ Philistijm? videlicet, ne forte pæniteret populum, si videret aduersum se bella consurgere. Quem planè locum aliter transire sano nequaquam poterit intellectu, nisi in nostram concedens, imò maiorum sententiam ibi ostendi fateatur *fieri debere omnia, quæ consilio recto fieri possunt, ad euitanda, quæ aduersa sunt, etiam cum* DEVS *apertissimè adiutor est.*

Carolus Magnus.
* Ernesto.
Clam transfertur corpus.
Homo tenetur facere quod in se est.
Verba sunt S. Augustini q. 48 in exod.

CAPIT. XXV.

De Arca sepulchro eius superposita.

ERGO præfati fratres munus amplissimum sibi ab Episcopo

piſcopo traditum monaſterio *Herolfesfeldt* celeres inuexerunt,& à reliquis DEI ſeruis illic exceptum manificè principe loco eſt in Eccleſia conditum. Atq; LVLLVS annuente Magno CAROLO monumentum illius, quo more per Gallias,Germaniamq; cęterorum Sanctorũ viſuntur,auro & argento, nec non reliquis congruentibus metallis exornandum curauit, & id opus ad Idus Augusti compleuit. Vbi posteà diuina exuberante gratia magna & admirabilia ſigna claruere. Ex quibus, cum ſint pæne innumerabilia, hic pauca quædam ſubiungam, quorum conſideratione metiatur cætera quiſquis volet.

Lullus Archiepiſcopus exornat arcam.

CAPIT. XXVI.

De curatione Huntheri.

Miracula facta in Hirsfeld.

QVIDAM ægrotus eouſq;,vt in carruca in morem lecticæ inſtructa perduceretur ad memoratum cænobium, ibi meritis beati Confeſſoris opitulantibus, non vtcunq; reualuit, ſed incolumitatem certiſſimam eſt adeptus,atque monaſtico hic habitu ſumpto,obeundis cænobij muneribus, nequaquam ſe imparem gauiſus eſt. Huic nomen Huntheri fuit.

CAPIT. XXVII.

De Burguuarto Paralytico.

ALIVS quoque,vocabulo *Burckuuart*, viribus propemodum totius corporis deſtitutus ante limina S. WIGBERCHTI non paruo tempore iacuit. Et tandẽ ſuccurrentibus eius efficaciſſimis precibus plena ſoſpitate donatus eſt. Namque diu oblito gradiendi officio recepto, etiam Romam oratum perrexit. Sed ne gratiam quidem fugandorum nequam ſpirituum huic ſuo probatiſſimo famulo Dominus denegauit.

CAPIT.

CAPIT. XXVIII.

De Sigeberto Dæmoniaco.

HAc enim recenti memoria quidam correptus acerbiſſimo dæmone, Sigebraht vocabulo, ferreis manicis vinctus miſerabiliter attractus eſt, & interuentu S. WICHBERCHTI inimici violentia liberatus.

CAPIT. XXIX.

De Bertgero Dæmoniaco.

SIc alter, Beratgar dictus, & maligno ſpiritu in bellu inam mutatus ex homine rabiem, apud ſancti huius memoriam eadem horribili paſſione curatus eſt.

CAPIT. XXX.

De trimoda ſanatione Ramnulphi.

ALIQVIS præterea oriundo Aquitanus, cui nomen erat Ramnulpho, ab ineunte mutus ætate, ſurdusque, & pæne ad faciem pecoris in aluum pronus, huc perduct⁹ maximo, rariſſimoq; miraculo affatum repente obſtructarumq; aurium ſortitus apertionem, etiam ſecundum prærogatiuā hominis ad intuendum cælum erectus eſt. Ita triplici enim hac debilitate conflictatus, totidem ſe humani vſus compendia ſubitò meruiſſe miratus eſt.

Concluſio operis.

HÆc inchoata vt voluiſtis quam abſoluta oratione direxi; qua neque commentitium aliquid extrinſecus addidi. Et quæ veſtra ſollertia ſuggeſſit inſerenda, ſeruato tramite veritatis expreſſi, quæ beatus confeſſor CHRISTI WICHBERCHIVS vtinā pio proſequatur fauore, ac vobis, qui miniſtraſtis materiam, vna mecum, qui hanc in aliquam redegi formam, interceſſionis vicem compenſare dignetur.

FINIS.

AD

AD LECTOREM

SVBIECTA *erat in eodem MS.* COD. *historia eadem carmine conscripta ab Hirsfeldensi Monacho, (qui nomen suum his litteris* HAD. TAC. CVN. *expressit) & dedicata* BRVNVARDO *Hirsfeldensi Abbati, cæterisq; Præceptoribus, vt ipse loquitur, in Cœnobio S. VVinberchti degentibus. Successit hic Brunuardus Bunoni, ad quem Lupus suam historiam destinauit, & floruit sub annum Domini 860. nam Trithemius in Chronico Hirsaugiensi annotauit eum anno 848. Synodo Moguntinæ sub Rabano Archiepiscopo interfuisse. Lambertus vero Schaffenburgensis in sua historia ait eum anno 875. obijsse.* VERVM, *quia hæc historia mutila erat, & tam insulso ac barbaro stylo exarata, vt tantum non Oedipo opus habeat, ad assequendam intelligentiam verbis subiectam, malui illam prætermittere, & tria tantum ex ea describere miracula, quæ auctor ille superioribus à* LVPO *enarratis adiecit, eo quod suo tempore accidissent.*

MIRACVLA ALIA S. WIGBERTI.

P*Rimum est, de femina, quæ contractam habuit manum, & inuocato Dei & S. VVigberti auxilio integrum eius vsum recepit. Cum verò post aliquot tempus, nescio qua de causa, iterum contracta fuisset, & se precibus eiusdem S. VVigberti commendasset, pristinam recuperauit sanitatem, ac vitam deinceps cum castiore commutauit.*

ALTERVM est de viro quodam, ferreis vinculis ob furorem & impotentiam mentis constricto. qui simulatq; adductus est ad D. VVigberti sepulchrum, abiectis vinculis integram mentis sanitatem est adeptus.

TERTIVM est de monacho Gerhelmo adhuc superstite, qui cum fluuiolum, FVLDAM nomine, nauigio primum traiecisset, postea in reditu non dubitauit eques traijcere, sed cum rapidior, quam existimabat, aquarum decursus esset, ex equo in aquas ruit, signo crucis se consignat, & inuocato Christi & S. VVigberti auxilio resupinus ad mille passus super aquam defertur, donec ripam tandem attigisset, quam vt tenuit, immensas DEO & S. VVigberto gratias egit, quod tam manifesto vitæ periculo exemptus esset.

FINIS.

VITA
B. ROBERTI
CONFESSORIS
E LOTHARINGIÆ
PRINCIPIBVS ORIVNDI,
ET QVONDAM BINGIO-
num Ducis.

AVCTORE

B. HILDEGARDE IN CÆNOBIO
montis, qui dicitur S. Roberti, extra
Bingam Abbatissa.

EX MS. COD. BIBLIOTHECÆ MOGVN-
TINÆ SOCIETATIS IESV
Exscripta.

Et

Nunc primum typis expressa.

VIXIT AVTEM S. R.

HINCMARI NOSTRI SÆCVLO
sub annum Domini 860.

ELOGIVM DE AVCTORE huius vitæ.

HILDEGARDIS, *inquit* IOAN. TRITHEMIVS in ſcriptorum Eccleſiaſticorum Cathalogo, *Abbatiſſa cœnobij S. Ruperti Confeſſoris in oppoſito Bingenſis oppidi ex altera parte Nahæ fluuij Moguntinæ diœceſis, Ordinis Diui Patris Benedicti, natione Teutonica, ex Comitatu Spanheimenſi, &c. Virgo ſanctiſſimæ conuerſationis, & à pueritia ſua diuinis reuelationibus illuſtrata cuius vita multis miraculis comprobata, adeò vt Eugenius III. Anaſtaſius IV. Hadrianus IV. Alexander III. Romani Pontifices ſcriptis eam crebrius viſitantes, ſe & Romanam Eccleſiam illius orationibus commendarent. Sed & Eugenius III. in Concilio Treuerenſi S. Bernardo præſente, ſcripta, & opuſcula eius coram omnibus lecta, publicè approbauit. Omnia autẽ quæ ſcripſit, ex reuelatione diuina didicit. E quibus iſta ſunt.*

In Regulam S. Benedicti. lib. 1.	Et ego paupercula.
Triginta quæſtionum lib. 1.	Charitas quæ cum.
Vitam S. Ruperti Confeſſoris lib. 1.	Nam vt in vera.
Vitam S. Diſibodi Epiſcopi lib. 1.	In myſtica viſione.

Scripſit & alia.

Moritur ſub Frederico Imperatore Primo, Anno Domini 1180. ætatis ſuæ 82. Indictione 13. 15. Calend. Octobris.

VITA



VITA S. ROBERTI

CONFESSORIS EXCERPTA EX LIBELLO A S. HILDEGARDE ad Congregationem ſuarum Sororum ſcripto.

BROBERTVM Deus in infantia totum ſua gratia perfudit, & ad bonum finem perduxit; qui clarus genere & diuitijs ſæculi, per liberalitatem benedictionis DEI charus Deo extitit. Nam, vt in vera viſione video, beatus patronus noſter ROBERTVS, patre ſuo orbatus, cum matre ſua in hoc loco viuens, & operibus bonis inſudans, ac DEO in caſtitate, humilitate & ſanctitate ſeruiens, cum caducis & temporalib⁹ æterna præmia mercatus eſt. Sicut enim viuens lumen in vera viſione mihi oſtendit, & me docuit, ſic de ipſo loquar. Vbicunque opinio veræ ſanctitatis fuit, ibi ſanctitas ſtare & permanere diu potuit: vbicunq; autem vera ſanctitas non fuit, ibi mendacium durare diu non potuit. In Beato autem Roberto vera ſanctitas fuit, quemadmodum diuina maieſtas apertè oſtendit, cum me, & quaſdam ſorores mecum ad locum reliquiarum eius per magnum miraculum magnarum viſionum tranſtulit, vt omnibus cernentibus, & ſcire volentibus apertè apparet.

al. RVPERTVM.

S. Hildegardis ex reuelatione hanc vitam ſcripſit.

Vera ſanctitas conſtans eſt.

Ad montem S. Roberti Hilde. migrauit à Deo monita.

Pater matris S. Roberti.

PATER ergo matris B. ROBERTI de Lotharingia oriund⁹ ibidem Princeps exstitit, & magnam latitudinem prædiotum ac diuitiarum in regione natiuitatis suæ, & in alijs circumquaque positis, regionibus, & circa fluenta Rheni in Pingis habens, magnus ac nominatus inter Principes sæculi habebatur. Qui verè Catholicus existens in temporibus Imperatoris Magni CAROLI clatuit, puellamq; matrem videlicet Beatæ BERTHÆ ex longinquis regionibus in magnis diuitijs ortam, sibi in matrimonium coniunxit.

Binga oppidū.

Mater S. Roberti.

Robolaus pater S. Roberti paganus, & Dux.

Ex qua d im filiam, matrem scilicet B. ROBERTI habuisset, ipsam adultam pagano & tyranno cuidam, nobili tamen & Duci secundum sæculi dignitatem, ROBOLAO dicto, cum adhuc pagani & Christiani propter rudimentum vetæ fidei simul habitarent, gloria coniugij solenniter associauit, & prædia sua, quæ circa Rhenum in Pingis habebat, eadem filiæ suæ in dotem contulit, quatenus ob elegantiam generis sui, & ob amplitudinem prædiotum suorum idem Robolaus ad Christianum nomen cogi posset, quod tamen nihil profuit. Qui dum cum ea per aliquod tempus laudabiliter vixisset, posteà, honestos mores ipsius videns, grauiter tulit, ac se alienis mulieribus coniungens, non illam tamen more coniugij deseruit, sed tyrannidem incredulę mentis gerens baptismum non amauit. Vnde beata mulier hæc valdę cruciabatur in corde suo, DEO vouen , vt si ab illo liberaretur thalamo alterius viri non associaretur, & ob hoc etiam suspirijs, lacrymis, orationibus ac eleemozynis sacrificium laudis DEO offerens dicebat. O o quando liberabor de occupatione sæculi huius, quæ animæ meæ & corpori meo amarus carcer est.

Fidem coniugij violat.

DE

De beneuolentia autem beatæ Berthæ magis quàm de sanctitate eius loquamur, vt gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis sit. Nam ipsa tandem filium concepit, & peperit, & si dicere liceret, pannis illum, vt Beata Dei Genitrix Maria filium suum, inuoluit. Cuius pater plurima gloria sæculi, vt præfatum est, pollens, in monte illo, qui Lubun dicitur, castrum valde munitum habuit, & per totam prouinciam illam fere vsque ad Mogvntiam ciuitatem, Ducatum tenuit. Cumque beatus infans Robertvs trium annorum esset, pater eius in magnis prælijs contra Christianos dimicans occisus coram Deo & hominibus interijt, & beata Bertha vxor ipsius vidua remansit. *Bertha gignit S. Robertum.* *Pater S. Roberti occiditur.*

Qvæ se à vinculo mariti, & à solicitudine sæculi solutam videns, præfatum castrum deseruit, & ad alium locum, scilicet super Naham situm, in quo nunc reliquiæ ipsius, & B. Roberti, requiescunt, se contulit, ibiq; Ecclesiam ædificauit, pretiositatem quoq; & claritatem vestimentorum abiecit, nec vlterius dignitatem generis sui, & diuitiarum suarum attendit: sed vili vestitu & grosso, velut sacco induta, ac cingulo cincta, deinceps in continentia viduitatis, vt diu optauerat, Deo deuota seruiebat. Multos quoque perfectos, & alios quosdam bonos homines ad se collegit, ac in prædicto loco permansit, ibique vigilijs & ieiunijs se macerans, orationibus etiam & eleemosynis Deo cottidie ministrans filium suum, bono exemplo in sanctitate muniuit: quoniam timebat, quod per cognatos & amicos suos ad voluptatem sæculi moueretur: &, ne hoc fieret, die noctuq; illum Deo commendabat. *B. Bertha extruit Ecclesiam in monte S. Roberti.* *B. Berthæ sanctitas.*

Sed tamen plurimi tyranni, tam Christvm colentes, quam idolis seruientes, eam interim infestabant, & tam elegantiam generis & corporis ipsius amplectentes, quàm diuitijs & prædijs eius inhiantes, eam sibi matrimonio coniungi affectabant. Ipsa verò omnes vno animo, & vna voluntate á se repellebat, & soli Deo placere studebat, & filium suum magis ad gloriam Dei, quàm ad honorem sæculi educare laborabat. In quo dum bonas virtutes bona spe cælestis vitæ exurgere videret, animumq; illius magis ad æterna, quàm ad caduca innixum adtenderet, de plurimis donis sancti spiritus gaudebat, quæ in ipso videbat.

Respuit nuptias secundas.

Qvoniam idem B. Robertvs, cum infans & lac sugens esset, mores malitiæ infantis, plorando seu irascendo, non habuit, & à lacte abstractus in pueritia sua in moribus suis, velut homo, qui diligentissima intentione ad Deum anhelaret, fuit: quapropter pater suus eum odio habens, ipsum stultum & fatuum fieri multotiens affirmauerat, dum viuebat. Sed qui Devm bona & recta fide colebant, puerum hunc in pueritia sua tàm beniuolum existentem cernentes valde amabant, & beatum futurum, quamuis per ignorantiam veraciter tamen dicebant. Spiritus sanctus enim, qui Iacob Patriarcham in vtero matris suæ gratia sua perfuderat, infantem istum etiam inspirauit: quia Devs miracula sua sæpius in ijs etiam facit, qui præ mollitia venarum ac medullarum plenam scientiam nondum habent. * In plena etenim benedictione fructuosæ terræ, scilicet beniuolentiæ Devs Iacob antequam nasceretur, diligebat, & in eadem inspiratione beatum Robertvm in infantia ipsius visitauit. Devs namq; præuidit, quod sensibi-

S. Roberti infantia & pueritia.

Mal. 1.
Rom. 9.

* Digressio longa inserta omissa.

S. Robertus ab infantia sanctus.

ſenſibilis terra huius pueri ad DEVM anhelare deſideraret, & quia hoc, lac adhuc ſugens in moribus ſuis incipiebat, omnes qui eum videbant, ipſum valde diligebant: quoniam vbicunq; beneuolentia in homine eſt, ad amorem illius deſideria hominum accenduntur, velut ros ſuper granum ad viriditatem illius cadit.

ITAQVE cum puer ROBERTVS ſeptem annorum eſſet, litteras diſcere deſiderabat; quibus eum mater ſua inſtrui faciebat, ſed tamen clericum eſſe nolebet, ſed in loco patris ſui Ducem prouinciæ ſuæ ac defenſorem Eccleſiarum eum eſſe diſponebat. Ipſe autem gratia Spiritus ſancti miſericors ſuper pauperes erat, quod miniſterium ac ſuſtentatio beneuolentiæ eſt, quemadmodum viſcera homini ſeruientes eum continent. Nam & ſecundum mores puerorum, vbicunque pauperes puerulos inuenit, eos matri ſuæ obtulit, dicens. Mater ecce filij tui. Quod factum illa benignè ſuſcipiens, ei reſpondit. Fili mi, fratres tui ſunt.

Septennis litteras diſcit.

Miſericors in pauperes.

QVI cum competenter & honeſtè nutriretur, ætate & ſapientia coram DEO & hominibus proficiens, ad iuuenilem ætatem, in ſanctis moribus ac virtutibus educatus, peruenit, vnctus oleo ſanctitatis, vt Dauid, oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis: atq; gloriam totius mundi toto niſu mentis ſuæ ſpreuit, quamuis eam corporaliter coram hominibus habere videretur. In bonis namque moribus ſanctè viuebat, & Eccleſiam pijs orationibus aſſiduè frequentabat, & quæ in ſacris voluminibus docebatur bonæ memoriæ pio ſtudio commendabat.

Pſalm. 44.

Mundi contemptor.

CVMQVE ad duodecimum ætatis ſuæ annum perueniſſet, mater ſua ad ipſum dixit. Fili mi, quoniam pluri-mas facultates & diuitias habemus, oraculũ in honorem

Duodennis quid egerit.

Oraculum, pro Oratorio.

DEI

DEI, & ſalutem animarum noſtrarum faciamus. Cui ille reſpondit. Non mater mea, ſed prius quod Euangelium habet intendamus. Dicit enim CHRISTVS. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam. Et iterum. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Quod mater ipſius audiens, quam plurimum gaudebat, quia filius eius tam ſanum conſilium ipſi dederat. Nam per Spiritum ſanctum bona & ſancta deſideria in animo illius iuuenis, ſicut balſamum, ſudabant: & quomodo hæc, quæ locutus fuerat, fieri poſſent, ſecum ſilenter tractabat, & ſic obdormiebat.

Iſa. 58.

VNDE per admonitionem Spiritus ſancti quendam ſenem in ſomnis vidit, qui pulchram faciem habens quoſdam puerulos in limpida aqua lauit, quos poſtea in quoddam pomærium omni genere florum & arborum amæniſſimum, & odore cunctorum aromatum plenum inducens candidiſſima veſte induit. At B. ROBERTVS amænitate eiuſdem loci allectus, ad ſenem dixit. Hic manere volo, cui Senex reſpondit, Hic modò non permanebis, quoniam fructuoſam ſcalam in cælum tibi parabis, vbi ſocius angelorum eris. Quapropter, quod de pauperibus diſpoſuiſti, perficere non negligas, quatenus per victum & veſtitum illorum cibo vitæ paſcaris, ac veſte, qua Adam per inobedientiam exutus eſt, induaris, ſeculoque peregrinus mente factus optimam partem tibi eligas.

Viſionem diuinam habet.

Luc. 10.

SED poſtquam beatus puer ROBERTVS euigilauit, hæc quæ in ſomnis viderat matri ſuæ narrauit. Vnde illa multum gauiſa, ad Dominum genua ſua flectens orabat dicens. O Domine DEVS meus, deſiderium

Eam exponit matri.

meum

meum in filio meo implebis. Et deinde tam mater, quam idem filius eius iuxta ripam defluentium aquarum quædam habitacula domorum ædificantes, inibi pauperes & nudos conseruabant. Quibus etiam victum & vestitum per duos fideles & sanctos viros subministrabant. Quorum alter Wigbertus dictus, eis in sacerdotio seruiebat, alter verò quidam ministerialium ipsorum existens indoctus erat. *Pauperes aliti.*

IPSE quoque B. ROBERTVS teneræ ætatis, & nobilitatis suæ propter amorem CHRISTI oblitus, pedes pauperum multotiens lauit, cibum & potum ipsis apposuit, ac lectos sæpius eis strauit, & sic vsque ad quintum decimum ætatis suæ annum DEO fideliter seruiuit. Et quoniam in pompa sæculi per multas diuitias & familiam pollebat, quibus se ad sæculum trahi videbat, apud se tandem tractare cæpit, quomodo B. ALEXIVS patrem & matrem, domum ac diuitias sæculi peregrinatus reliquit, & se illum in hoc imitari omnino elegit, quatenus DEO tanto liberius seruire in quiete posset. Quod mater ipsius quibusdam indicijs in eo sentiens, quamuis eam hoc cælaret, ipsi cum lachrymis dicebat: Fili doloris maternorum viscerum recordare, & gemitus matris tuæ viduæ attende, & familiam tuam in te solum confidentem aspice, & ne nobis intolerabilem miseriam inferas præuide. Nam de facultatibus nostris pauperibus & egenis, ac omnibus indigentibus, secundum quod tibi placuerit, erogare poteris. Et quid tibi melius & vtilius est, quàm DEO sic seruire? Hæc matre sua multis lacrymis, multisque gemitibus loquente, in corde suo beatus hic iuuenis valde turbatus est. *Pedes pauperũ lauat, & lectos eorum sternit.* *S. Alexium vult imitari.*

EODEM quoque tempore quidam nobiles, tam de extraneis, quàm de consanguineis suis ad eum veniebãt,

S. Robertus fuit Dux. dicentes. Tu qui tantum honorem Ducatus, tantasq; diuitias sæculi habes, cur te tàm contemptibilem facis? His alijsq; similibus verbis eum cottidie lacerabant, tentantes, si ipsum à bono proposito, & à bona via sua auertere possent. Quod ille cernens, matri suæ dicebat. Ecce per suggestionem diaboli, qui proposito & vitæ meæ inuidet, irretitus sæculo implicabor, & post vias patris mei, quamuis nolens, ibo. Nam peregrinationem ob hoc desiderabam, vt soli DEO tanto liberius seruire possem. Quo audito mater ipsius, quæ totam spem suam in DEVM posuerat, præ timore angustiata & grauata, metuebat, ne filius suus per nobilitatem generis sui illectus sæculo implicaretur: malensq; hærede carere, quàm filium suum sæcularibus implicamentis irretitum diabolo seruire, ipsi, quantum præ dolore potuit, aiebat. Fili, quoniam video te per multa consilia turbatum inconuenienter ad sæculum trahi, fac quod vis, & peregrinationem, quã diu optasti, aggredere, & ille cui dictũ est, Tu solus peregrinus es in Hierusalem, in itinere tuo sit, teq; incolumẽ mihi ad gloriam nominis sui remittat. (Luc. 24.)

Peregrinatur Romam. AT ille ex voluntate matris suæ peregrinationem arripuit, atq; ad limina sanctorum Apostolorum Petri & Pauli cum quibusdam hominibus suis profectus est. Quem cum homines regionis illius viderent, super eo admirati sunt, ad inuicem dicentes. Verè hic homo nobilis est. facies enim eius clara apparens in beniuolentia lucebat, quoniam gratia Spiritus sancti ipsum perfuderat. Vnde & omnes, qui eum intuebantur, in amplexione caritatis ipsum diligebant. Nam sicut stella absq; nube clarescit, & clara est, sic etiam in facie hominis beniuolentia conspicitur, quia idem homo in bona consuetudine Spiritus sancti est.

ET cum B. ROBERTVS se DEO meritisq; Sanctorum

Apostolorum Petri & Pauli cottidie commendaret, per aliquod tempus ibidem moratus est. Eo autem ibi moras faciente, à quibusdam religiosis viris eiusdē regionis interrogabatur, cui⁹ conuersationis, aut desiderij foret: quib⁹ ipse omnia, quæ in corde suo habebat, aperuit. At illi consilium ei dabant, vt Euangeliū hoc attenderet, vbi scriptum est. Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me: quoniam peregrinatio ipsi bona & vtilis esset, ne diuitiæ nobilitatis eum ad perditionem traherent. Qui consilio eorum se subdidit, & se ita facturum in animo deliberauit.

Commendat se S. Petro & Paulo.

Matth. 19.

Ad matrem suā deniq; reuersus, in prædio suo, quod latissimū fuit, villas & Ecclesias, in quib⁹ locis non erant, ædificari fecit, & hominibus suis ea distribuit, quatenus inibi manentes, & matri suæ, quādiu viuerent, ministrarent, ac cunctis superuenientib⁹, & in necessitate laborātib⁹ in adiutorio subuenirent. Ipse verò Ducatū, matrē, familiam, & possessiones suas, & omnia quæ habebat, relinquere, & ꝓ Christi nomine peregrin⁹ fieri cogitabat.

Ecclesias ædificat.

Omnia relinquere pro Christo cogitat.

Possessio autem prædiorū eius, quā hæreditario iure tam à Patre, quàm à matre, & à cæteris progenitorib⁹ suis possederat, à loco illo, vbi reliquiæ ipsius cōditę sunt, videlicet, vbi Naha fluuius Rheno influit, sursum per ripā Rheni vsq; ad *Selsam* fluuium se extendebat, & deinde ad alia duo flumina, quorū primū *VViza*, secundū *Apffla* dicitur, transibat, & illic vltra Naham fluuiolū *Elram* dictū, qui ibidem medius trium fluuiorum eiusdē vocabuli est, ascendebat, & ab hinc ad *Simeram* amnem dirigebatur, & inde per syluam *Sane*, vbi amnis, qui *Heienbach* vocatur, Rheno se infundit recuruabatur.

Possessiones B. Roberti.

Habitatio autem, tam B. Roberti, quàm matris ipsius eodem tempore propter suauitatem defluentium

In monte, qui nunc dicitur Roberti, habitauit.

aquarum in ipso loco erat, vbi reliquiæ eorum nunc conditæ sunt. Ciuitas verò ipsorum ibidem sita, & fortissimis ædificijs munita per totam adiacentem planitiem vsque ad radicem vicini montis, & vsque ad ripam Rheni tendebatur. Sed ex altera parte Nahæ fluuij vicus erat, in qua habitacula famulorum & piscatorum eorum, & stabula equorum ipsorum, ac horrea, vbi frumentum eorum condebatur, & torcularia, vbi vinum ipsorum exprimebatur, fuerunt. In ipsis quoque locis maior celebritas, & maior copia diuitiarum, & omnium sæcularium dignitatum illo tempore pollebat, quàm in alijs ciuitatibus eiusdem regionis vigeret: quoniam ibi concursus & transitus multorum hominum, diuitiarum, prouinciarum assiduè frequentabatur.

Bingium olim celebre.

DENIQVE cum B. ROBERTVS iuuenilem ætatem attigisset, scilicet, cum iam ferè viginti annorum esset, multi propinquorum & ministrorum eius ipsum quamuis renitentem ad voluptatem sæculi trahebant: quos ipse, quia totus in DEI amore ardebat à se pijs & conuenientibus verbis repellebat, quia DEVS, qui omnia tam futura, quàm præterita & præsentia nouit, aliud in eo præuiderat. Nam dum idem beatus, velut arbor fructuum plena, tam pinguis & elegantis naturæ esset, vt mens ipsius per generositatem & diuitias sæculi in contrarietatem bonorum facilè peruerti, & in sanctitate arescere posset, quemadmodum in quibusdam hominibus sæpe accidit, qui bona opera inceperunt, in quibus postmodum aruerunt, DEVS ipsum ad se tulit.

Iuuentus B. Roberti.

QVIDAM enim in conuiuijs peccatorum semper conuiuantes, DEO interdum secundum voluntatem suam promittunt, quod quandoque à peccatis suis resipiscere

Contra prorogantes pœnitentiam.

ſcere velint: & in hoc diabolus multotiens eos decipit, ita vt poſtmodum in laſciuia plus peccent, quàm ſi votum iſtud in animo ſuo non haberent, quia tempus peccandi, & tempus peccata relinquendi ſibi conſtituunt. Hi namq; tempus, quo peccare deſiſtant, in moribus ſuis diſponunt, & interim grauiora peccata, quam prius peccauerint, committunt, & ſic proprietatem voluptatis ſuæ pro Deo habent, & in ſuauitate iſta per diabolum decipiuntur, cum eis infundit, vt omnia quæ deſiderant ſecundum voluntates ſuas faciant, quoniam per breue tempus illas habituri ſunt, * &c. * Altera hic interiecta digreſſio.

Devs autem in dilecto Roberto ſtipulam vento agitatam non inuenit, quia quicquid idem ſanctus de inſpiratione Spiritus ſancti accepit, ipſo adiuuante feſtinanter compleuit, quoniam tempora proprietatis ſuæ ſibi non propoſuit. Denique mater beati iuuenis huius Roberti, cum in viduitatis continentia Deo bonis & ſanctis operibus deuotè ſeruiret, ſomnium diuina reuelatione vidit, coſtam, ſcilicet, de latere ſuo cecidiſſe, vnde multum perterrita crebros gemitus, & crebra ſuſpiria cordis ſui pertulit, ſicut & poſtmodum non multo tempore tranſacto patuit. Viſio matris B. Roberti.

Nam filius eius B. Robertus, cum in intentione deuotionis, quam Deo vouerat, eſſet, quatenus eam compleret, magnis febribus infirmari cæpit, in qua infirmitate ſenex, quem dudum in ſomnis viderat, ei apparuit dicens. Ego antiquus dierum, qui Danieli in viſu noctis apparui, ſum, & nunc etiam me tibi manifeſto, teq; ad gloriam infinitæ beatitudinis voco, quoniam per pomerium, quod tibi olim in viſu demonſtraui, bona & ſancta opera, quæ modo compleſti, veraciter præmonſtraui. B. Robertus æger ſecundam habet viſionē. Dan. 7.

ſtraui. Qui vt de ſomno euigilauit, triſtitia & timore perterritus, quia libenter compleſſet, quod DEO in deſiderijs ſuis vouerat, matri ſuæ, quæ viderat, indicauit. Sed illa protinus maximo mœrore percuſſa, quantos gemitus, quantoſq; luctus his auditis ediderit, à quolibet ſimile paſſo animaduerti poteſt.

Anno ætatis 20 moritur.

ITAQVE cum beatus iſte per triginta dies in præfata infirmitatę laboraſſet, viceſimo ætatis ſuæ anno DEVS eum in bona confeſſione, & in DEI timore de hac vita tulit: ne ſi ad perfectam ætatem perueniret, poſt vias patris ſui incederet, quia qui omnia nouit, ſic illi expedire præſciuit. Deus enim illum præuenit, & ipſum in innocentia fulgentem de hac vita ſubtraxit. In oratorio autem, quod ipſe & mater ſua ſuper Naham fluuium in ſupradicto prædio ſuo conſtruxerant, cum maximo concurſu populorum totius regionis ſepultus eſt: alijs quidem ſuper eum flentibus, quoniam immaturus de præſenti vita ſublatus eſt; alijs verò ſuper eum gaudentibus, quia per miracula, quæ DEVS ibidem per eum fecit, tota regio illa, velut dies per ſolem illuminata eſt. Per octo namque annos DEVS plurima ſigna & miracula per merita huius dilecti ſui in prædicto loco in infirmis, in claudis, & in captiuis fecit, ita vt quicunque in tribulationibus vexabantur, ad ſepulchrum eius venientes per gratiam DEI liberati ſint.

Sap. 4.

Miracula ad ſepulcrum eius facta.

BEATA autem BERTHA, vidua DEI electa, poſt felicem obitum filij ſui, ſanctam vitam in magna contritione cordis ſui deinceps duxit, & omnia, quæ habuit, ad ſepulchrum filij ſui pro ſeruitio DEI obtulit, & cuncta neceſſaria congregationi frattum, qui ibidem DEO in

B. Berthæ matris ſanctitas.

diuinis

diuinis seruiebant, ex his pleniter subministrauit. Nam post finem filij sui in omni bonitate ieiuniorum, eleemosynarum, & orationum fere per viginti quinque annos viuens multos labores pro DEI amore piè & iustè consummauit, & deinde corporali infirmitate correpta, spiritum, quem semper in cælestibus desiderijs infixerat, DEO reddidit, & in pace in sepulchro filij sui in præfato prædio suo honorificè sepulta est. *Sepulta iuxta filium.*

QVA defuncta prædictus locus in honore sanctitatis, & in pace quietis vsq; ad tyrannidem Nortmannorum perstitit. Quibusdam etenim annis post fælicem transitum beatę huius BERTHÆ transactis, gens Nortmannorum à finibus suis egressa plurimas ciuitates circa fluenta Rheni diuino iudicio deuastauit. Treuerim quoque destruxit, & sic grassanda ad ciuitatem KOBOLAI, patris scilicet B. ROBERTI, vbi Naha fluuius Rheno commiscetur, de quo supra dictum est, perueniens, hanc etiam ruina & incendio ad nihilum redegit. *Binga à Nortmannis vastatur.*

QVO FACTO, cum nefarij homines isti tandem repercussi feritatem suam deposuissent, & ad terras suas redirent, incolæ præfati loci, qui superstites remanserant, & qui per diuersa latibula dispersi fuerant, reuertentes, & ciuitatem suam dirutam cernentes, ex altera parte Nahę fluuij propter munimen decurrentium fluminum, & adiacentium montium, alia habitacula sibi ædificabant: & omnia quę in lignis, & lapidibus, in eiectis fundamentis, atq; in alijs vtensilibus à prædicto destructo loco deferre poterant, ad alteram ripam Nahæ, illuc ad habitandum deportabant. Et sic prior locus, qui dudum frequentia populorum, celsitudine ædificiorum, amplitudine diuitiarum pollebat, desolatus est, atq; per subsequentia tempora ad maiorem desolationem perductus. *Reædificatur in alio loco.*

Vnde

VNDE & omnia prædia, quæ B. ROBERTVS hæreditario iure possederat, per extraneos & diuersos homines in contrarietatem dissipationis distracta sunt, & nihil ex ijs inconuulsum permansit, excepta Ecclesia, in quadem DEI electus, vt supra dictum est, vna cum matre sua requieuit: quæ & vsque ad tempora nostra durauit: sic etiam, quod eam oculis nostris perspeximus, cum ad eundem locum demonstratione peruenissemus, & exceptis quibusdam paucis vinetis ad eandem Ecclesiam pertinentibus, quæ à Domino HERMANNO Hildesheimensi Episcopo, & fratre ipsius nobili viro, BERNARDO dicto, per nos pretio comparauimus.

Ecclesia B. Roberti ad tempora S. Hildegardis durauit.

FINIS.





INDEX




INDEX TESTIMONIORVM S. SCRIPTVRÆ VETERIS ET NOVI TESTAMENTI IN EPISTOLIS HINCMARI breuiter expoſitorum.

Ex Veteri Testamento.

Ex Novo Testamento.





INDEX
RERVM ET VERBORVM IN HINCMARI EPISTOLAS, CÆTERAQVE OPVSCVLA.

A.

Excom-

Iudicis

Nicæni

T.

Vulnera huius editionis sanabis, si legas pagina 2. versu 8. *bonos sibi.* v 15. Aimoin. c. 97. v. 18. *Karlomannus & Karolus.* & alibi similiter, in cõtextu Hincmari. p. 5. v. 26. in marg. *Aimoin. lib. 5.* p. 6. v. 30. *circadas.* p. 7. v. 21. de qua nuper. p. 17. v. 2. *plebis Dei.* p. 18. v. 21. *praemissi.* v. 32. *vnusquisque.* p. 22. v. 4. *Ecclesiasticis.* p. 27. v. 6. *Drogonem.* p. 34. v. 20. *prout.* p. 37. v. 4. *inter se.* p. 44. v. 11. *rege regum est eis.* p. 78. v. 5. *manus suas.* p. 81. v. 8. *tractatus.* p. 97. v. 29. *dignitatis.* p. 113. v. 1. *Vuarmatiam.* p. 114. v. 5. 7. *Hludouuico.* p. 119. v. 17. *apud Suessiones.* p. 196. v. 20. *consilium contrarium.* p. 252. v. 11. *sed etiam.*

LAVS DEO DEIPARÆQVE.

